Sc. 24. Pl. 4.

37
35 D
17

- AMA 2137.

LUDOVICI ANTONII
MURATORII
OPERA OMNIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTIQUITATES ITALICAE MEDII AEVI,

SIVE

DISSERTATIONES

De Moribus, Ritibus, Religione, Regimine, Magiſtratibus, Legibus, Studiis Literarum, Artibus, Lingua, Militia, Nummis, Principibus, Libertate, Servitute, Foederibus, aliiſque faciem & mores Italici Populi referentibus poſt declinationem Rom. Imp. ad Annum uſque MD.

OMNIA ILLUSTRANTUR ET CONFIRMANTUR

INGENTI COPIA DIPLOMATUM ET CHARTARUM VETERUM,

Nunc primùm ex Archivis Italiae depromtarum,

ADDITIS ETIAM

NUMMIS, CHRONICIS, ALIISQUE MONUMENTIS

NUNQUAM ANTEA EDITIS.

AUCTORE

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

SERENISSIMI DUCIS MUTINAE

BIBLIOTHECAE PRAEFECTO.

Arretino Seminario & Collegio Eccleſiaſticorum Caſtilionenſi Epiſcopalibus alteram hanc editionem curantibus.

TOMUS DUODECIMUS.

ARRETII MDCCLXXVIII.

Typis MICHAELIS BELLOTTI Impreſs. Epiſcop. ſub ſigno PETRARCAE.

SUPERIORIBUS PERMITTENTIBUS.

CHRONICON SUBLACENSE,

SIVE

CATALOGUS ABBATUM MONASTERII SUBLACENSIS

Ab Anno Chriſti circiter DXCV. uſque ad MCCCXC.

AUCTORE

MONACHO SUBLACENSI ANONYMO

Nunc primùm prodit

EX MANUSCRIPTO CODICE ROMANO.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN CHRONICON SUBLACENSE

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.



Nihil opus eſt, ut ego eruditum Lectorem moneam, inter Italica Monaſteria *Sublacenſe* in Latio ſitum, antiquitate & nobilitate cum ampliſſimis quibuſque certare. Scilicet illud ante Caſinenſe aedificavit Sanctus Benedictus, Occidentalium Monachorum Pater, ejuſque ſacri loci perquam celebre olim nomen fuit; immo & adhuc eſſe pergit, quamquam Commendatario Abbati ſubjectum non eam alat Monachorum copiam, quae antiquis Seculis ibi numerabatur. Subſunt Monaſterio Caſtra & vici aliquot, in quae non temporalem modo, ſed & ſpiritualem juriſdictionem Abbas Commendatarius exercet. Breve Chronicon celeberrimi ejuſdem Monaſterii ego nunc exhibeo, quod olim ex Romano Codice deſcripſit egregius vir, atque inter paucos amicus meus, Dominicus Maria Jacobatius Mutinenſis, quo tempore negotiis Sereniſſimi Ducis Mutinae, Heri noſtri, ſumma cum laude

in

in Urbe praeerat. Exhibetur ibi Catalogus Abbatum Sublacenſium ab origine Coenobii uſque ad Annum Chriſti circiter MCCCXC. eorumque Acta brevibus recenſentur. Auctor Opuſculi ſine dubio Monachus Sublacenſis fuit, cujus nomen deſideratur in Codice MSto. Fortaſſe ne ipſe quidem illud voluit poſteris notum. Plenius autem Chronicon Sublacenſe exſtare accepi, quod lubentius e tenebris eripere cupiebam, ſpe ductus fore, ut per ejus editionem tum de ſacro loco, tum de eruditione melius mererer. Sed voti compos minime factus, quod poſſum nunc profero. Chronici quoque Sublacenſis mentionem fecit Clariſſimus Mabillonius in Itinerario Italico, ejuſque evulgandi ſpem nobis reliquerat. An idem cum iſto fuerit, incompertum eſt mihi. Quum vero nonnulla ex monumentis Archivi Sublacenſis in hoc Opus intulerim, ea cum hocce Chronico jungenda erunt, aut conferenda.

CHRO-

CHRONICON SUBLACENSE.

Secundus *Abbas* poſt Sanctum Benedictum fuit *Honoratus* diſcipulus ejus jam dicti Patris honeſtus. Secundo loco regimen tenuit loci, ex cujus ſanctitate & opere Coenobium Sublacenſe augmentandi materiam ſumſit; namque eo tempore in Capitulo illius Coenobii Eccleſia in honorem Sanctorum Coſmae & Damiani fuerat conſtructa. Poſtea verò major Eccleſia conſecrata eſt & ampliata in honorem Sancti Benedicti, & Sanctae Scholaſticae Virginis, per quod temporibus praedictis glorioſiſſimus Pontifex Gregorius, cum Beata Silvia matre ſua, Caſtrum, quod Apollonium dicitur, praenominato tranſtulit loco, ac alia multa bona, ut habetur in privilegio dicti Beati Gregorii, conceſſit, confirmavitque omnia, quae Sanctus Benedictus in vita ſua acquiſivit, & perpetuò roboravit; & omnia, quae petivit Sanctus Honoratus a Beato Gregorio, impetravit ac obtinuit, & adhuc noſtris temporibus poſſidemus. Poſt haec religioſi quoque Pontifices Romani beneficia ibi praeſtiterunt quamplurima per temporum ſuorum ſeriem deſignata.

Tertio loco ſedit *Abbas* nomine *Elias*, qui ab Imperatoribus & Romanis Pontificibus ac reliquis Deum timentibus acquiſivit multa bona Monaſterio Sublacenſi. Illis namque temporibus irruentes Dei judicio Italiam Agareni, Monaſterium omne, uti & totam Campaniam igne cremaverunt, & uſque ad tempora Domini Johannis Septimi prope fuit ſine habitatore, ſive regimine. Tunc idem Sanctus Papa ordinavit *Abbatem* in eodem loco venerabilem virum nomine *Stephanum*, qui ſedit Quartus in Abbatum

batum loco. Hic venerandus vir omne Monaſterium reaedificsvit; Eccleſiam in altitudine & longitudine ampliavit, quàm & pignera fecit, & pro juribus ſuis, quantum valuit, dum sdvixit tempore, in Dei nomine deſudavit.

Quinto loco ſedit *Sergius Abbas* temporibus Domini Stephani Secundi Papae. Geſta hujus nobis incognita ſunt.

Sexto loco ſedit *Petrus Abbas* temporibus Domini Gregorii Quarti Papae; qui Abbas tum orando & ſerviendo, tum dicto Pontifice auxiliante, Caſtrum Sublacum acquiſivit Beato Benedicto. Hujus temporibus Dominus Leo Quartus Papa ejus invitatu venit in Monaſterium Sancti Benedicti, & dedicavit in ſpecu Altare unum in honorem Sancti Benedicti, & Sanctae Scholaſticae, & alterum in honorem Sancti Silveſtri Papae; & obtulit in Monaſterio Sublacenſi Gabatam unam de argento, & duas Cortinas de fundato, quas freſatas dicimus, & ibidem omnia ampliata privilegio confirmavit.

Septimo loco ſedit *Leo Abbas* ſub Nicolao Primo Papa. Qui Abbas rogavit praedictum Pontificem, & privilegia Monaſterii, quae ab Agarenis incenſa fuerant, reſtaurari fecit. Sed & ipſe Pontifex Pontificali ſuo praecepto. omnia data a Praedeceſſoribus ſuis, vel aliquo modo acquiſita confirmavit.

Octavo loco ſedit *Almo Abbas*, qui fuit temporibus ſupradicti Nicolai primi Papae.

Nono loco ſedit *Leo Abbas* temporibus Domini Martini Secundi Papae.

Decimo loco ſedit *Stephanus Abbas* temporibus Domini Hadriani Papae.

Undecimo loco ſedit *Maio Abbas* temporibus Domini Benedicti Sexti Papae.

Duodecimo loco ſedit *Petrus Abbas* temporibus ſupradicti Domini Benedicti Sexti Papae.

Tertiodecimo loco ſedit *Johannes Abbas* temporibus ſupradicti Domini Benedicti Papae.

Quartodecimo loco ſedit *Leo Abbas* temporibus Domini Johannis Decimi Papae. Hic Romae acquiſivit Sancti Eraſmi Eccleſiam.

Quintodecimo loco ſedit *Benedictus Abbas* temporibus Domini Benedicti Septimi Papae. Hic Abbas rogavit Sanctum Pontificem ad Monaſterium venire, qui ut venit, dedicavit Eccleſiam Sanctae Scholaſticae. In Altari ejus Beati Audacis Martyris corpus cum aliis Sanctorum & Sanctarum Reliquiis honorificentiſſime collocavit: Sublacum Monaſterio reconfirmavit; & omnia pertinentia ei Pontificali praecepto confirmavit & roboravit.

Sextodecimo loco ſedit *Johannes Abbas* temporibus ſupradicti Papae Benedicti.

Septimodecimo loco ſedit *Martinus Abbas* temporibus Domini Bonifacii Papae Septimi.

Octavodecimo loco ſedit *Leo Abbas* temporibus Domini Agapiti Secundi Papae. Hic acquiſivit Effidem Caſtrum, & alia bona Sancto Benedicto.

Nonodecimo loco ſedit .... *Abbas* temporibus Domini Johannis Duodecimi Papae.

Viceſimo loco ſedit *Silveſter Abbas* temporibus Domini Johannis Decimi tertii Papae.

Viceſimo primo loco ſedit *Gregorius Abbas* temporibus Domini Gregorii Quinti Papae.

Viceſimo ſecundo loco ſedit *Petrus Abbas* temporibus Domini Silveſtri Secundi Papae. Hic fecit in Monaſterio

ſterio Libros, Paraturas optimas, & Hereditates multas acquiſivit. Poſtea captus, & in Caſtrum, quod Monticellum dicitur, ductus, in vinculis religatus eſt. Quo cum jaceret, meruit a beato Nicolao viſitari in ſancto ſuae feſtivitatis die, a quo omnia vincula ejus irrupta ſunt; nam idem Abbas devotiſſime Beato obſequebatur Nicolao. Cumque Cuſtodibus ab eodem Abbate receptum beneficium intimatum fuiſſet, duplicata ſunt vincula ſuper eum, & ſuſtentatus eſt etiam ibi pane tribulationis & aqua anguſtiae per aliquod tempus. Hoc autem patiebatur, & quod Caſtrum Armulae noluit dare Senioribus illis. Poſt haec, ut audivi a majoribus noſtris, juſſu Dominorum illorum plebotomati ſunt oculi ejus & caecus factus, non multo poſt migravit ad Chriſtum. Sepultus eſt juxta idem Caſtrum in Eccleſia Sancti Vincentii, ubi operatur etiam Deus quaedam beneficia meritis ejus ad laudem & gloriam nominis ſui.

Viceſimo tertio loco ſedit *Georgius* temporibus Domini Johannis Decimi tertii Papae. Iſte acquiſivit multa bona Monaſterio Sublacenſi per diverſa loca.

Viceſimo quarto loco ſedit *Stephanus Abbas* temporibus Domini Sergii Sexti Papae.

Viceſimo quinto loco ſedit *Petrus Abbas* temporibus Domini Benedicti Octavi Papae.

Viceſimo ſexto loco ſedit *Demetrius Abbas* temporibus Domini Johannis decimi noni Papae.

Viceſimo ſeptimo loco ſedit *Petrus Abbas* temporibus Domini Benedicti Noni Papae.

Viceſimo octavo loco ſedit *Johannes Abbas* temporibus Domini Clementis Secundi Papae. Hic fecit Libros ſecundùm Paſcaſium, Moralia ſuper Epiſtolas Pauli, Pſalterium, Rationale, Antiphonaria. Fuit bonus vir. Tempore, quo ex hac vita migraturus erat, exemplo Patris Benedicti, fecit ſe in Eccleſiam portari: ibique ante Crucem jacens, commendabat Deo animam ſuam. Acceptoque Corpore Chriſti obiit in pace, & ſepultus a Fratribus ante januam majorem Eccleſiae Sanctae Scholaſticae. Poſt verò noſtro tempore elevata ſunt oſſa ejus, & poſita ſunt in Capitulo ipſius * Coetnobii.

Viceſimo nono loco ſedit *Benedictus Abbas*, qui fuit dictis temporibus ſupra.

Triceſimo loco ſedit *Atto Abbas*, temporibus Domini Leonis Noni Papae. Hic denique ſanctiſſimus Pontifex, curam omnium gerens Eccleſiarum, cunctaſque perluſtrans, venit ad Monaſterium Sancti Benedicti. Abbas itaque Atto, cognito Apoſtolici adventu, fugam petiit, & latuit Treva. Venerabilis autem Pontifex cum veniſſet in Monaſterium, & ſine Rectore inveniſſet, contriſtatus eſt valde. Deſtinatiſque Miſſis fecit inquiri Abbatem, qui venire renuit; quique dimiſſus a Treverenſibus, ivit Campaniam, videlicet ad Sanctae Caeciliae Eccleſiam, quae eſt juxta Plumbinariam, & ibi uſque ad obitum vitae manſit. Mortuus ibi jacet ſepultus. Quapropter magnificentiſſimus Pontifex inito Concilio ordinavit in eodem Coenobio *Abbatem* nomine *Umbertum*, natum ex Francia. Sublacenſes ad ſe convocavit in Monaſterio, quorum & requirens monumenta Chartarum notavit falſiſſima, & ex magna parte ante ſe igne cremari fecit. Pontificali itaque praecepto reconfirmavit Monaſterio Sublacum, & totam Abbatiam Terram,

& cuncta aequiſita ubique Terrarum ab Abbatibus, vel a fidelibus tradita Chriſtianis. Dicebat autem omnibus, qui aderant: *Prope mirabilis eſt locus iſte per omnipotentem Deum. Hoc Monaſterium caput eſt omnium Monaſteriorum per Italiam conſtitutorum*. Et verè quia inde auctor & caput omnium Latinorum enituit Monachorum, & Regula ibi ab eodem ſanctiſſimo Viro deſcripta in tota exiit amplitudine terrarum. Neque enim credendum eſt, ut tot Monachi, tantaque ab ipſo in iiſdem locis conſtructa Monaſteria ſine Regula fuiſſent, quoniam procul dubio, qui Monaſteria fecit pro Monachis, ipſe eis Regulam tradidit non aliam, quam ipſe a Spiritu Sancto edoctus exaraverat.

In triceſimo primo loco ſedit *Umbertus Abbas* ſacratus in ordine Abbatiae a Domino Leone Papa Nono. Hic ut homo gentis exterae, dum in pace deguit, laboravit in Monaſterio pro viribus ſuis. Fecit ibi partem Clauſtri cum columnellis marmoreis. Fecit ibi Campanile firmum & altum. Fecit ibi caminatam. Auxit muro Turres Eccleſiae. Super antiquam Turrim murum ampliavit. Fecit ibi Dormitorium Monachorum. Fecit Libros ſecundùm Joſephum; & Queſtionarium. Fecit in Specu Eccleſiam pulcherrimam, & firmam, coopertà cryptà. Fecit ibi Libros duos optimos de totius anni regimine. Fecit Roccam de Tovanello ad expugnationes inimicorum. Acquiſivit in Valle Denerpha Eccleſiam unam vocabulo Sancti Petri, poſitam juxta Roccam, quae Petrella vocatur, cum caſis, terris, vineis, libris, paraturis, animalibus, & cum omnibus bonis ſuis. Poſt haec comprehendit eum Landus de Civitella, & poſuit eum in cuſtodia ..... ipſe Abbas

A

B

C

D

E

conſilio malorum hominum prius apprehenderat. At videntes iſta Monachi, turbati ſunt nimis: veneruntque ad Landum, inquirentes Abbatem; ſed ille noluit eos audire. Qui inito concilio perrexerunt Farſam, & tulerunt inde Domnum *Johannem* Monachum, filium Johannis Oddonis, & eum ſibi *Abbatem* fecerunt. Landus, ut haec cognovit, contriſtatus eſt valde. Vocatiſque Sublacianis & Monachis, pactum fecit cum eis, & Abbatem eis reddidit. Tunc recepto priore Abbate, remeavit Domnus Johannes Abbas, pridem ab eis factus in locum ſuum. Abbas Umbertus poſtea alienavit ſe a Curia Romanae Sedis. Inde undique creverunt innumera mala circa eum. Tribulabatur a ſuis, & extraneis. Surrexit namque quidam Monachus de ſuis, nomine Johannes de Azza, & ſuper eum cum Sublacianis, & aliis ſuis fautoribus impudenter ſe erexit, feitque ſe Abbatem in parte, quam ſibi vindicare potuit Abbatiae. Similiter unuſquiſque partem, quam poterat invadere, ſuam faciebat. Vae autem illis erat tantùm, qui in Monaſterio erant, & hominibus vicinis propinquitate extraneis. Sedit tunc impietas ſuper pleroſque, & caro ſedere viſa ſuper Sancti Benedicti Coenobium per aliquod tempus, exigentibus peccatis hominum in eo habitantium. Cum autem placuit ſummo Paſtori, ſuas errantes requirere oves, Pontificis Alexandri inſpiravit cordi, qui ſuccurrit famulis Dei, ſicut in ſequentibus dicturi ſumus. Umbertus Abbas praepeditus infirmitate & ſenectute, non valebat nec Monachis neceſſaria dare, nec inimicis contraire; quare ibi omnia confuſa bona videbantur: mala verò augebantur & roborabantur; unde per ora cuncto-

rum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rum rumor perſonabat & violentia eadem frequentius revolvebatur. Cum igitur Sublacenſes tempore Abbatis Johannis de injuriis quamdam conjurationem, licèt non omnes, fecerint contra Monaſterium, & per nos vix, aut numquam talis conjuratio diſſolvi potuiſſet: tamdem divina diſpenſatione accidit, quia Dominus Hugo venerabilis Oſtienſis & Velletrenſis Epiſcopus, ex legatione Lombardiae veniens, per partes noſtras tranſitum haberet. Qui audiens talia, nimis triſtatus eſt, & convocans Sublacenſes tam milites qui hujus conjurationis fuerunt immunes, quàm pedites omnes, qui conjuraverant, allocutus eſt eis in Choro Eccleſiae noſtrae, & quàm blandis locutionibus conjurationem factam fecit diſſolvi, eos tam auctoritate ſummi Pontificis, quam tunc habebat, quàm auctoritate ſua a ſacramento hujuſmodi abſolvendo. Et tunc accenſis candelis, & pulſatis campanis, excommunicavit eos, qui de cetero ſe ſupradicto facinori immiſcerent.

Reverendiſſimus itaque Alexander Secundus Papa, auditâ famâ deſolationis Coenobii Sancti Benedicti, & Sanctae Sororis ejus Scholaſticae, lacrymatus eſt, atque ex intimo cordis trahens alta ſuſpiria, dicebat: *Heu! quare datum eſt mihi videre deſolationes Sanctarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum Dei, ut in diebus noſtris conculcentur loca olim Dei apta ſervitio, & a ſanctis viris optime conſtituta?* Statimque accito Archidiacono ſuo Hildebrando decrevit, & poſtea confirmavit, quod Sublacenſes, ſi umquam faciunt conſpirationes, vel conjurationes contra Abbatem, vel Monaſterium, vel Monachos, ſint excommunicati, & nullus liceat eos abſolvere, niſi ſolus Papa, ut habetur in pluribus. Tum eidem ſtrenuiſſimo, & in ſaecularibus, ac ſpiritualibus rebus plurimum valenti Hildebrando dixit: *Triſtis meas dudum opinio perculit aures audiendo, quod Monaſterium Sancti Benedicti poſitum Sublacu, paene deſolatum eſt; & ſic quod noſtri anteceſſores Pontifices valde dilaxerunt, & de beati Petri rebus dilaverunt, & ad tantum decus perduxerunt, ut ubique terrarum nomen illius praedicaverint, nunc (ut audio) ita adnullatum eſt, ut vix vivere valeant pauci, qui ibi inveniuntur Monachi, oppreſſi valde ab inimicis & extraneis. Isaque aſſumtis ex noſtro Palatio Clericis, & militum manu valida, ſuccurrere labenti domo, & Apoſtolica fulcire auctoritate ſtudeto locum illum, & ad priſtinum meliorando revocare ſtatum, quatenus ſancti Patris Benedicti, ſanctaeque ſororis ejus Scholaſticae gratiam obtinere poſſimus.*

Ut audivit haec vir prudentiſſimus Hildebrandus, devotiſſime ſtuduit implere. Cum Clericis itaque Palatinis cum Deſiderio Caſinenſi Abbate, qui poſtea factus eſt Papa, cum multo apparatu militum venit ad Monaſterium in menſe Junio, die decima. Invenit Monaſterium in tanto diſcrimine poſitum, ut poſſet dicere, quod media pars ſibi nuntiata non fuiſſet. Tunc collectis Fratribus in Capitulo, primum divini verbi pabulo abundanter refecit eos, ac deinde proſecutus eſt ea, pro quibus venerat. Dixitque eis: *Dominus noſter Apoſtolicus, uſus ſolicitudine omnium Eccleſiarum, miſit nos conſolari vos, videre ſtatum veſtrum, cognoſcere, quae circa vos aguntur. Paratus eſt enim auxilium praebere vobis in omnibus. Audiens namque, vos in magna neceſſitate, ac penuria eſſe, ac beati Benedicti Abbatiam, ut comperimus, totam diſſipatam, dolere*

dolore afficitur non modico, & optat ſubveniri tanto loco, Patris beati meritis ſanctificato a Deo. Cui gratias agentes, inclinati ſunt omnes. Tunc ſurrexit quidam ex Monachis, & ſtans ante Archidiaconum Hildebrandum dixit: *Gratias reddimus Deo, ac beato Petro, ac Domno noſtro Apoſtolico, qui miſit requirere domum ſuam & famulos ſuos per te dulciſſimum filium ſuum. Haec eſt dies, quam exſpectamus, quae dulcior eſt nobis omni ſuavitate, amabilior omni re, quae videri poteſt ſub Coelo. Non opus eſt enim, Domine, multa veſtrae narrare prudentiae; ſed tantum expetimus veſtram benevolentiam, ut nobis, & huic ſacro loco ſubveniatis, quatenus a tantis, quae nos opprimunt, relevati miſeriis, Deo & beato Benedicto ſervire quiete valeamus.* Tunc ille: *Ideo*, inquit, *venimus; iſtum tantum faſtigium ſumſimus, ut quantum Deo auxiliante poſſibile fuerit, Domus Dei in meliori reducta ſtatu, tranquillam in Dei ſervitio vitam deinceps perducatis.* Poſt haec Umbertus Abbas, qui ibi aderat, habito conſilio cum ſuis amicis ſurrexit, & venit ante Archidiaconum, poſuitque virgam Abbatiae in manu ejus, ac projiciens ſe toto corpore in terra, interrogatus, quid ſibi vellet, reſpondit: *Mea culpa. Hanc obedientiam, quae ex beati Petri munere tradita per te fuit, exigentibus iniquitatibus meis, male tractavi, & negligentiâ meâ animae mihi commiſſae a ſanctae Regulae tramite deciderunt: & cognoſco, me amplius officium meum non poſſe peragere, ſed in manibus veſtris illud aſſigno. Rogo vos, nou bene a me peractis nimis indulgentiam tribuatis.* Cui Archidiaconus dixit: *Dominus, qui omnia poteſt, dimittat tibi peccata tua.* Et juſſit eum ſedere. Tunc coepit dicere: *Ecce Dominus, Fratres, conſiliamini, & eligite vobis*

A *Patrem, quia tantum Monaſterium non decet eſſe ſine Rectore.* At illi dixerunt: *A vobis ſperamus: a vobis Patrem petimus. Vos conſolamini viduatos.* Et ille: *Regulam beati Benedicti venimus cuſtodire. Inquirite omnem veſtram Congregationem, & ſi inveneritis dignum ad hoc opus, ſit vobis Pater. Sin autem apud vos perſonam talem cog-*
B *noſcitis, petitionibus veſtris non audemus contraire.* At illi una voce dixerunt: *Rogamus & petimus, quia apud nos talem non invenimus, dari nobis Dominum Johannem filium Odonis in Patrem.* Archidiaconus dixit illi (venerat quippe cum eo ab Urbe): *Frater Johannes, Domine mi; Fratres iſti quaerunt te ſibi in Patrem.* Ille au-
C tem projiciens ſe in terram, coepit clamare ſe indignum tanto officio; magiſque ſe ſubeſſe debere dicebat, quàm praeeſſe; & ne haec ſibi imponeret, precabatur. Archidiaconus dixit: *Suſcipe, fili, confiſus adjutorio Petri & beati Benedicti, curam iſtorum Fratrum, & ſis in corrigendo ſeverus, & in docendo manſuetus, ut*
D *cum commiſſo grege aeternae vitae gaudia conſequaris.* Et accepto baculo de manu ejus, ductus a Monachis in Eccleſiam, cantato *Te Deum laudamus*, poſituſque in ſede, factus eſt Abbas cum gaudio & laetitia cunctorum. Deinde finitâ Miſsâ aſcendit Archidiaconus inviſere Patris Benedicti Specum cum ſuis. Et aſcendens
E in mulam, repedavit ad Urbem. Umbertus Abbas comedit cum Fratribus, ac valefaciens illis, aſſumtis ſibi ſervientibus in..... & ad Oderiſium filium Torelli pervenit, a quo honorifice ſuſceptus, manſit cum eo uſque ad obitum ſuum. Mortuus eſt ibi, & ſepultus ad Eccleſiam Dei Genitricis Mariae, quae dicitur de Quinque Milliariis.

Clariſſimus ergo *Johannes Abbas* ſedit tricesimo ſecundo loco in regimine ſancti Coenobii conſecratus in ordine Abbatiae a ſupradicto Domino Alexandro Papa. Iſte invenit illud tantum, quod erat Abbatiae, per totum diſperſum, & a poteſtate Sancti Benedicti alienatum, & Monaſterium ita ad nihilum redactum, ut pauci, qui aderant, Monachi vix ibi vivere poſſent. Erantque in paupertate & proprietate. Unuſquiſque voluntatem cordis ſui ſequebatur in dando & accipiendo, in vendendo & emendo: habentes ſinguli cellulas & arcellas cum rebus propriis, ut melius valebant. Sublaciani ita in poteſtate habebant Monaſterium & Monachos, ut quidquid praeciperent, ſine dilatione compleretur. Cervariam frater Abbatis Umberti, Ezulus nomine, tenebat: Giranum & Ezerotum Lando de Civitella tenebat. Itaque ut prudens vir, in primis Monaſterium, ut novitius potuit, correxit & ordinavit. Deinde Turrem de Tovanello reaedificavit, ibique colligens milites ad recolligenda bona Sancti Benedicti, ſe, ut fortis praeliator, accinxit. In primo namque anno ordinationis ſuae Cervariam recollegit, dando libras, expellens Ezulum cum omnibus ſuis. In ſecundo anno Maranum acquiſivit cum Rocca ſuper ſe, dando libras, expellens inde conſanguineum ſuum, nomine Raynerium. Per idem tempus obiit Alexander Papa, & ſucceſſit in Pontificali dignitate Hildebrandus, qui Gregorius nominatus eſt. Is diligens plurimùm ſupradictum Johannem Abbatem, fecit eum Levitam ſacri Palatii, cui Diaconiam dedit Eccleſiam Sanctae Mariae in Domnica, & honorifice, dum advixit, tractavit eum. In quinto anno ordinationis ſuae, divinâ eum protegente gratiâ ab inimicis, qui ſaepe moliti ſunt eum occidere, intravit Sublacum cum multo apparatu militum, & magnâ induſtriâ, ac multis expendiis coepit ibi aedificare. Fecit ibi Turrim firmam & altam. Palatium peramplum cum caminatis ſuis & variis aedificiis, & in gyro muris circumdedit amplis. Fecit ibi Eccleſiam pulcram in honore Sancti Thomae Apoſtoli, in qua multorum Sanctorum Reliquias collocavit. Quae Eccleſia dedicata eſt a venerabiliſſimo * Adamaltenſis Eccleſiae Epiſcopo cum magna gloria. Denique dignatus eſt omnipotens Deus in eâdem Eccleſiâ quaedam miranda, quae non ſunt tegenda ſilentio, ad ſui nominis gloriam demonſtrare. Quodam tempore venerunt in Italiam ex Francia homines inſani, qui dicebantur *Conſuſi*, qui circumquaque pergentes per Campaniam & reliquas Provincias calamitatis tantae incutiebant timorem. Contigit, ut tres ex ipſis advenerint Sublacum, agitando ſine intermiſſione caput, inſana facta agendo. Cumque ibi per dies aliquot morarentur, primus eorum in praefata eſt ſanatus, Domino juvante, Eccleſia. Poſtea verò reliqui duo ibidem adducti, gratiâ Dei ſano capite exierunt, laudantes & benedicentes Dominum. Quibus jam dictus Domnus Abbas Johannes plurima beneficia largitus eſt, & ſic ad ſua remiſit eos cum gaudio. Alio tempore qui aſſiſtebat ibi ad officium peragendum; cum vellet lampadem, quae ante Altare erat, ut congruum ſibi fuerat, deducere, ſubitò tunc lapſa eſt. Cumque eam in terram venire crederet, ſubito manſa, de qua deponi ſolita erat, viſa eſt dependere, lumine accenſa. Ab eo tempore

pore Sublacum habuerunt in poteſtate ſua Abbates Sancti Benedicti, quem antea numquam potuerunt habere. Ex tunc coepit expugnare Caſtellum, quod vocatur Girani; fecitque munitionem & Turrim in Colle, qui Marinus dicitur, ad conſtringendum eumdem Caſtellum, pugnando viriliter. Tamdem dedit libras: recepit Giranum, & Ceretum in nono anno ordinationis ſuae. Fecit in eodem Caſtro Girano Turrem & Palatium & Cappellam cum multo diſpendio. Fecit in Colle, qui nominatur..... Turrem cum munitionibus aliis, cum multis expenſis & privilegiis ad conſtringendum Caſtrum Anticulum: quod ita conſtrinxit, ut fine dubio recuperaſſet, niſi Papa Gregorius jam dictus impediſſet; nam Roccam praefatam de manu ejus violenter abſtulit, & fratri ipſius dedit, ſcilicet Domino Oddoni; & aſtu Creſcentium filium Oddonis de manibus ejus eripuit, quem ita in ſupradicto Caſtro anguſtabat, ut ſpes nulla evadendi jam eſſet.

His diebus, Anno Dominicae Incarnationis MXC. ſurrexit quidam Monachus, nomine Palumbus. Rogavit ſupradictum venerabilem Abbatem Johannem, ut ſibi in Specu, ubi beatiſſimus Pater Benedictus habitaverat, locum concederet, qui ei libenter conceſſus eſt. Veniens autem in eadem Specu, cellulam habitavit in penuria & affliction multa, & ibidem ſanctificatus fuit. Sed poſt quam Sanctus Pater noſter de ſpecu receſſit, numquam reverſus fuit ad praedictum locum. Neque a ſcripturis, neque a ſenioribus meis potui inveſtigare, num centum annis aliquis habitaſſet, niſi ſupradictus Palumbus, ut habetur in Legenda ſua. Cujus corpus poſitum eſt in Cappella Sancti Nicolai in Palatio Abbatis. Et ſi vis ſcire veritatem in multis, legas Legendam ipſius, quae in pluribus concordat cum iſto Domno Johanne, de quo loquimur, & loquuti ſumus. In ſeptimo decimo Anno ordinationis Abbatiae, Caſtrum, quod Genna dicitur, acquiſivit, quod antea multis ingeniis expugnaverat. Fecit ibi Turrem ob defenſionem inimicorum. Poſt poene duos annos Ildemundus, qui..... & Effidem tenebat, facto placito cum quodam traditore, per noctem intravit eumdem Caſtrum, & tulit eum. Quod cum ſibi non liceret tenere, eo quia fortiter ab Abbate premeretur, dedit eum filio Principis Capuani, nomine Bertholomaeo, qui cum Normannis & Longobardis, ducente Ildemundo, venit Sublacum. At qui putabant caedes & depraedationes aliorum facere, confuſi caede factâ ſuorum redierunt ad ſua. Abbas autem eo die, quo Genna capta eſt, aſcendit Montem, qui vocatur Porcarius, cum multis militibus ac peditibus, & coepit conſtruere munitionem ad conſtringendam Gennam, quam fortiter expugnans cum multo ingenio, Domino auxiliante, de manu tulit tenentium. In Monte Porcario Turrim fecit & Palatium cum muris multis, & locavit hominibus. Fecit ibi Eccleſiam in honore Sanctae Mariae & pingere & conſecrare. Et totum Caſtrum noviter aedificavit multis expenſis. Multa a vicinis ſuis mala ſuſtinuit: qui quamvis multoties jurarent ſibi fidelitatem, & Sancto Benedicto, tamen ſaepius convertebantur in deterius perjurando & mentiendo. Sed ille tutus in omnibus. meritis Sancti Patris noſtri Benedicti, ſemper atterebat eos. His diebus venit Regina Agnes, auditâ fama

fama ſancti Coenobii Sublacenſis, videre & probare, quae ſibi fuerant intimata. Quae honorifice, ut Reginae decebat magnificientiae, ab Abbate & cunctâ Congregatione ſuſcepta, nuntiata approbans, donavit Monaſterio pallium optimum, & promiſit benefacere in reliquum tempus. Sed eo tempore obiit Romae. Congregavit idem Abbas honeſtam Congregationem religioſorum hominum, & nobilium multorum, qui in regulari ſe propoſito optime conſtringebant. Ordinem ſtatuit ſupra conſtitutum talem, ut quotidie Canticum Graduum dicerent; ad Miſſam Litanias quotidianis diebus facerent; & familiares Pſalmos ſuper Formas cantarent. Conſtituit, ut quotidie ad Miſſam Defunctorum omnes panem & vinum offerant pro animabus Chriſtianorum; ad Miſſam vero majorem viciſſim offerant. Item die Luaae Prior a coena cum aliis a dextera, de altera qui aſſiſtunt, & ad pacem, qui offerunt, pergant. Conſtituit, ut omni tempore in Clauſtro laventur pedes tribus pauperibus, & juſtitiam de pane & vino Monachorum accipiant, cum nummi deſunt. Conſtituit, ut proceſſionem diſcalceati per Clauſtrum diebus certis faccrent cum Cruce & Aqua ſancta, ut habetur in Ordinario. Conſtituit, ut in Quadrageſima ſemper ſecundâ Feriâ ad beati Patris Benedicti Specum omnes Fratres pergant cum pſalmodiâ diſcalceati aut calceati, ut Prior juſſerit, cum Cruce & Aqua Sancta. Conſtituit, ut in feſtivitate Patris Benedicti faciant ſolemnem Proceſſionem ad Specum omnes reveſtiti cappis, praecedentibus eos famulis cum victricibus ſignis: vadant bini & bini: Converſi ferant Aquam ſanctam, Crucem, candelabra, thuribu-

A la poſt Crucem: portetur textus Evangelii poſt capſam Reliquiarum, poſt Iconam ſancti Patris noſtri Benedicti, cantantes Reſponſoria & Pſalmos: ibique Miſſarum officia cum omni devotione perſolvant; & ſic demum ad Coenobium revertantur, exutis ſacris veſtibus, cum Pſalmis. Conſtituit, fieri Octavam ipſius feſtivitatis. B Conſtituit, ut ipſo die poſt coenam faciant Vigilias pro animabus omnium Abbatum ipſius Monaſterii, ſonantibus omnibus ſignis. Mane ſimiliter ad Miſſam omnia ſonent ſigna: & unus de his, qui ſtant in Formis, ſit reveſtitus in cappa ad officium: Infantes verò in albis ad Gradale & Tractum, Presbyteri & C Diaconi & Subdiaconi in nigris caſulis: Cerophani in albis ipſo die praeparentur. Ab Hoſpitali duodecim pauperibus refectio, & omnibus Fratribus in Refectorio caritas praebeatur. Similiter faciant in feſtivitate Sancti Gregorii Papae pro animabus omnium Pontificum Romanorum. In ſecunda Feria Quadrageſimae pri- D mae hebdomadae faciant ſimiliter pro animabus parentum ſuorum. In ſecunda Feria ſecundae hebdomadae pro animabus familiarium. Reliquis diebus pro omnibus communiter defunctis. Conſtituit, ut de cellis circumquaque poſitis ſigillatim ſuis in diebus acciperent Fratres piſces, ad ſufficientiam refecti omnes. Conſtituit, E ut Letaniam majorem, quam ante ad Eccleſiam Sancti Laurentii faciebant, ad Specum Patris Benedicti facerent. Sed & omnem vicinam Abbatiam illo die illie venire praecepit, dicens, juſtum eſſe Romanam Eccleſiam imitari, ut ſicut illi ad Sanctum Petrum, ita nos ad beatum Patrem Benedictum feſtinantes, noſtra ei vota reddamus.

Dedit Monaſterio ſub anathematis vinculo Caſtellum, quod Sanctus Gregorius dedit, Apollonium, totum pro veſtimentis & calceamentis Fratrum. In Sublacu tot Inſervientes Monaſterio dedit, ut poſſent opera exercere. Fecit munitionem in Colle, qui dicitur..... ad expugnandum Lantonem multo expendio, quam poſt facto pacto deſtruxit. Similiter in Colle, qui dicitur *de Certan*, cum multi expendiis fecit munitionem, quam poſtea facto pacto deſtruxit. Haec omnia ideo ſcribimus, ut cognoſcatur, quantas hic vir tribulationes & anguſtias in tantis pertulerit negotiis, & quomodo forti pectore pro Sancti Benedicti bonis pugnando ſuſtinuerit adverſa. In vigeſimo tertio anno ordinationis ſuae Piſcanum acquiſivit multo expendio. Poſt quinque denique annos dedit Piſcanum, & Roccam Sancti Stephani acquiſivit. Fecit in Monaſterio Sacrarium opere pulcro, ubi conceſſit ad Eccleſiae regimen ea bona, quae in Specu Dominus dederit, & duas alias Eccleſias: Sancti Johannis in Peſcolo poſitam, & Sanctae Mariae de Arzula. Feeit Paraturas Eccleſiaſticas: Pluviales viginti, Planetas tres, Dalmaticas tres, Albas viginti, Pallium de Altare Sacramentorum, coopertum argento & auro. In Eccleſia duas Cruces ligneas pictas: fecit Iconam rotundam ex argento & auro miro opere laboratam: calicem de puriſſimo auro, penſantem libras duas. Fecit & alios calices de argento pulcherrimo, penſantes libras octo, & alia minora Altaria: Itineraria duo ex auro & argento ac gemmis ornata. Acquiſivit candelabra ex cryſtallo & auro: duo tapetia, bancalia, cortinas ſericas, & lineas. Aequiſivit Crucem de argento aura-

A

to. Feeit Libros: Librum Confeſſionum Sancti Auguſtini: Libros Iſidori duos: Librum Pſalterii Hieronymi: Antiphonaria diurna & nocturna: Librum Regulae: Librum Conſuetudinis: Librum Epiſtolarum. Fecit Arcile ad recondendum Libros, ſculptum mirà pulcritudine. Feeit in Eccleſia Analogium, pulcro opere

B

laboratum. Fecit Iconam magnam in capite Chori, auro coloribuſque pulcre depictam. Feeit ibi domum Infirmorum amplam & ſpatioſam coenaculatam, donans ibi molendinum unum, & Eccleſias duas, ſcilicet Sancti Polaſii; & Sancti Quintini, ad Infirmorum ſuſtentationem. Fecit ibi domum ampliſſimam ad ſuſceptionem Peregrinorum & Hoſpitum, cum

C

caminatis & utilitatibus ſuis. Ibi & fecit Eccleſiam in honore Sanctae Mariae, quam a Domino Petro Anagnino Epiſcopo conſecrari feeit, miro opere laboratam, cum Campanile ſuo, donans ibi terras, vineas, oleas, & unum molendinum pro neceſſitatibus advenientium &

D

ſervientium. Ibi feeit ante Portam Monaſterii Arcum Romano opere, ſuper quem pulcram conſtruxit Eccleſiam, & juxta domum amplam coenaculatam, ad venientium ſuſceptionem. Fecit in Specu eryptas & gradus ab exitu Eccleſiae Sancti Silveſtri uſque ante Sancti Benedicti januam, quae nimis parva erat. Acquiſivit Eccle-

E

ſiam unam in Campania, vocabulo Sancti Leucii, poſitam in..... cum caſis, vineis, terris, libris, paraturis, cum animalibus, & cum omnibus pertinentiis ſuis. Acquiſivit & alteram in Campania Eccleſiam, vocabulo Sancti Blaſii, poſitam territorio Anticulano, cum ceteris caſis, vineis, libris, paraturis, & cum omnibus pertinentiis ſuis. Acquiſivit

Eccle-

Eccleſiam vocabulo Sancti Johannis, poſitam Valle Tiburtina in Caſtro Anticulo, cum terris, caſis, vineis, libris, paraturis, animalibus, & cum omnibus pertinentiis ſuis. Iſte in Campania Caſtro Crebana acquiſivit hereditatem de Siluro, quantacumque fuit, intus & foris Caſtro. Acquiſivit in Palliano Eccleſiam unam, vocabulo Sancti Sebaſtiani, cum caſis, terris, vineis, & cum omnibus pertinentiis ſuis. Acquiſivit in Marſicano territorio Eccleſiam, vocabulo Sancti Pauli, poſitam prope vallem Soronam, cum caſis, vineis, terris, libris, paraturis, cum omnibus pertinentiis ſuis. Acquiſivit in Valle de Nerphea Eccleſiam vocabulo Sancti Benedicti cum terris, caſis, vineis, & cum omnibus bonis ſuis. Acquiſivit Narnia Eccleſiam vocabulo Sancti Anaſtaſii, cum caſis, terris, vineis, libris, paraturis, piſcariis, & cum omnibus ad ſe pertinentibus. Acquiſivit in Colle de Scecia Eccleſiam vocabulo Sancti Stephani cum caſis, terris, vineis, & cum omnibus bonis ſuis.

In anno quadrageſimo primo ordinationis ſuae, Papam tunc Paſchalem rogavit, ut ad Coenobium Sancti Benedicti veniret, & ſuis eum beneficiis cumularet. Venit itaque, & ſuſceptus, ut Apoſtolicum decebat, honore, in Capitulo ſedebat cum Fratribus, & promiſit locum diligere & exaltare. Ibique Miſſarum ſolemnitate peracta, ſcilicet Octavarum die Genetricis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ibi pernoctavit. Alterâ verò die venit ad obſidionem Caſtrorum Effidis, & Pontiae, cum Romanis, Campanis, & cum Abbatiae hominibus: & expugnaverunt Caſtrum die illa & altera. Tertia autem die habitatores Pontiae ſuccenderunt totam Terram ſuam praeter Palatium, ubi Ildemundus cum conjuge & filiis manebat..... quia reſiſtere ſe non poſſe vidit, ſupradictos Ildemundum in Turre illa, eo quod Abbas cum hominibus Abbatiae & Campaniae deſuper expugnabat eos cum baliſtis & fundibulariis & machinis & reliquo genere armorum. Tamdem nutu Dei victi ſunt & conſternati ſuperbiâ ſuâ. Interea demum ſecuritate accepta dedit Turrim in manibus Domini Abbatis Johannis, & hominum, & firmavit ſacramento, quod Effidem cum duabus Turribus ei traderet, ſi ipſe Abbas ſibi & quatuor filiis ſuis beneficia cum fidelitate ipſorum donaret. Fecit hoc Abbas, tamen cum conſenſu Papae praeſentis. Altera autem die dedit in poteſtatem Abbatis Caſtrum Effidis, ſicut promiſerat, cum Turribus ſuis. Abbati verò in poteſtate tradidit Papa, & retinuit ſibi Pontiam, quae olim fuerat a Monaſterio acquiſita, donante Domino Nicolao Papa Secundo ſub pretio centum Librarum; tamen dedit pro eo Papa quinquaginta Libras. Poſt haec Papa reverſus eſt ad Monaſterium; & altera die dedicavit in Specu Altare in honorem Sancti Benedicti & Sancti Mauri, V. Kalendas Septembris. Hoc facto Papa ivit Sabinam. Tunc Abbas adiit eum, regans dari Monaſterio Caſtrum Effidis, ſub pretium centum Librarum. Itaque Paſchalis Papa dedit Caſtrum in poteſtate Domini Abbatis, & centum Libras accepit, VII. Idus Septembris. Ildemundo, quod promiſerat, adimplevit, uſque dum in ſua perſtitit fidelitate. Primo idem tempore fecit ampliari Eccleſiam, quam in Palatio Sublaciano factam eſſe diximus, quam & ipſe dedicari fecit a venerabili viro

Conono Epiſcopo Praeneſtinenſis Eccleſiae, collectis ibi multorum Sanctorum Reliquiis. Requiſivit idem praenominatus Johannes pro affectu Monaſteria facta a Sancto Patre Benedicto, & a fundamento reaedificari juſſit duo ex his, unum ſcilicet in honorem Sancti Victorini, & alterum in honorem Sancti Johannis Baptiſtae: quibus & praedia contulit ad utilitatem Deo ibidem ſervientium. Fecit in Specu in crypta primi introitus dedicari Altare a venerabili Petro Anagniae Epiſcopo in honorem Sanctae Dei Genitricis Mariae, & Sancti Silveſtri Papae, deſtructis prioribus Altaribus, quae ab aqua corrumpebantur & collabebantur, decurrente per petram ipſius cryptae. Fecit ibidem in Eccleſia Sancti Benedicti dedicari Altare a religioſiſſimo viro Adam Alatrenſi Epiſcopo, in honorem Sanctae Anatoliae Virginis & Martyris cum exultatione cunctorum. Fecit murari & renovari Eccleſiam Sancti Romani in aptiori loco cum manſiunculis juxta ſe, quam dedicari fecit a Maifredo honeſto viro Tiburtino Epiſcopo. Fecit parare viam, quae ducit homines ad Specum magno faſtigio. Hic bonus vir, amore Patris Benedicti ductus, omnes ſuos defunctos conſanguineos in Monaſterio adduxit cum bonis ſuis. Derique ſororem ſuam, nomine Meriam, ab Ambuca defunctam ad Monaſterium vexit cum bonis ſuis in pretio viginti Librarum. Similiter & Rainerius fratrem ſuum a Civitate Praeneſtina duxit defunctum cum bonis ſuis in pretio ſexaginta Librarum. Ex eo tempore coeperunt vicini & longinqui Nobiles ibidem quaerere Sepulturas; quod antea non erat. Praecepit igitur; ut tota Abbatia mortuos ſuos ad Monaſterium ducerent ſepeliendos: quod antea vix Sublaciani faciebant.

Temporibus ejuſdem Johannis Abbatis, Bertrahimo in ſecunda Feria poſt Quinquageſimam furatus eſt Caſtrum, quod dicitur Giranum. Quod mox ut Abbas audivit, maximo collecto exercitu Caſtrum viriliter obſidere coepit, adeo ut inde nec egredi aliquis, nec ingredi poſſet. Miſit de hoc literas ad Papam Paſchalem, rogans, & humiliter poſtulans, ut ſe ſuper haec juvaret. Apoſtolicus autem haec multum aegre ferens, tum quia [illegible]er treugam factum erat, tum quia Abbatem diligebat, miſit Trevanum ſuum, Cetulum nomine, qui ſupradicto Bertrahimo ex Apoſtolica auctoritate praeciperet, ut ſine mora Caſtrum Sancto Benedicto redderet. Actumque eſt per Dei voluntatem, ut Caſtrum Abbas recuperaret, & quia Apoſtolicus hoc mandaverat, & quia qui illud tenebant, vivere ibi non poterant propter alimoniarum inopiam, ab Abbate, ut dixi, undique circumſepti. Idem praedictus Abbas ab initio ſuae ordinationis anxius fuit acquirere Roccam, quae dicitur in Camerata: ſciebat enim, quod juris erat Monaſterii. Quod per Dei voluntatem effecit. Emit namque a filiis Oderici, dando eis triginta Libras, & juvando eos de guerra, quam habebant cum Oddone de Palumbaria. Idem Domnus Johannes Abbas Caſtrum Senna in beneficium dedit Creſcentio Alatrino Epiſcopo, quia ejus conſanguineus erat. Quod Caſtrum procedente tempore quidam familiaris jam dicti Epiſcopi prodidit Trevenſibus. Quo Abbas audito, maximum undique congregavit exercitum, & eum obſidere coepit, & eos ad deditionem cogere, qui ibi erant. Quod quidem Caſtrum cum

expu-

expugnare non poſſet, miſit literas Apoſtolico Paſchali, rogans, ut ſe ſuper hoc juvaret, & praeciperet Trevenſibus, ut ſibi Caſtrum redderent. Quod & Apoſtolicus fecit: ſed minime profuit. Dicebant enim Trevenſes, non eſſe juris Sancti Benedicti, ſed ſui. Propter quod cauſati ſunt ad invicem Abbas & Trevenſes. In quo judicio ex parte Abbatis fuit Manfredus Tiburtinus Epiſcopus, cum Judicibus & Advocatis Tiburtinae Civitatis. Actumque eſt per Dei voluntatem, ut ſententia daretur pro Abbate victoriam obtinendo. Et per ſcripturam confirmatum eſt, ut Trevenſes ſuper hoc ultra non habeant poteſtatem inquietare Monaſteria Sancti Benedicti. Pro quo negotio praedictus Abbas expendit fere ſexaginta Libras argenti. Per idem tempus fecit fieri Chartam acquiſitionis & proprietatis in perpetuum a Papa Paſchali de Pontia & Effide, quae Caſtra antea acquiſiverat, ſicut ſupra ſcriptum eſt. Idem Papa rogatus ab Abbate fecit Privilegium Monaſterio Sancti Benedicti, quomodo confirmavit omnia pertinentia ei, & Pontificali Praecepto roboravit. Deſtruxit etiam munitionem Montis Antonini ex Apoſtolica permiſſione, quam Ildemundus tenebat Monaſterio Sancti Benedicti. Unicus verò ipſe fuit poſt Sanctum Benedictum a Deo benedictus, qui tanta bona acquiſivit Monaſterio, quod nullus crederet, niſi iſta perlegeret. Mortuus eſt poſt haec venerabilis Abbas Johannes Anno quinquageſimo ſecundo ejus Abbatiae, Sexto Nonas Maji, Abbatiam in pace relinquens, & honorifice a Fratribus in Monaſterio ſepultus eſt juxta ejuſdem Eccleſiae murum.

A Trigeſimo tertio loco ſedit *Petrus Abbas*, conſecratus in ordine Abbatiae a Caliſto Papa II. Primo anno ordinationis ſuae coeperunt ei multa bella a vicinis omnibus circumquaque conſurgere: quibus ipſe viriliter reſiſtebat. Sed Tiburtini, ut pote qui tunc potentes erant, eum vehementius & validius urgebant. Hi primo
B invaſerunt & abſtulerunt ei medietatem Caſtelli de Sancto Angelo, quod communiter tenebant; quod procedente tempore tunc depopulatum eſt, cum Romani tempore Thebaldi Praefecti ſupra Tiburtinos venerunt. Hi etiam praepotentiae nimietate & locorum in Civitate coeperunt adeo
C Caſtrum Apollenenſem oppugnare: quod Abbas vix illud obtinere poterat; quodque per hoc Papae Honorio Eccleſiam Sancti Benedicti ſervandam commiſit. Pro cujus poſtea incuriâ Caſtrum deſtructum eſt. Nam Tiburtini, ut dicitur, ex conſenſu Papae ſimul cum Gregorio de Anticulo illud meſſionis tempore aggredientes, & fere omnes illius incolas
D capientes, ceperunt, ac paulo poſt omnes ejus muros deſtruxerunt. Poſtea autem procedente tempore, cum Tiburtini diſponebant intrare in Burbaranum, ex praecepto Abbatis eis obviare volentis, Caſtrum igne crematum eſt. Timebat enim, ne domos illius exinde ad conſtruendum
E Podium tranſportarent. His praemiſſis, quomodo Podium de Caſa Populi conſtructum ſit, dicamus. Milo Tiburtinorum Rector, callide exegit ab Abbate, ut pateretur, homines Giranenſes, illos videlicet, qui erant ex portione Sancti Laurentii, ire cum domibus atque eum omnibus ſuis ad conſtruendum & inhabitandum Podium de Caſa Populi: quod Abbas invitus permiſit, quia portione

ne illa diſcordias inter eos enaturas videbat. In quo ſcilicet Podio Tiburtini Turrim altam & firmam aedificaverunt, itemque vallo & foſſa illud undique munierunt: pedites quoque & ſagittarios ad Caſtri curam, & ad Abbatiam impugnandam deſtinaverunt. Cum ergo hoc ſecus evenit, quam Abbas crediderit, atque Abbatia nimis exinde infeſtaretur, conſtruxit Turrim, quae ſupra Giranum eſt. Tum incoepit modis omnibus excogitare, quomodo Podium capere ac deſtruere poſſet. Inter haec acquiſivit Caſtrum Monticaſalia, ac ei, qui illud tenebat, dedit Roccam de Incamerata, eo videlicet tenore, ut ipſe exinde ſibi hominium faceret, & eam pro ſe recognoſceret, & a Sancto Benedicto eam nullo tempore ac nullo modo alienaret. Item in Sublaco dedit ei ſcudum unum, & demum unius Militis apparatum. Non autem multo poſt Lando filius praedicti Gregorii, qui jam dictam Roccam tenebat, coepit habere verba cum Oddone de Palumbaria, ut daret eam illi. Quod ubi Abbas praeſenſit, locutus eſt cum praedicto Oddone, atque cum eo pactus eſt, ut ipſe ex aequo ſortiretur cum eo Roccam, ſi juvaret ſe ad Roccam recuperandam. Hoc ergo ita diſpoſito, quadam nocte aggreſſi ſunt eam, quam & ceperunt. Poſtea verò dedit praedictus Abbas ſexaginta Libras, & redemit ſibi portionem praedictae Roccae, quam ex conditu habebat Oddo de Palumbaria. Poſt hoc quadam die in feſtivitate Sanctorum Cryſanti & Dariae, omnibus Abbatiae hominibus in expeditionem coadunatis, machiniſque multis praeparatis Podium, de quo ſupra diximus aggreſſus eſt, atque illud viriliter oppugnans, cepit, captumque depraedatus eſt. Ac poſt haec radicitus & funditus per omnia deſtruxit. Acquiſivit praeterea Caſtrum, quod dicitur Collis Altus, emitque a Gregorio Bertraimo de Fumone medietatem ex integro totius Caſtri pro pretio triginta Librarum: a quibus etiam munitionem accepit, quam ipſi tenebant. Reliquam medietatem aliam idem emit ab aliis conſortibus, qui ibi ſuas juriſdictiones habere videbantur. Hic etiam ex quo Tiburtini aedificaverunt munitionem Buburani, atrocior fuit, ut eam acquireret, & recuperare potuiſſet, ſciens eam in hereditate Sancti Benedicti conſtructam. Super quo etiam multoties apud Papam Innocentium querelam depoſuit, ubi antea in manus Papae Innocentii per guerram, quam cum Tiburtinis habuit, devenit, coepit eum cum aſſiduis precibus rogare, ut munitionem illam Sancto Benedicto redderet, cui jure hereditario competebat. Cum ergo in infirmitatem Apoſtolicus decidiſſet, & in extremo vitae ageretur, reductum eſt ei ad memoriam ab Abbate. Apoſtolicus verò compunctus, Sancti Benedicti juſtitiam recognoſcens miſit, ac ſine mora reſtitui fecit Bubaranum, & Apollonium, quod deſtructum erat, atque a Tiburtinis poſſeſſum, itemque omnia circum adjacentia, quae juris erant Sancti Benedicti, atque ab eo injuſte alienata. His praelibatis ea, quae in Monaſterio acquiſivit, conſcribam. Fecit fieri Tabulam ante Altare: argenteam Crucem majorem: quatuor Calices, duos majores, & duos minores: duo Bacilia: unam Scutellam pro ſale: unum Caldare pro aqua benedicta cum Aſperſorio. Obiit Abbas Petrus vigeſimo ſecundo ordinationis ſuae anno, relinquens Monaſterium

ſterium plenum omnibus bonis & Abbatiam plenam Militibus bene apparatis.

Trigeſimo quarto loco ſedit *Oddo Abbas* temporibus Eugenii Tertii Papae. Fuit vir honeſtus valde. Hic ſedit in Abbatia niſi per novem dies. Infra hos dies quidam de Monachis, non recto zelo ducti, ſed obedientiarum promiſſionibus, taliter cum Philippo Nepote Abbatis Petri, & Androcio de Ponte, & Oddone de Podiis egerunt, quod Oddonem Abbatem depoſuerunt, & Raimonem hujus Monaſterii Monachum, germanum videlicet ſupradicti Oddonis & Androcii, & cognatum Philippi, licèt injuſte, Abbatem fecerunt, & adjutus a duobus Cardinalibus, Octaviano ſcilicet & Gregorio Sancti Angeli, ab Eugenio III. Papa conſecratus eſt. Tunc datum eſt Feudum Sublimano germano praedicti Octaviani in Cerreto per praedictum Raimonem. Reverſo ſupradicto Raimone a conſecratione, in brevi tempore cuncta mobilia, videlicet quae Abbas Petrus reliquerat, cum ſuis conſanguineis devaſtavit, pluresque Milites de Abbatia expulit. Hoc denique tempore Philippus cum Oddone fratre ſuo eum hominibus Abbatiae levam fecit, & Pontiam, & Effidem abſtulerunt. Trevenſes verò quoque Collemaltum, Gennam, & Montem Porcarium abſtulerunt. Tantùm ille miſer in Eccleſia portas majores ampliare fecit; & ſedilia, quae ſunt tranſverſum cum podiis, quae ſtant ante Altare, ſimiliter fieri fecit. Redeunte Papa Eugenio de Francia, auditâ famâ iſtius Raimonis, vocavit ad ſe eum, increpans atque reprehendens acta ejus, & dimiſit eum redire. Deinde miſſo Gregorio Cardinali, qui eum excommunicavit, & in Arce Sublacenſi obſedit, ſic eum de miniſtratione abſtraxit, dans ei Caſtrum Morani, ut ex eo vitam haberet. Poſt hoc Monachi volentes Abbatem facere, ſecundùm quod in Privilegiis continetur, reſiſtebat eis Dominus Papa dicens, eos eligere non poſſe, quia Privilegiis abuſi erant, quod male elegerant. Tamdem convenerunt Dominus Papa & Monachi in quemdam Monachum Caſinenſem nomine *Simonem*, habentem locum in Monaſterio iſto, qui tunc temporis valde honeſtus habebatur. Fuit namque hic Simon de genere filiorum Burelli de Sangro. Qui cum eſſet Subdiaconus Romanae Eccleſiae apud Franciam in ſcholis, vocatus eſt a Domino Papa & Monachis, & factus eſt Abbas. Non multo poſt haec effectus eſt Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae in Domnica. Qui poſtquam venit in Abbatiam, Domini Papae adjutorio recollegit Pontiam & Effidem, quae tenebant Philippus & Oddo frater ejus. Tunc datum eſt in Canterano Feudum Philippo. Oddoni datum eſt in Feudum Tovanellum. Caſtella verò, Collemaltum, Gennam, & Montem Porcarium, quae Trevenſes tenebant, de manibus eorum abſtulit. Munitionem verò Sublacenſem, quam Diaconus Sancti Angeli gubernabat, Dominus Papa Monaſterio reddidit. Tunc datum eſt Feudum in Cerreto Petro de Jacynto, germano ſupradicti Gregorii. Tenuit hic *Simon Abbas* Monaſterium & Abbatiam quiete & proſpere cum Comitatu Campaniae per decem annos. Undecimo autem anno ordinationis ſuae Philippus, qui tunc in Auguſta habitabat cum quodam Milite, Recaldo nomine, qui Roccam Canterani tenebat, contra Abbatem levam fecit,

fecit. Itaque fere totam Abbatiam contra eum irritavit. Et quia Abbas hoſtes ſuos ſuperare ſperabat, tunc tantùm Caſtrum Appollonium ..... Romanis viris in pignus poſuit, & de Monaſterio omne argentum & pallia abſtulit, videlicet viginti Pluviales, tres Planetas, duas Dalmaticas, duas Tunicas, tres Doſſalos, tria Veſtimenta Altaris, quinque Calices, tria Thuribula, duo Vacilia, duas Caſſellas, ſeptem Candelabra (quatuor ex his Candelabris erant magna, & duo minora) unam Crucem magnam, quae tunc temporis dicebatur Crucifixum, unam Yconam, unam Caldarellam cum Aſperſorio, duos Libros ..... unam Mitram valentem pluſquam centum Florenos. Accidit, ut alia die, cum Abbas ad colloquendum iret cum Tiburtinis, Philippus aggreſſus eſt eum in loco, qui dicitur Cona. Cum autem Abbas fugeret, quidam Nicolaus, qui dicebatur de Galgano, ipſius Abbatis Miles, apprehendit eum per habenam, eumque Philippo occulte tradidit. Philippus adduxit eum in captione ad Auguſtam; & cum timeret eum ibi habere, ut ne auferretur ab eo, dedit eum Riccardo de Arzulo ad cuſtodiendum. Ut autem fratres audierunt, venerunt, & abſtulerunt eum a Riccardo, & duxerunt eum Romam, & poſuerunt eum in Gubernacula. Abbas verò de captione ſe liberavit. Dedit Roccam Sancti Stephani in pignus quibuſdam Romanis, & ab eo acceptum tradidit Senatoribus, & ſe liberavit. Deinde venit Effidem, & quid ei poſtmodum acciderit, minime ſcire poſſumus. Tunc Fratres anguſtiati, ac tribulati, quod ſic Monaſterium & Abbatia in nihilum redacta fuit, de conſilio aliquorum ſapientum manifeſtaverunt & oſtenderunt Privilegia Papalia, & jura Imperialia, & ſpecialiter Privilegium Sancti Gregorii; & ſic obtinuerunt aliqua Caſtra. Cujus tenor Privilegii Sancti Gregorii talis eſt.

GRegorius Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo & prudentiſſimo* Honorato *Presbytero & Monacho, atque peritiſſimo* Abbati *venerabilis Monaſterii ſancti Confeſſoris ac Patris Benedicti, & ſanctae Virginis ſororis ejus Scholaſticae, quod poſitum in Sublacu, tibi, tuiſque Succeſſoribus ibi Deo ſervientibus, vel introëuntibus in perpetuum. Si ſemper ſunt concedenda, quae piis deſideriis congruunt, quanto potiſſimum ea, quae pro divini cultus praerogativa nocuntur, nullo pacto a devotis largitoribus, ipſis petitoribus minime neganda utique ſunt? Petiſti a nobis igitur, quatenus concedamus, ſive confirmemus tuae Religioſitati, ſi quae dicti Monaſterii Sancti Benedicti & Sanctae Scholaſticae, quae ponuntur in Sublacu, cum Cellis & Coenobiis, & cunctis ſuppellectilibus eorum, una cum Specu, ubi ſanctiſſimus Benedictus eremiticam vitam duxit, cum omnibus intra ſe, & circa ſe, cum criptis, ac eis, quae ſibi ad limitem omnino ſunt. Verùm etiam locum veſtrum cum Piſcaria, & aquaemolis ſuis, exeunte ipſa aqua in locum, qui nominatur Mandora. Item aquimolia & Piſcariam ſuam, quae pervenit uſque Marco, quae cognominatur de Ferrata, omnia Monti cohaerentia. Veſtro namque Monaſterio noſtra auctoritate ſint confirmata, ut nulli unquam hominum magnae parvaeque perſonae in ipſa aqua, vel Timida, ſeu in aqua, quae vocatur Anguſta, vel in aqua, que dicitur Bullita, neque in Flaviolo, neque in aqua de Tovanello, neque in aqua, quae nominatur*

tur Cona, neque in nulla aqua de toto Sublaciano territorio aliquem hominem in quibuslibet de ipſis locis ſine conſenſu Abbatis ejuſdem Monaſterii, nullo praetextu ſtruere audeat ibidem aquaemolum. Et qui hoc fecerit, aquaemolum in jus tantùm Monaſterii cadat, & noſtro Palatio compoſiturus exiſtat auri cocti Libras triginta. Item confirmamus vobis detinendum Caſtellum, qui vocatur Sublacus, cum omnibus ſuis pertinentiis, vel adjacentiis, cum omni placito & datione ſua, una cum glandatico & herbatico, atque cuncta publica functione, ſicuti noſtro Palatio annuatim perſolvi ſolet. Praeterea ego Gregorius Sanctae Romanae Eccleſiae Praeſul ſcripſi Vitam Sancti Benedicti, & legi Regulam, quam ipſe Sanctus manu ſua propria ſcripſerat, laudavi & confirmavi eam in ſancta Synodo, & per diverſas partes Italiae, & ubicumque Latinae Literae legerentur, praecepi, ut ibi diligentiſſime eam obſervarent, quicumque ad converſationis gratiam aſcenſuri eſſent uſque in finem Mundi. Et confirmo duodecim Monaſteria, quae ipſe Sanctus conſtruxit, & in unoquoque duodenos Monachos conſtituit. Et confirmo Chartulam, quam fecit Tertullus Patricius de Tuſculana, & de Sublacu Fuliano cum Eccleſia Sancti Donati, & cum Turre, cum colonis & colonabus ſuis, & Sancta Maria in Surriſio uſque in mare. Et confirmo Chartam, quam fecit Euticius de Eccleſia Sancti Laurentii, quae eſt in Aqua Alta ad Catecumbas, & Cartulum, Gallicam, & Bonabellum, cum ſuis pertinentiis, ſicut per affines conſtat. Omnia quaecumque Sanctus Benedictus in Vita ſua acquiſivit, vel poſt tranſitum ſuum, a Pontificibus, vel a Regibus, aut Ducibus, vel aliquibus Chriſtianis in ſuo Venerabili Monaſterio dederunt.

A *Praeterea de mea hereditate, conſentiente* **matre mea**, *nomine* Silvia, *dono & concedo per hoc noſtrum Apoſtolicum Privilegium pro Dei omnipotentis & Sancti Benedicti honore, & pro Coenobii ſuſtentatione tibi ſupraſcripto Honorato per te & cunctos tuos Succeſſores in perpetuum detinendum in uſu & utilitate ipſius Monaſterii: ideſt*
B *Maſſam Apollonii cum omnibus ſuis generaliter, & noſtris pertinentiis pro anima noſtra,* **Genitoris mei Gordiani**, *& omnium parentum meorum vivorum & mortuorum Montem Vultuillam de Sancta Maria, ferentem in Piſcanum, & per ipſum rigum venientem in flumicellum de Vitenzanum, &*
C *ferentem in flumen Tiburtinum, ferentem in Collemates per ſuos affines, ferentem in Sanctum Stephanum, cum Eccleſia Sanctae Mariae in Tizana, & per ipſum rivum venientem in viam Tiburtinam, ubi ſtat Columna, trameante rivo in Montem, in Sancto Pamphilo, ferente in Caput Leonis, & aſcendente in Montemalo, & reverten-*
D *te in Sanctam Mariam de Vultuvilla. Hanc praeſcriptam Maſſam cum omnibus ſuis immobilibut locis, ut ſuperius legitur, a praeſenti Duodecima Indictione in perpetuum tibi, tuiſque Succeſſoribus concedimus & confirmamus in uſu & utilitate ipſius Monaſterii. Ita tamen ut infra annum Sacerdotes & Monachi ipſius Monaſterii pro redemtione animae noſtrae, noſtrorumque Suc-*
E *ceſſorum, clament in eadem Eccleſia centum* **Kyrie eleiſon**, *&* **centum Chriſte eleiſon**, *& Sacerdos ſacra Miſſarum ſolemnia pro abſolutione animae noſtrae, noſtrorumque Succeſſorum Pontificum omnipotenti Deo offerant, & Diaconi per unumquemque Pſalterium decantent. Statuentes Apoſtolicâ cenſurâ ſub divini Judicii obteſtatione, & anathematis interdictione, ut nullus*

unquam Succeſſorum noſtrorum Pontificum, vel qui publicis functus ſit actionibus, vel alia quaelibet magna parvaque perſona audeat, vel praeſumat de omnibus ſuperius dictis, vel de ſupraſcripta Maſſa Apollonii cum omnibus ſuis pertinentiis vel adjacentiis, ut ſuperius legitur, contra hoc noſtrum Pontificale Privilegium agere vel alienare, aut auferre, ſed potius firmum atque ſtabile perpetuis, ac ſempiternis temporibus, ita ut a nobis ſtatuta ſunt, decernimus permanendum. Si quis autem, quod non optamus, contra hoc noſtrum Apoſtolicum Privilegium temerator exſtiterit, & in quoquam tranſgredi, & tranſgreſſum ire voluerit, vel ei temerario auſu contraire praeſumſerit, & obſervator eſſe noluerit: ſciat, ſe auctoritate Domini noſtri, Apoſtolorum Principis Petri & Pauli, anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo, ejuſque atrociſſimis pompis, atque cum Juda traditore Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in aeternum ignem comburendum; ſimulque in voraginem, terrarumque chaos demerſurum cum impiis. Qui autem propitio intuitu cuſtodientes & obedientes, atque obſervatores hujus noſtrae ſalutiferae praeceptionis exſtiterint, benedictionis gratiam ac retributionis in aeterna gaudia a juſto Judice Domino Deo noſtro conſequi mereantur. Amen.

Scriptum per manus Benedicti Scriniarii ſanctae Romanae Eccleſiae, menſe Maji, Indictione Duodecima, Pontificatus Domini Gregorii in ſacratiſſima Sede Sancti Petri Apoſtoli Anno.... Indictione ſupradicta XII.

Benedictus Abbas ſapienter & diſcrete acquiſivit e converſo bona Sancti Gregorii, quae perdita fuerunt per Romanos tempore Benedicti Papae Noni a Domino Creſcentio Praefecto Urbis Romae, nec non a Domino Johanne inclyto Comite, ut habetur in Inſtrumento, quod idem Praefectus conceſſit de novo, & inde Privilegium feeit fieri Benedictus Papa. Et idem Praefectus Creſcentius Caſtrum Sancti Angeli Monaſterio Sublacenſi tradidit in iſta forma.

Creſcentius Praefectus, *atque una cum parentibus meis, tradimus & perpetuo confirmamus humili Abbati* Domno Benedicto Abbati *Monaſterii Sancti Benedicti, & Sanctae Scholaſticae Virginis, quod ponitur in Sublacu, Caſtellum, qui vocatur Apollonii, cum tota ſua permanentia in montibus & in planis; & quomodo habitatores de ipſo Caſtello manibus ſuis detinent, & placita illorum leguntur. Et de duabus portionibus de Caſtello novo, qui vocatur Sancti Angeli, & de cuncto territorio. Et de duabus portionibus de Romano Majore & Minore; & de Sancto Felice; & de Colle Bernardi; & de..... Papi conſervavimus Sancto Benedicto; & quomodo jam ante acquiſitare potuerimus in Sancto Benedicto infra iſto territorio, de omnibus ſupraſcriptis bonis & locis confirmavimus, & defendimus ab omni homine, qui moleſtare voluerit nos, vel noſtros heredes a ſupradicto Monaſterio ad Abbatem & Monachis Deo ſervientibus in perpetuum, a praeſenti hora, & in perpetuum conſervare in Privilegio.*

Ideo bonum eſt tenere Privilegia Apoſtolica. Faciunt contentioſos homines terrere. *Abbas* Leo tempore Leonis Papae Sexti acquiſivit a praedicto ſummo Pontifice Maſſam, quae vocatur Tubenſana, & Intermurana in integrum, eum fundis & caſalibus & omnibus vocabulis. Fundum Bulſanum, Fundum Cantaranum, Fundum Marana..... territorio Tiburtino, & Sublaco, ſeu Effide, milliaria

liaria ab Urbe Roma plus minus viginti, cum omnibus ad ipſam Maſſam generaliter & in perpetuum pertinentibus, & ita confirmavit, ſicut Sanctus Gregorius egregius Doctor fecit conſervare in Privilegio ſuo. Ibi omnia continentur. *Simon Abbas* Anno Domini MCLXI. tempore Alexandri Papae Tertii, quaeſivit & acquiſivit multa bona. Vixit multo tempore laudabiliter. Tempore ſuo Anno Dominicae Incarnationis MCLXXXIII. Menſe Novembris, tempore Papae Lucii Tertii, facta eſt quaeſtio magna & querela deposita per Oddonem Oeconomum Monaſterii Sublacenſis adversùs Ricerem de Arſula, de Caſtris Arſula, & utroque Rubiano, & Sancta Maria Velleri. Quae cauſa a Domino Papa commiſſa fuit Domino *Miloni Tiburtino Epiſcopo*, tractanda & terminanda ante ejus praeſentiam. Domnus Simon Abbas cum fratribus ſuis cum Ricere de Arſula ſemel & iterum ad Pontem Maram cauſati ſunt. Sed eum per eumdem Epiſcopum quaeſtio terminari non poſſet, & Domino Lucio Papae ſignificatum fuiſſet, eumdem Ricerem ad ſuam praeſentiam accivit, & laudabiliter determinavit, & Monaſterium omnia jura ſua obtinuit. Eodem tempore Rao de Rojats in Capitulo noſtro juravit Monaſterio Sancti Benedicti, & Domno Simoni Abbati primo pro Terra, quam in Rojata tenet, & ſemper contrarius fuit Monaſterio. Ideo ſic juravit.

Ego quidem Rao juro, quod amodo & in antea fidelis ero Monaſterio Sancti Benedicti, & tibi Domno Simoni Abbati, & non ero in conſilio neque in facto neque in conſenſu, quod perdas vitam aut membra, aut captus ſis mala captione propter Terram veſtram &

Sancti Benedicti, quam teneo, & praecipue Rojatam & Roccam.

Et juravit pro Feudo de Sublaco. Et ſic Abbas conceſſit habitationem Palatii de Rojata hinc uſque ad decem Annos, & Turrim dedit ad tenendum in manu Coſti & filii de Scarpa. Tranſactis & completis decem annis Palatium cum terris ſine contradictione vel aliqua diminutione reverti debet ad manus Monaſterii, & Domni Simonis, vel ejus Succeſſoris.

In diebus Domini Gregorii IV. Agareni deſtruxerunt Monaſteria, & ipſe reaedificavit Monaſterium Sublacenſe. Sicut Sanctus Honoratus poſuit fundamentum, ita ipſe in honore Sanctorum Coſmae & Damiani ſub vocabulo priori conſtruxit ſecundum. Reperimus & experti ſumus, quod in plsnitie Monaſterii Sublacenſis fuit primum Monaſterium in honore Sancti Clementis, vel Sanctae Mariae Virginis. Neſcitur veritas. Ego reperi, quod *Leonas* fuiſſet *Abbas* in Monaſterio praedicto Sancti Clementis. Utrumque poteſt eſſe verum, in honorem Virginis Mariae, & Sancti Clementis. Sed tempore Sancti Honorati fuit mutatum nomen, quia Monaſterium fuit aliter ordinatum. In qua quidem planitie adhuc ipſius Eccleſiae pars cernitur, in quo Monaſterio primo Benedictus pater Monachorum Occidentalium habitavit cum Mauro, & Placido, Tertullis, & Equitii Civium Romsnorum ſobole generoſa, & cum multis aliis, quos idem Pater tenerrime moribus inſtruebat divinis. Quod ſupradictum Monsſterium miro apparatu & opere marmoreo tabulatum fuit. Cujus pavimentum more Eccleſiarum almae Urbis, quadrstis & politis lapillulis interſtrabatur. Juxta quam Eccleſiam

almus Pater Benedictus ob recreationem sui ac discipulorum suorum, ut creditur, hortum pomiferum fieri jussit, ac de die in diem ambulans de virtute in virtutem, bonos ad amplius bonorum operum provocabat augmentum: malos autem invidiae facibus accensos contra se concitabat, sicuti experientia effectum rei postea declaravit. Refert Sanctus Gregorius in Dialogo suo de Presbytero Florentio, qui ex altera parte Laci habitans quamplurimum contristabatur, eo quod derelictus ab illis qui eum invisebant, ad Sanctum Benedictum confluentes, sui quaestus lucra perdiderat. Sed perdita lucra deplorans, convertit gladium invidiae in praeditum Patrem Benedictum, & panè venenato pro dono sibi transmisso moliebatur eum extinguere: sed non potuit, sicut luculentius patet ex dictis Sancti Gregorii superius memorati. Supradictus Presbyter Florentius videns Sanctum Benedictum divinâ fretum prophetiâ, nec in eum se posse praevalere, cogitavit animas discipulorum ejus ad nefandas turpitudines incitare, sicut ex sequentibus apparebit. Ut verò lucidius veritas rei conjiciatur, sciendum est, quod a domo Presbyteri Florentii, quae, ut diximus, ab altera parte Laci sita fuerat, usque ad alteram partem Laci ex oppositо erat Pons mirae magnitudinis, qui transeuntibus iter erat, cuius Pontis magna adhuc pars cernitur integra. A pede autem dicti Pontis usque ad praelibatum hortum ipsius Ecclesiae iter planum erat in modica distantia. Tunc enim temporis ille locus, vel vicus, qui vulgo Planello dicitur, habitabatur, qui contiguus erat habitationi Presbyteri Florentii. Ex quo quidem vico puellas septem sibi elegit, quae jussu ejus pontem transeuntes, directo tramite ad hortum praedictae Ecclesiae, nudae venerunt, quae chorizantes conspectibus praedictorum discipulorum se offerebant. De hac materia in Dialogo finem invenies. Supradicta Ecclesia, de qua superius mentionem fecimus, ex terraemotu vastata in toto fuit. *Abbas* autem *Landus*, qui Clausтrum hujus Coenobii Sublacensis quasi de novo construxit, ex ruina ipsius Ecclesiae fecit columnas & tabulas marmoreas, quas ex dicta ruina colligere potuit. Ex magnitudine autem ruinae maxima pars aedificii corruit, tantaque usque nunc & forsitan usque in aeternum, quae perdita fuerunt, per nullum viventem recuperabuntur. Repererunt marmoreas tempore nostro columnas. Post Anno Domini MCLXV. *Oddo Abbas* tempore Alexandri Papae III. illa omnia ornamenta Ecclesiae abstraxit, & miserabiliter vitam consumsit. Quodque Domnus Johannes pro Ecclesia acquisivit, ille vendidit & alienavit, in quantum potuit. Tunc ostensum fuit Cardinalibus, & summo Pontifici Privilegium Domini Paschalis, quando in propria persona ad Monasterium Sublacense venit, visitavit, & omnia ordinavit, & plura Castra acquisivit, ut habetur in Privilegio, cujus tenor talis est.

PAschalis Episcopus, *servus servorum Dei*, *dilecto filio* Johanni Sublacensis Monasterii Abbati, *ejusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum*. Glorificantes me glorificabo, *dicit*, *qui non mentitur*, *Dominus*. *Hoc veritatis suae promissum Deus benedictus in saeculo fideli suo Benedicto custodiens*, *eum mirabiliter non solùm in coelis*, *sed etiam in terris*

ris glorificare dignatus eſt, ut ipſa quoque loca, in quibus ipſe Dei famulus habitavit, glorioſa apud homines habeantur. Hanc Dei factoris diguationem nos quoque ipſius factura ſequimur, cum eumdem Patrem noſtrum in Deo glorificare curamus. Unde & locum illum, in quo Dei diſpoſitione prius habitaſſe, & ad glorificandum Deum Coenobium conſtruxiſſe, & multos ad Dei gloriam aggregaſſe cognoſcitur, cui videlicet Sublacum nomen, & glorioſum & venerabilem habemus, & Apoſtolicae Sedis auctoritate munimus. Tibi igitur, cariſſime Fili, & per te ſupradicto Sancti Benedicti Monaſterio confirmamus Specum, in quo idem ſanctiſſimus Vir in ſuo converſationis exordio habitavit, cum adjacenti Silva & Monte circum circa, & cum omnibus finibus aut pertinentiis antiquitus conſtitutis. Et ſub eodem Specu Lacum, ſive Fluvium ex eiſdem lacubus procedentem; in quibus videlicet aquis nemini praeter Abbatis & Fratrum voluntatem aut piſcari, aut molendinum aedificare, uſque in Arcum, qui dicitur de Ferrata (liceat). De Forma quoque antiqua, quae ducit aquam de flumine ad Plebem Sancti Laurencii, & de aqua, quae vocatur Auguſta, nemini liceat praeter voluntatem veſtram aquam derivare, niſi quantum ſufficiat hortis rigandis, & repleudo fonti Baptiſmatis in eadem Eccleſia; nec aquimolum quidquam illic praeter veſtram voluntatem aedificare praeſumat uſque in ſupradictum Arcum de Ferrata. Si quis verò aliter egerit, banno Romanae Curiae diſtringatur, cujus banni medietas ſacro Palatio, medietas verò eidem Monaſterio perſolvatur. Confirmamus etiam vobis & veſtro Monaſterio Caſtellum, qui Sublacus dicitur, cum omnibus ſuis pertinentiis, ſicut a Praedeceſſoribus noſtris conſtat eſſe conceſſum, cum montibus & collibus, & fundis & caſalibus, cum omnibus Eccleſiis & rebus ad eas generaliter & in integrum pertinentibus. Fundum Cauali, & fundum Gennae in integrum cum pertinentiis ſuis: Fundum Fraſſiuum cum omnibus ſuis pertinentiis; & locum, qui Fundi vocatur, ſicut extenditur uſque ad Petram Imperatoris, & vadit in Montem, qui vocatur Pionica, inde per Serram in Montem Romanum, & exit in Campum Longum, inde in Campum Catiuum, deinde redit ad ſupradictam Petram Imperatoris. Et locum, qui dicitur Geminarium cum finibus ſuis, ſicut Anteceſſorum noſtrorum Privilegiis continetur. Caſtellum Auguſtae cum fundis & caſalibus ſuis, & Caſale Sanctae Felicitatis, cum eadem Eccleſia cum fundis & caſalibus ſuis, & cum omnibus pertinentiis ſuis, ſicut in eiſdem Privilegiis continetur. Roccam Cervariam cum fundis ſuis, & ſuis Caſalibus, & cum omnibus ſuis pertinentiis. Caſtellum Marauum, & Roccam Martini, & Roccam de Neſſo, cum omnibus ſuis pertinentiis. Caſtrum Canteranum cum Rocca ſua, & cum fundis & caſalibus ſuis. Montem de Groſſo, Vallem frigidam; Montem de Meſu, & Funſtellae, cum omnibus eorum pertinentiis. Caſtellum Cerretum cum omnibus pertinenciis ſuis. Caſtrum Giranum cum montibus & collibus, fundis & caſalibus, quemadmodum Monaſterio congruere videtur, cum maſſis & omnibus ſuis pertinentiis, cum veteri hereditate Monaſterii. Caſtellum Appolloni cum montibus & ſuis caſalibus, & medietatem Caſtri Sancti Angeli, cum Eccleſiis, & fundis, maſſis, & pertinentiis eorum. Roccam Sancti Stephani cum pertinentiis ſuis. Vallem de Annito, Collem de Octia, cum montibus & collibus, fundis & caſalibus ſuis. Tovanellum, Fundum Ottanum,

Fun-

Fundum Maciomanum, Fundum Camanum, Fundum Aquaevivae, & medietatem Montis Aſilani, cum omnibus pertinentiis eorum. Caſtrum Aſilae cum montibus & collibus, & cum omnibus eorum pertinentiis. Caſtrum Pontiae cum montibus & collibus, & cum omnibus eorum pertinentiis. Praeterea ex antiquo jure & tam Romanorum Pontificum, quàm etiam Imperatorum conceſſionibus & privilegiis ad idem Sancti Benedicti Monaſterium pertinere noſcuntur Sala Civitas, quae vocatur Carſeolis, cum maſſis, fundis, & caſalibus ſuis, & Auricula, Rocca de Butte, Rocca in Camerate, Rocca Roſunum, Arſulae, Rubianum, & aliud Rubianum ſuper fluvium, Anticulum, Garracineſcum, Rocca Demaſii, Rocca de Surici Siciliani, medietas Deiliae, Maſſa Sancti Valerii, Siſcanum, Mons Caſalis, Civitella, Olivanum cum omnibus fundis & caſalibus eorum. Oppidum Tuſculanae cum Rocca ſua & omnibus pertinentiis ſuis: Caſtellum Gallicanum cum Eccleſiis, fundis, & caſalibus, & omnibus pertinentiis ſuis.

Confirmamus etiam Cellas eidem Monaſterio pertinentes. Item Eccleſiam Sancti Angeli in Effidem poſitam: Eccleſiam Sancti Georgii, & cum omnibus earum pertinentiis, & cum veteri hereditate Sancti Patris Benedicti: Eccleſiam Sancti Angeli in Petralata: Sancti Sebaſtiani in Palliano: Eccleſiam Sancti Quintini; Sancti Blaſii in Antido; Eccleſiam Sancti Leucii in Babuto, poſito in territorio Campanino, cum omnibus earum pertinentiis. In Carſoli Eccleſiam Sancti Petri. In Camerata Eccleſiam Sancti Martini de Egellis, & Sancti Petri de Caſtruino. In territorio Marſicano Sanctum Petrum in Verſe: Sanctum Benedictum in Rivo de Meruli: Sanctum Thomam de Tranſaquas, cum Eccleſia Sancti Nicolai in

A *Vallis. In territorio ..... Eccleſiam Sancti Pauli in Villa, cum omnibus eorum pertinentiis: Sanctum Angelum in Albe: Sanctum Salvatorem in Avelano: Sanctam Mariam de Tuſſo, cum omnibus ſuis pertinentiis. In Valle Sorana Eccleſiam Sancti Pauli, cum aliis tribus Eccleſiis, & cum Villa juxta ſe poſita, & cum omnibus ejus pertinentiis. In*

B *Civitate Tiburtina Eccleſiam Sancti Antonini, Sanctae Crucis, & Sanctae Barbarae, cum omnibus earum poſſeſſionibus. Aliam Cellam ad honorem Sanctae Crucis in Quintiliolo cum olivето ſuo, & ceteris ſuis pertinentiis. Et ſex uncias de Eccleſia Sanctae Mariae in eodem Monte poſita. Fundum Calicianum, cum Eccleſia ſancti Petri, cum*

C *terris & vineis, ſicut per antiquos affines conſtat. Villam, quae vocatur Papicum: Eccleſiam Sanctae Mariae, cum terris & vineis; & Montem, qui vocatur Monicula, & Eccleſiam Sanctae Mariae, quae ponitur in Porta. Eccleſiam Sancti Sebaſtiani, cum omnibus ſuis pertinentiis. Aquimolos tres, unum Caſtrum veterem, alium foris Portam*

D *majorem, & alium in Veſta juxta Caſtellum Gallicani. Eccleſiam Sancti Paſtoris. Sancti Angeli, Sanctae Mariae, Sancti Laurentii in Aqua Alta, cum omnibus earum poſſeſſionibus. Romae Monaſterium Sancti Eraſmi cum domibus & hortis & ceteris poſſeſſionibus. Statuimus itaque, ut praedicta omnia, ſive poſſeſſiones, quas idem venerabile*

E *Monaſterium in praeſenti Septima Indictione poſſidet, quietae vobis & integrae conſerventur. Et quaecumque ad eius jus legitime pertinent, ſive Pontificum conceſſione, ſive Imperatorum & Principum liberalitate, ſeu quorumlibet fidelium oblatione, cum aliis juſtis & legalibus modis, in ejus jure ſemper & poſſeſſione permaneant. Nec ulli omnino hominum liceat eadem Sancti Benedicti*

vedili Monaſteria temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, vel injuſte datas in ſuis uſibus vendicare, minuere, vel temerariis vexationibus faticare; ſed omnia integra conſerventur, eorum, quarum ſuſtentationi & gubernationi conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Ad hoc propter frequentes injurias, quae ab Epiſcopis, vel Epiſcoporum Miniſtris, Monaſteriis ingeruntur, datam veſtro Cuenobio a noſtris Praedeceſſoribus facultatem vobis quoque ratam manere decernimus; ut ad Eccleſias, cum expedierit, dicandas, aut Clericos ſive in Monaſterio, ſive in Cellis, ſive in Caſtellis, aut Villis Monaſterii ordinandos, vel a nobis Epiſcopatum accipiatis, ſi ad nos pervenire in tempore potueritis, vel quem malueritis Catholicum Epiſcopum adeatis, qui Apoſtolicae Sedis fultus auctoritate, quae poſtulantur, exhibeat; nec a quoquam illius Eccleſiae Epiſcopo ſuper hoc contradictionem aut querimoniam patiatur. Et propter omnem cujuslibet Eccleſiae Sacerdotem in praefato Sancti Benedicti Monaſterio ditionem quamlibet habere, praeter Sedem Apoſtolicam, prohibemus. Obeunte autem ejus loci Abbate, vel ſuorum quolibet Succeſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia praepenatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum pars ſanioris conſilii, ſecundùm Dei timorem, & Sancti Benedicti Regulam elegerint. Electus verò a Romanae Sedis Pontifice conſecretur. Si quis autem Eccleſiaſtica, Secularisve perſona hanc noſtrae Conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove convicta, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtate honoriſque ſui dignitate careat, ſanque ſe divini Judicii exiſtere de perpetrata iniquitate ream cogneſcat, & a ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemtoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eumdem locum juſte ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti: Item & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem praemium aeternae pacis inveniant. Amen.

Scriptum per manum Notarii Sacri Palatii.

Ego Paſchalis Eccleſiae Catholicae Epiſcopus.

Datum Laterani per manum Johannis Romanae Eccleſiae Diaconi ac Bibliothecarii, Tertio Idus Aprilis, Indictione Septima, Incarnationis Dominicae Anno Milleſimo Centeſimo Decimo Quinto, Pontificatus quoque Domini Paſchalis .....

Praeterea Privilegium Domini Ottonis Caeſaris, quod propria manu ſignificavit, & plura Caſtra Monaſterio conceſſit, & Caſalia infinita, ut habetur in Privilegio ſuo, ubi legitur: *Ambroſius Cancellarius &c. Anno Dominicae Incarnationis DCCCLXVII.* videlicet Nonocenteſimo Sexageſimo Septimo, *Imperii verò Domini Ottonis piiſſimi Caeſaris Quinto. Actum Romae.*

Hadrianus multa conceſſit tempore Caroli Magni Imperatoris.

Stephanus Abbas, imperante Hadriano piiſſimo Papa, Anno IV. Imperii piiſſimi Caroli Imperatoris, Indictione Prima, menſe Auguſti .....

CAeſarius *Eminentiſſimus* Conſul & Dux, Filius *quidem* Pipini, *in perpetuum largior, atque offero, ideſt Fluvium Majorem noſtrum, qui cognominatur Ferrata, cum ripis ex utraque parte & aquaemolis & piſcariis ſuis habentem, una cum cunctis aquis, quae in toto Sublaciano Territorio noſtro*

ſtro repertae ſunt, Monaſterio Sublacenſi. Item concedo Urbem Coloniam, quae vocatur Seminaria, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis ſuis, nna cnm Monte, qui vocatur Auguſta, ſeu Monte, qui dicitnr Servana. Fundum Lanurani &c. & multa alia, ut habetur in Privilegio Papae Hadriani & Caroli Magni, & omnia confirmavit. Et alia bona idem Stephanus Abbas acquiſivit pro Monaſterio ſuo.

Nota quod duo Reges *Ugo & Lobarius*, divinâ providente clementiâ, multa bona obtulerunt Monaſterio Sublacenſi, Fratribuſque ibidem pro tempore Deo famulantibus. Inter cetera:

Per hoc noſtrae auctoritatis Praeceptum, Cnrtem hacllenns jnris Regni noſtri pertinentem, quae Sala dicitnr, cum omni ſua pertinentia, omnibuſque rebns ibidem aſpicientibus, conjacentibus in territoriis & finibus Snblaci, & Cicnli, & Reate, atque Savini, pro ut juſte & legaliter poſſumus, donamus, peuituſque concedimns atque largimnr, & de noſtro jnre & dominio ad uſum Monachornm transferimns. Etiam confirmamus & corroboramns, qnae ibidem collata ſnnt ab Imperatoribus, ſive Regibns Praedeceſſoribus noſtris &c., ut habetur in Privilegiis eorum.

Signa piiſſimorum Principnm Hngonis & Lotharii Regnm.

Siperandus Cancellarius, Anno Domini Nonocenteſimo Qnadrageſimo Primo, Regni verò Domini Hugonis piiſſimi Regis Decimoqninto, Lotharii verò item Regis Decimo, Indictione Decima quarta.

Actnm juxta Romam in Monaſterio Sanctae Agnetis.

De Imperatore Ottone, qusnta bona dedit.

Otto *ſuperna jubente clementia Romanornm* Imperator, *& jemper Augnſtus. Notnm ſit omnibus fidelibus noſtris praeſentibus & futuris, quod conceſſimns* (videlicet Ciſternum in Ciceratа) *cum omnibns terris, vineis, & hortis, juſte & legaliter acquiſitis, cnm noſtro Imperiali Praecepto confirmamus &c.* ut habetur in Privilegio dicti Imperatoris.

Signum Domni Ottonis Imperatoris Auguſti.

Eribertus Cancellarins &c.

Data III. Idus Auguſti, Anno Dominicae Incarnationis Milleſimo, Indictione XII. Anno Tertii Ottonis Regnantis Decimo Sexto, Imperii Quarto.

Acta Sublacenſi Sancti Benedicti.

Ut creditur, etism ipſe perſonsliter viſitavit Monaſt.rium, & alia multa conceſſit, donavit, confirmavit. Habentur etiam Privilegia Apoſtolicorum plurimorum, ſcilicet Nicolai Primi Papae, & Secundi; & Johannis Undecimi & Duodecimi; Gregorii Quarti; Benedicti Sexti, Septimi, & Octavi; Leonis Sexti, Septimi, Octavi, & Noni. Et multa Privilegia Regalia & Imperialia quaere in antiquo Libro, ut ſupra. *Abbas Umbertus* a Papa Leone Nono: & *Azzo Abbas* a Papa Nicolao: & *Leo Abbas* a Papa Leone Sexto; & *Johannes I. Abbas* poſt *Petrnm II. Abbatem* a Domino Benedicto Papa; & *Domnus Johannes Abbas II.* a Domino Paſchali Papa Secundo: iſti Abbates cum iſtis Summis Pontificibus ita ſubtiliter ordinaverunt, quod omnia Privilegia Monaſterii tam Imperialia, quàm Regalia, tsm a Principibus, quàm a Ducibus, ſive Comitibus, Baronibus, Militibus, ſive a quibuſcumque fidelibus, qui dederunt, & qui obtulerunt Monaſterio, quilibet Summus Pontifex de praedictis confirmavit, & ſuper hoc ſemper ali-

aliquid addidit, & conceſſit, ut habetur in Privilegiis eorum. Specialiter Dominus Papa Leo Nonus omnia bona Monaſterii in uno Privilegio poſuit tam Pontificalia, quàm Regalia, ut patet, ubi dicit:

Unde tibi, ſancte ac venerande Pater, tua tibi confirmamus, omni diligentiâ, omni devotione ..... ac ſaltem in tuorum pia & devota obſervatione digna Soror tua Virgo Scholaſtica tecum haec omnia habeat, & in perpetuum poſſideat. Fraterna caritate, ſpeciali reverentia ergo quaecumque vobis a Chriſti fidelibus conceſſa ſunt, vel poſſidentur, vel in poſterum poſſidebuntur, ſub obtentu ſummi Judicis, & auctoritate Sancti Petri Apoſtolorum Principis, per Privilegium ſanctae Romanae Sedis confirmamus & roboramus vobis. In primis Specum tenebroſum, corporis tui per aliquod tempus pro Chriſto vile reclinatorium, tibi actu & nomine regularis ..... Pater magne, diſcretionis, o Sancte Benedicte; ſicuti ſpecialiter tibi ſolitario ſolitarium elegiſti, ita etiam a te ſolo ſpecialiter diſponimus poſſideri. Ita omnia volumus a te, & a tua Sorore fraterna communione teneri: & reliqua quae nimis eſſet ſcribere, ut habentur in Privilegio ſuo.

Datum Secundo Calendas Novembris per manus Federici Diaconi, & ſanctae Romanae Eccleſiae, & Apoſtolicae Sedis Cancellarii, vice Domini Herimanni Archicancellarii & Colonienſis Archiepiſcopi.

Idem ſummus Pontifex aedificavit Specum in honorem Sancti Sylveſtri, & fecit fieri introitum, ubi nunc eſt Coemeterium Monachorum. Gregorius Quartus, videns, quod Agareni deſtruxerant Monaſterium Sublaeenſe, reaedificavit in honorem Sancti Benedicti, & Sanctae Scholaſticae Virginis, ſed non perfecit. Sed Leo Papa Quartus perfecit, & Benedictus Papa Septimus conſecravit ſub nomine Sancti Benedicti, & Sanctae Scholaſticae Sororis ejuſdem Patris. Quia non eſt credendum, quod Specum fuerit aedificatum in honorem Sancti Benedicti, ſed in honorem Sancti Silveſtri, quia verum eſt, quod *Johannes Abbas* miſit facere Altare prope Speluncam in honorem Sancti Benedicti, ut creditur, & hoc cernitur. Quando Fratres infirmabantur, ſubito ad Monaſterium portabantur, & ibi moriebantur. Sed tempore *Landonis Abbatis* multiplicabantur, quia prius niſi duo ibi erant, interdum quatuor, ſed rarò. Quicumque volebat ſtare in Specu, victum & amictum recipiebat a Monaſterio; & ubi pro nunc eſt ſtabulum aſinorum; ibi habitabant Fratres & reficiebantur, & ſubtus dormiebant. Superius fuit parva Camera, ubi comedebant. De iſta materia quaere in antiquo Regeſtro Monaſterii.

Anno Domini Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Primo fuit *Abbas Simon* tempore Alexandri Papae Tertii. Poſt hunc fuit *Abbas Romanus*. Poſt hunc fuit *Abbas Amato*. Item poſtea fuit *Abbas Matthaeus de Farfaro*. Item fuit *Benedictus Abbas* tempore Benedicti Papae Noni. Item *Gregorius Abbas*. Item *Guilielmus Abbas* tempore Nicolai Tertii Papae. De iſtis omnibus neſcimus loqui nec ſcribere, utrum fuiſſent boni vel mali. Deus ſcit. Nota de Abbate Rainaldo. *Rainaldus Abbas* fuit temporibus Honorii Tertii, & Innocentii Tertii. Iſte multa bona recuperavit Monaſterio. In illis diebus venit Dominus Innocentius Papa Tertius, qui fuit juſtus, mitiſſimus, ſanctiſſimus, & benigniſſimus: qui perſonaliter cum paucis Cardinalibus venit ad Mona-

Monaſterium. Viſitavit, & pluribus diebus ſtetit, praedicavit ibidem, & Novitios reformavit, & per ſe omnia ordinavit, ut habetur in Privilegio ſuo, quod ipſe fieri fecit, cujus tenor talis eſt:

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui Sublacenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum ad Monaſterium Sublacenſe perſonaliter veniſſemus, cupientes ipſum perſonaliter viſitare, de ſtatu ejus tam per vos quàm per Fratres & Clericos noſtros inquiſivimus diligenter: & licèt in quibuſdam regularis Ordo vigeret, invenimus tamen eum in pluribus reformandum. Primo quia multi Fratrum tam Obedientialium quàm Clauſtralium proprietates habebant. Secundo quia ſaepe Silentium nec in Oratorio, neque in Refectorio, neque in Clauſtro, neque in Dormitorio ſervabatur, ſed illis plerumque non ſolùm bona, verùm etiam illicita dicebantur. Tertio quia frequenter extra Infirmitorium non ſolùm in cameris, ſed in ipſo Refectorio quidam carnibus veſcebantur. Quarto quia hoſpitalitas poene penitus deperierat, ita quod ipſum Hoſpitale tunc erat Epiſcopo Anagnenſi conceſſum. Quinto quia ſpecialis cura infirmorum nulla penitus habebatur, ita quod quaſdam etiam Parochiales Eccleſias, quae antiquitus ad infirmorum uſum fuerant deputatae, Clerici Seculares in beneficium poſſidebant. Verùm haec omnia quidam proveniſſe dicebant, tum quia Fratres victus & veſtitus gravem patiebantur defectum, tum quia Abbas & Prior circa correptionem delinquentium erant nimium negligentes. Cum ergo ſecundùm Sancti Benedicti Regulam Monachi debeant omni die duo ad minus habere pulmenta, quia Fratres non habebant frequentius niſi u-

A num, ne per defectum obſervantia ſpiritualium deperiret, praecipiendo mandavimus, ut Abbas pro ſecundo pulmento annuos reditus aſſignaret. Ipſe verò proventus Caſtri Maraui ad hoc de mandato veſtro conteſſit & ſtatuit Cellario aſſignatos, ita quod ſi de ipſis ſecundo pulmento aliquid ſupereſſet, expenderetur pro tertio: ſi quid verò deeſſet, ipſe ſuppleret. Pro indumento autem dicebat, non oportere praeſentialiter certos reditus aſſignare, cum intenderet multa, quae tempore ſchiſmatis alienata fuerant & deſtructa revocare, & ſecundùm conceſſionem veſtram addere Monaſterio, de quibus poſſent utilius hujuſmodi reditus aſſignari. Promiſit tamen ad praeſens de aliis proventibus Monaſterii vni Fratrum, qui deputaretur, ad emenda Monachorum indumenta, conferre, quantum ſufficeret competenter, aſſerentibus Fratribus, quod ſi Monachus ſimul haberet Cucullam & Scapulare, Tunicam & Pelliceam, quatuor annis cucullâ & ſcapulari poſſit eſſe contentus; pelliceâ verò duobus ad minus; tunicâ longâ diutius; & duae ſtamineae ſufficerent ſibi per annum. Unde firmiter inhibuimus, ne quis de cetero Monachorum lineis camiſiis uteretur. Ad defectum autem hoſpitalitatis ſupplendum mixturam unius molendini conceſſit, ampliora pro tempore conceſſurus; ita tamen quod ad neceſſitatem pauperum ſublevandam eleemoſyna de Cellario conferatur. Nos autem praefatas Eccleſias, quae dictis Secularibus in beneficium fuerunt aſſignatae, ad uſum revocamus infirmorum; Conceſſionem Hoſpitalis, quae facta fuerat Epiſcopo Anagnienſi, irritam decernentes, & ſtatuentes, ne cuiquam ulterius in beneficium concedantur, ſed Infirmarius diſponat de illis Eccleſiis, prout ad neceſſitatem Infirmitorii magis noverit expedire. Prohibemus ergo diſtri-

ſtrictè in virtute obedientiæ, ſub obteſtatione divini Judicii, ne quis de cetero Monachorum proprium aliquo modo poſſideat; ſed ſi quis aliquid habet proprii, totum in continenti reſignet. Si autem poſt hoc proprietatem aliquis fuerit deprehenſus habere, regulari ammonitione præmiſſâ, de Monaſterio expellatur, nec recipiatur ulterius, niſi pœniteat ſecundùm Monaſterii diſciplinam. Quod ſi proprietas apud quemquam inventa fuerit in vitæ iſtius, eum eo in ſignum perditionis extra Monaſterium in ſtercilinio ſubterretur, ſecundùm quod Sanctus Gregorius narrat in Dialogo ſe feciſſe. Abbas tamen & Prior frequenter inquirant, & diligenter explorent, ne quis Fratrum proprietatem poſſit habere. Unde ſi quidquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum, non præſumat illud accipere, ſed Abbati, aut Priori, aut Cellario aſſignetur. In Oratorio verò, Refectorio, & Dormitorio continuum ſemper ſilentium obſervetur. In Clauſtro quoque certis horis & locis ſecundùm antiquam conſuetudinem Monaſterii laudabiliter obſervatam, ſed amodo laudabilius obſervandam.

In Refectorio nullus omnino carne vefcatur, neque in quibuſdam ſolemnitatibus, ſicut aliquando fieri conſuevit, & Conventus exibat cum Abbate, paucis ibi relictis, ut extra Refectorium ederent carnes, cum in illis diebus præcipue regularis diſciplina ſit ſtudioſius obſervanda. Sed non extra Refectorium, niſi tantùm in Infirmitorio eſum carnium credant ſibi licere, quamvis ex indulgentia poſſit Abbas interdum aliquos Fratrum, nunc illos, nunc iſtos, pro ut ſanitas poſtulabit, advocare, ipſiſque ſecum in camera ſua melius & plenius exhibere. Porro debiles & infirmi, & qui munitione indigent, vel aliqua medicina, non ſeorſum in camearis, ſed omnes in Infirmitorio, quæ neceſſaria ſibi fuerint, tam in carnibus, quàm in aliis recipiant competenter. Quod ſi quiſquam eorum debilis fuerit, aut delicatus, ut non poſſit communibus cibis eſſe contentus, ei provideatur ſine ſcandalo aliorum, ut ſi Abbas vel Prior voluerit in Refectorio menſam ei ſecretè ſpecialem, cibum aliquem competentem non ante illum, ſed ante ſe faciat apponi, de quo ipſe faciat illi pitantiam pro ſuſtentatione naturæ. Tales autem ad gerenda Officia Monaſterii deputentur, qui fideles ſint & diſcreti; nec alicui committantur aliqua officia perpetuo poſſidenda, tanquam in ſua ſibi vita locentur. Sed cum oportuerit amoveri, ſine contradictione qualibet revocentur. Prior autem præ cæteris poſt Abbatem potens ſit in opere ac ſermone, ut exemplo vitæ, verboque doctrinæ Fratres ſuos inſtruere poſſit in bono, & a malo valeat revocare. Zelum religionis habens ſecundùm ſcientiam, & delinquentes corripiat & caſtiget, obedientes verò foveat, & confortet. Abbas verò, cui omnes in omnibus reverenter obediant, quanto frequentius poterit, ſit cum Fratribus in Conventu, vigilem curam, & diligentem ſollicitudinem gerens de omnibus, ut de officio ſibi commiſſo dignam poſſit reddere rationem. Quod ſi præcaricator ordinis fuerit, aut contemtor, ſeu negligens, aut remiſſus, pro certo ſe noverit non ſolùm ab officio deponendum, ſed alio modo ſecundùm Regulam graviter caſtigandum, cum offenſa non ſolùm propria, verùm etiam aliena de ſuis manibus requiratur. Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monaco diſpenſare, quoniam abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit

licentiam indulgere. Ut ergo nos vobis ad reformationis initium aliquod ſubſidium impendamus, ſex Libras uſualis Monetae de Camera Sancti Petri ſingulis annis percipiendas concedimus ad uſum & utilitatem Prioris & Fratrum, qui apud Specum Sancti Benedicti morantur; & pro veſtibus Monachorum emendis viginti Libras praeſenzialiter elargimur, Planetam de cocco bis tincto, Deo & Sancto Benedicto ad Altaris officium offerentes. Cuncta igitur, quae ſuperius ſunt expreſſa, inviolabilem firmitatem volumus & praecipimus obtinere, ſtatuentes, ut nulli liceat contra ea temeritatis auſu venire. Si quis autem contra paginam iſtam aliquid attentare praeſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ac noſtram ſe noverit incurſurum.

Datum apud Monaſterium Sublacenſe, Pridie Nonas Septembris, Pontificatus noſtri Anno quinto.

Poſt Rainaldum Abbatem ſtetit Abbatia in bona pace longo tempore, quia Innocentius Papa Tertius omnia poſuit in pace, & Monaſterium in maxima tranquillitate, quia vir ſanctus & juſtus & potens fuit, qui in omnibus ſe bene rexit. *Landus Abbas* multa bona fecit. Conſtruxit in Monaſterio Sublacenſe Clauſtrum ex marmoreo lapide, ac juxta Clauſtrum in latere dextro Capellam Sanctae Trinitatis, & cameras pro ſenibus valde pulcras contiguas dictae Capellae aedificavit. Omnia privilegia meliora miſit renovare, ac etiam plura Privilegia impetravit a Domino Alexandro Papa Quarto; ut creditur, quia praedictus Dominus Papa in propria perſona venit ad Monaſterium, viſitavit & reformavit Monaſterium, & omnia quae fuerunt abſtracta & alienata ab aliquibus Baronibus, & aliis, caſſavit, revocavit, & reduxit ad priſtinum ſtatum, ut habetur in multis privilegiis, quae ipſe perſonaliter ſcribere mandavit, & ſpecialiter de viſitatione & reformatione ſua conceſſit pulcrum Privilegium, cujus tenor per omnia eſt talis.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui Monaſterii Sublacenſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi ad univerſa Mundi loca, divino dicata cultui, ex officii debito aciem intentae cogitationis extendere, ac undique per orbem pro ſalubri eorum ſtatu Apoſtolicae diligentiae ſtudium diffundere teneamur: circa ſtatum tamen Monaſterii Sublacenſis, in quo ſacra Religio Monachalis a beatiſſimo Benedicto, venerando ejus auctore, ſalutaris ſuſcepit inſtitutionis initia, tanto ſolicitius & diligentius invigilare debemus, quanto famoſius & celebrius illud inter alia ſui Ordinis Coenobia ipſius ſanctiſſimi Benedicti vita & merita per univerſa Mundi climata reddiderunt. Hunc etenim locum coeleſtis altitudo conſilii per miniſterium Sancti hujus principium Religionis predictae conſtituit: quia hic eadem Religio ſuum excepit exordium: hic ſua prima fundamenta locavit: hic prius miſit, firmavitque radices, & hinc poſtea ſuas extendit propagines, multiplicavitque per orbem. Hinc certe prodiit iſtud Dei & diei ſpectabile luminare, quod in Eccleſiae firmamento praefulgens, multorum oculos caligine ſenſualitatis obtuſos, ſuae claritatis radiis illuſtravit. Ad hunc quoque locum, tamquam ad unum ovile Dominicum ideo praedictus Sanctus multa & diverſa ſanctorum Collegia Monachorum per varia Monaſteria & Loca diverſa voluit congregare, ut faceret de illis unum

acce-

acceptabilem Chriſto Populum, & Fratres in domo Domini habitantes in unum ad regularem obſervantiam, & indeficientem divini Numinis cultum fortius ſuſtinerent, ac exinde poſtmodum praedicta Religio liberius latiuſque diffunderetur in alios; & ab hoc loco tamquam a fonte Religionis ejuſdem Eccleſiae membra ſacri ſui fluenta dogmatis proflituent. Et licèt praefatum Monaſterium in ſuis primordiis ſub recenti ejuſdem Sancti doctrina, coeleſtis Opificis operante gratiâ de virtute ſucceſſive creverit in virtutem, & velut lignum fructiferum in Eccleſiae agro plantatum flores protulerit copioſius honeſtatis, & produxerit fructum vitae, fueritque diu praeceſſa hujuſmodi regularis obſervantiae ſanctimonia, ut praeclara ſanctorum operum titulis ſpecialiter inſignita, ac multiplicibus propter hoc non ſolùm ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus profecerit incrementis: a quibuſdam tamen longe temporibus retroactis, ſic in ipſo ſolitus vigor ordinis Regularis emarcuit, ſicque in eo fervor religionis decrevit conſuetus, quod idem Monaſterium, ad quod ceteri Mundi ſui Ordinis loca ſuos intuitus, ut ab eo vivendi notitiam ſuſciperent, levare ac habere ſolebant: perſonarum in eo ſub diverſitate temporum degentium negligentia faciente, diſſolutioni multipliciter patuit, & multae notam deformationis incurrit. Propter quod felicis recordationis Innocentius Papa Tertius praedeceſſor noſter, cum ad idem Monaſterium ſe perſonaliter contuliſſet, illudque inveniſſet in pluribus deformatum, circa reformationem ejus vigilem curam adhibuit eidem reformationi perſonaliter imminendo & accedendo, quaedam ſtatuta ſeu praecepta ſalutaria in correptionem vitae Monaſticae religionis, ac Regularis obſervantiae neceſſarium fulcimentum, quod in ipſo Monaſterio probo & proſpero ſtatu mandavit & ſtatuit perpetue ac inviolabiliter obſervari, pro ut in ejuſdem Praedeceſſoris literis conſectis, quas ejuſdem Archivius Monaſterii ad perpetuam conſervat memoriam, plenius continetur.

Nos igitur, ques fervor devotionis, quam ad praedictum ſanctum locum ſemper habuimus, & ille, quo inceſſanter dictum proſequimur Monaſterium, Caritatis ardor attraxit ad idem Monaſterium perſonaliter viſitandum, dignum fore praevidimus circa ſalubrem ejus ſtatum paternâ intendere vigilantiâ, ejuſque ſpiritualibus & temporalibus commodis Apoſtolicâ diligentiâ providere, ut ex noſtra praeſentia tam idem Monaſterium quàm perſonae in eo in totum Domino famulantes ad multiplicem ſalutis felicitatem ſibi gaudeant perveniſſe. Hinc eſt, quod nos, & de fratrum noſtrorum conſilio, qui nunc praeſentes ſunt, ordinationem, quam memoratus Praedeceſſor noſter pro reformatione ipſius Monaſterii feciſſe dignoſcitur, & quam a vobis (excepto eo, quod de aſſertione Monachorum circa indumenta in illâ exprimitur, quod utique Abbatis providentia moderetur) inviolabiliter obſervari volumus, approbantes & etiam innovantes, ac quaedam ordinationi ſupradictae addentes, eâdem auctoritate Apoſtolicâ in virtute obedientiae, & ſub atteſtatione divini Judicii, praedicti Praedeceſſoris in hoc inhaerendo veſtigiis, prohibemus, ne quis Monachorum deinceps proprium quoquo modo poſſideat. Adjicientes, quod quicumque ipſorum aliquid habentes proprii, niſi illud infra quindecim dies computandos ex nunc Abbati totaliter reſignare curaverint, eo ipſo ſententiam, quam in ipſos proferimus, excommunicationis incurrant. Si verò aliquis in poſterum proprietatem aliquam fuerit deprehenſus

habe-

habere, & regulariter monitus illam reſignare noluerit, mucrone anathematis pertellatur, & expellatur de Monaſterio, nec recipiatur ibidem ulterius, niſi poeniteat ſecundùm Monaſticam diſciplinam, poenis aliis, quas dictus Praedeceſſor noſter praefata ordinatione contra Monachos proprietarios edidit, in ſuo nihilominus robore duraturis. Statuimus etiam, ut divina Officia tam diurna, quàm nocturna in eodem Monaſterio ſecundùm praedicti Sancti Regulam celebrentur. Praecipientes, ut omnes camerae Monachorum (tamerâ veteranorum dumtaxat exceptâ) ſunditus deſtruantur, nec ullae unquam futuris temporibus reperiantur; ſed Monachi in communi Dormitorio ejuſdem Monaſterii ſimul dormiant; & ſimiliter in communi Refectorio comedant, & continuum ſemper in Oratorio, Dormitorio, & Refectorio, in Clauſtro verò certis horis & locis, ſecundùm antiquam conſuetudinem Monaſterii, ſilentium obſervetur. Nulli quoque Monachorum liceat habere equum vel proprium ſervum, niſi illis tantùm, qui per Abbatem temporalibus gerendis obedientiis vel adminiſtrationibus, ſeu officiis praeponuntur. Illud autem, quod de pane diurno, & aliis cibariis quotidianis, quae Monachis ſubminiſtrantur, reſiduum fuerit, nullus ſibi quomodolibet retinere praeſumat, ſed totum pauperibus in elemoſynam erogetur. Neque liceat cuiquam Monachorum exenia ſibi tranſmiſſa recipere, ſed Abbati, vel Priori, vel Cellerario illa ſecundùm praefatam ordinationem Praedeceſſoris ejuſdem ſtudeat protinus aſſignare. Praecipimus inſuper, ut murus, qui praedictum Monaſterium circumcingit, erigatur magis & protendatur in altum, ita quod nullus in ipſum Monaſterium, vel aliqua ejus loca, niſi per communia & debita oſtia valeat introire. Neque mulieres aliquae ſive ad purgandum frumentum, vel deferendam aquam, ſive ad quodcunque aliud ſervitium faciendum quomodolibet admittantur ibidem, ſed exinde arceantur omnino, ne ulla tentationis cauſa poſſit per eas in Monachorum mentibus ſuboriri. Abbas verò de indumentis & aliis neceſſariis Monachis provideat competenter, ita quod hi, qui ab eo nova indumenta ſuſceperint, retinere ſibi vetera non attentent, ſed ſtatim Abbati illa reſignent, vel alii juxta ipſius Abbatis beneplacitum & mandatum. Ad haec Monachi, quibus ab Abbate temporales obedientiae ſeu adminiſtrationes, aut aliqua officia committuntur, ſtudeant, quantum cum Domino poterunt, utilitatem & commodum Monaſterii ſolicite procurare, & de iis quae ratione obedientiarum, adminiſtrationum, & officiorum hujuſmodi ad manus eorum pervenerint, nihil omnino pro ſe retineant, ſed quidquid ex illis pertemperint, Abbati fideliter aſſignare procurent. Sintque pro eorum ſuſtentatione contenti eo dumtaxat, de quo Abbas ipſis pro hujuſmodi eorum ſuſtentatione duxerit providendum, praemiſſâ ordinatione Praedeceſſoris ejuſdem in omnibus, & per omnia (praeterquam in eo, quod de aſſertione Monachorum circa indumenta continetur in illa, quod quidem Abbatis moderetur providentia, prout ſuperius eſt expreſſum) ſalvâ & illibatâ penitus permanente. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae approbationis, innovationis, prohibitionis, conſtitutionis, & praecepti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Sublaci, IV. Idus Septembrit, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Poſt

Poſt Landum fuit *Henricus Abbas*. Hic coepit facere aliquas habitationes parvas in Specu, & coepit ardenter reformare Veji Specum, quia Monachi Monaſterii fuerunt omnes de Abbatia Sublacenſi, & pro majori parte nobiles. In illis diebus Abbas Henricus, qui erat bonus Paſtor, videns aliquos Monachos incorrigibiles, cum conſenſu aliquorum poſuit Priorem in Specu eum aliquibus Monachis, quos videbat eſſe idoneos miniſtros obſervatores ſanctae Regulae, ibidem laudanda providentia colle-
B ctando, & eiſdem omnia vitae neceſſaria miniſtrando. Qua ex cauſa a Papa Gregorio Decimo miris laudibus extollitur & laudatur, pro ut habetur in Privilegio dicti Papae. Tempore iſtius claruit in Crypta Mardebottae Sanctus Confeſſor Dei Laurentius, multorum mirabilium patra-
C tor, pro ut in Legenda Vitae ejus ſeriosius continetur.

Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo Tertio obiit Dominus Abbas Henricus, Pontificatus Domini Gregorii Decimi Papae Anno ſecundo, Menſis Februarii die Decimanona. Vacante Monaſterio Sublacenſi per bonae memoriae Henricum, factae fuerunt duae electiones; quod inauditum fuit in octingentis annis, quia ſemper ſolebant eligere
D in Monaſterio. Propter novam plantationem bonae vitae exaltaverunt ſe Monachi Specus, quia iſto tempore non habuerunt Priorem in Monaſterio, ſed Rectorem. Et ſic facta fuit magna diſcordia inter Rectorem Monaſterii, & Priorem Specus, ſuper quibus fuit diu in Curia Romana litigatum. Iſtis diebus multa bona fuerunt alienata a Monaſterio. Igitur pendente negotio, & ereſcente Patrum diſcordiâ, & inimicitiâ pul-
A lulante, quidam ipſius loci Monachus nomine Pelagius, qui dicti Rectoris Procurator fuerat, cum morando in Monaſterio partem ſibi contrariam, ut ſibi videbatur, ſuppeditare non poſſet, ſicut vellet, & continuo laborabat, exiens inobedienter a Monaſterio eum patre ſuo Milite, nomine Bartholomaeo de Genna, anteceſſorum ſuorum nequitiam imitando, qui temporibus retroactis ſimilia perpetraverant, cum fratribus & aliis ſuis complicibus accedens ad Caſtrum Cerbariae, cum adjutorio quorumdam minus fidelium Vaſſallorum ibidem morantium, intravit Roccam dicti Caſtri, & expulſis inde duobus Monachis pro cuſtodia dictae Rocchae ibidem morantibus, dictam Roccam nequiter invaſit. Quam ſic occupatam detinens, pluries requiſitus noluit reſtituere Conventui Sublacenſi; ſed congregatis Scaranis & multis hominibus malae famae, guerram fecit privatam, & publice omnibus Vaſſallis dicti Monaſterii praeter illos, qui in ſua nequitia eum adjuvabant. Quibuſdam enim captis, & ad tormenta poſitis dentes extraxit, & fecit extrahi oculos, quoſdam etiam de altiſſimis diruens rupibus, fecit Confeſſione non habitâ exſpirare. Monachos de nocte fractis portis Monaſterii perſonaliter capiens, captivos duxit ad dictam Roccam Cerbariae, ubi eos detinuit, ipſos
E diverſis poenis & miſeriis affligens. Hoſpitale verò, ubi Chriſtus in perſona pauperum recipi conſueverat, & ipſi pauperes recreari, fecit deſtrui totaliter & comburi, & Eccleſias dictae Rocchae & Caſtri, quum in eis Scaranos ſuos jacere feciſſet, diverſis fecit pollutionibus ſanguinum & confuſionibus violari. De ceteris verò maleficiis, quae fecit ipſe & alii,

depraedando Abbatiam, & ubicumque poterant, quia longum & toedioſum eſſet narrare, ad praeſens taceamus. Quia valde periculoſum eſt, Fratres ſe dividere, ſi non fuiſſent diviſi, tanta mala non fuiſſent perpetrata, nec tanta bona a Monaſterio alienata. Quia tribus annis ſtetit Abbatia, & Monaſterium ſine Abbate; & Monachi Specus dolebant, nec aliquid eis de Monaſterio porrigebatur. Et ſic diſperſi ſunt, & omnia extra Abbatiam pro majori parte alienata ſunt. Eccleſiae, Caſalia, Poſſeſſiones, Caſtra vendita ſunt, & in pignore ſub pacto poſita: & ſic uſque in hodiernum diem Monaſterium numquam potuit rehabere; quia dicunt: *Parentes noſtri comperaverunt*. Et per hunc modum omnia bona Monaſterii diſſipata & alienata ſunt.

Iſtis ſic ſe habentibus, renuntiatum fuit in Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo Sexto de Menſe Maji coram bonae memoriae Innocentio Quinto de omnibus ſupradictis. Qui Dominus Innocentius Papa Quintus providit dicto Monaſterio de *Fratre Gulielmo*, natione Burgundo, tunc Camerario & Vicario Caſinenſi: qui confirmatione habita cum benedictione ſolemni, quam dedit ſibi Epiſcopus Tuſculanenſis, veniens ad Abbatiam, Vaſſalli ipſius, qui, ſicut dictum eſt, in maxima afflictione fuerant, ipſum cum honore maximo & gaudio receperunt. Ipſe verò poſtmodum dictum ribaldum Pelagium, ut dictam Roccam & Caſtrum, quod detinebat, ſibi reſtitueret, per viros religioſos, Clericos & Laicos requiſivit: qui penitus renuit. Sed dictus Abbas congregato exercitu, & factis machinis, ipſum cum ſuis fidelibus Vaſſallis expugnabat. Tamdem poſt duos Menſes capta fuit dicta Rocca, ſuffragantibus meritis ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti, in qua captus fuit dictus Pelagius, & ad Roccam Sublaci ligatis manibus ductus, & per ipſum Abbatem in carcere ibidem fuit poſitus; & alii ſui complices ſalvis perſonis dimiſſi ſunt exire. ſed bona ipſorum fuerunt Curiae Sublacenſi confiſcata. Haec autem ſcripta ſunt ad perpetuam memoriam, & terrorem omnium perditorum, ne hujuſmodi conſilia audeant attentare.

Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quinto, Sede vacante poſt Domini Benedicti Papae Undecimi mortem, Menſe Februarii, XX. die hujus menſis, ex diluvio fracta prata cum ponte minimo, per quem itur ad Sanctum Laurentium, occaſione diluvii, & eadem die corruerunt molendini cum ſedilibus ſuis, & muris circumſtantibus. Et ſic locus Monaſterii ad nihilum redactus, quia duo Monachi levaverunt duos lapides, qui fuerunt firmati cum aliis petris; & ſic aqua deſtruxit. Ita voluntas fuit aliquorum.

Poſt Henricum fuit, ut diximus; *Gulielmus Abbas* natione Burgundo tempore Innocentii Quinti Papae. Multa acquiſivit alienata & extracta, ſed non potuit..... quia nihil invenit. Facta fuerunt Milleſimo Ducenteſimo Octuageſimo Quinto. Poſt Gulielmum fuit *Benedictus Abbas*, homo diſcretus & maxime morigeratus. Dilexit Monachos ſuos. Cum conſilio eorum fuerunt acquiſita & recuperata, quae prius fuerant alienata tempore Benedicti Papae Undecimi Milleſimo Trecenteſimo Quarto. Ipſe omnia confirmavit, quae inventa fuerunt, & alienata ſimiliter. *Bartholomaeus* fuit ante Benedictum Milleſimo Ducenteſimo Octuageſimo Nono tem-

tempore Nicolai Quarti, qui dedit multa Privilegia Monaſterio, & alia multa acquiſivit. ſed alienata non attentavit. Sub Anno Milleſimo Trecenteſimo tempore Bonifacii Papae Octavi fuit quidam *Abbas* nomine *Franciſcus* poſt Abbatem Benedictum. Hic miſer fuit, ſpurius, nobilis de genere, de Domo Ramandielis, de Ordine Minorum, erectus ob parentum potentiam, maxime quia habebat duos Cardinales de Domo ſua. Factus Abbas Sublacenſis Monaſterii, ab initio male coepit, & ſemper in deteriora profecit. Nam auxit ad commune ſervitium, quod Romanae Curiae debetur per novos Abbates, Florenos quingentos. Proceſſu verò temporis cum fructus & reditus Monaſterii in nepotibus & neptibus tamquam prodigus, & exſtirpator bonorum Monaſterii peſſimus conſumſiſſet, demum miſer ad Sacrarium & ad jocalia temerariam manum extendit, & ſimulate in loco Fratrum Minorum propter celebrationem Miſſarum abſtulit omnia ornamenta Sacriſtiae dicti Monaſterii, & impigneravit pro Florenis quingentis. Tempore iſtius Sublacenſes condiderunt ſua perverſiſſima Statuta. Qui Abbas una cum eiſdem Sublacenſibus perſonaliter acceſſit ad Dominum Papam Bonifacium VIII. pro confirmatione ipſorum. Quibus viſis dictus ſummus Pontifex abhorruit talia inaudita audire, vel videre, & dixit: *Verè perverſiſſimi & deſperatiſſimi homines iſta Statuta compoſuerunt;* & chartam, in qua dicta Statuta erant conſcripta, projecit in pavimentum Aulae ſuae. Quapropter dictum Abbatem, qui talibus Statutis conſentire praeſumſit, miſerabiliter & confuſe ab adminiſtratione ſuſpendit. Poſt haec dictus Papa a Romanis Principibus, ſeu Columnenſibus captus & depraedatus fuit. Et ex tunc Romana Curia apud Avignonem Sedem ſibi elegit, & uſque ad tempus Urbani Papae Quinti aſſidue perduravit. Abbas autem ſic ſuſpenſus remanſit, & volens ſe ingerere adminiſtrationi Abbatiae, quaeſivit aditum, ut cum ſuis conſanguineis & amicis occulte intraret Roccam Sublaci. Cujus notitiâ mirabiliter ad notitiam hominum de Sublacu deductâ, dictum Abbatem capientes, poſuerunt in carcerem, plurimâ factâ ſtrage ſuorum. Sic miſere cum miſeris, qui contra legem & contra jura Eccleſiaſtica, ſive Civilia operati fuerant, & contra orthodoxos Statuta compoſuerant..... Conſilium ſapientum translatum in vitium latronum; qui fuerunt fideliſſimi laboratores, facti ſunt nequiſſimi latrones, quia ſcriptum: *Nullum malum impunitum, nec ullum bonum irremuneratum.* Ille miſer Abbas Franciſcus, de quo ſuperius dictum eſt, in carcere tam miſerabiliter tractatus exſtitit, quod in vaſe, quo nocte fudit urinam, in die bibere eſt compulſus. Sed exinde aliquando egreſſus alibi eſt miſerrimus vitâ functus; & omnes ei conſentientes miſerabiliter mortui ſunt, aliqui interfecti, aliqui de Abbatia expulſi. Et ſic per fas & nefas adhuc tenent illa peſſima Statuta, & bene ſciunt, quod male faciunt, quia indurati ſunt.

Itaque vacavit Abbatia Sublacenſis per multos annos, & Sarra de Columnenſibus gubernavit eam, & admiſit iſta peſſima Statuta; ſed tamen fecit magna judicia, nec ultra ſervare voluit, ita quod aliquos Sublacenſes fecit vivos propaginare in campo Sublacenſi, & bona eorum diripuit, & multa alia judicia, quae

non ſunt dicenda, ſed potius celanda. Tamen multa bona Monaſterio & Specui, & Monachis degentibus in eiſdem fecit, & ordinare neceſſaria praecepit.

Ab Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Vigeſimo Secundo poſt Franciſcum ſuit *Bartholomaeus* quidam Monachus Caſinenſis, tempore Johannis Papae Vigeſimi Secundi. Qui quum eſſet mundanis illecebris irretitus, ita quod Princeps latronum non immerito vocaretur, dexterâ Excelſi mutatus eſt, & longa aegritudine eruditus multa bona Monaſterio, & praecipue Specui fecit. Nam honeſtas perſonas, & religioſos viros ex diverſis partibus congregans ſummo ſtudio dictam Specum in ſpiritualibus & temporalibus reformavit. Primus fuit, qui Stabulum, ſeu Dormitorium praedictum magnum & pulcrum fecit a fundamentis. Multos Libros fecit ſcribere, quos Monaſterio & Specui donavit. Hic emit Caſtrum Civitellae & Roccam ibidem pulcram & inexpugnabilem reparavit. Fuit etiam vir miſericors, & ad pauperes & ſervos Dei amicus. Cujus Corpus requieſcit apud Specum in capſa marmorea ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti Mauri. Etiam aedificavit de novo Monaſterium Sanctae Crucis prope Civitatem Peruſinam. Item Monaſterium Sancti Johannis prope Villam Mevaniae. In provincia quoque Terrae Laboris prope Roccam Montis Draconis Monaſterium Sanctae Annae. Vixit autem in Abbatia Sublacenſi per annos triginta duos.

Poſt Bartholomaeum ſuit *Johannes Abbas* natione Tuſcus de Civitate Caſtelli, vir eruditiſſimus, multaeque manſuetudinis & bonitatis. Hic quum exſtiſſet Monachus Specus, fecit A multa bona Specui, Bibliothecam ſuam divinorum Librorum, & Juris tam Canonici, quàm Civilis dictae Specui derelinquens. Fuit autem tempore maximae mortalitatis, quae exſtitit Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo Septimo, qua peſte percuſſus defunctus eſt, & vixit in Abbatia B ſexdecim annos, & ſepultus eſt ante gradus Criptae Sanctiſſimi Patris noſtri Benedicti.

Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo Nono, poſt Johannem ſuit *Petrus Abbas* natione Peruſinus, cujus tempore terrae motus Monaſterium & Roccam Sublaci, & nonnullas alias Roccas Abbatiae C ad ſolum paene proſtravit, in qua ruina quum eſſet idem Abbas in camera ſua apud Roccam Sublaci, territus, parvo tempore ſupervixit. Hic fecit malum Abbatiae ſuae, nam jura hereditaria Vaſſallorum morientium abſque legitimis heredibus, & alia jura conceſſit, ſeu vendidit Vaſſallis per novem annos; & receptis D Florenis mille & centum, redemit conſanguineos ſuos tunc poſitos in captivitate. Quam conceſſionem Vaſſalli Abbatiae retinent uſque in hodiernum diem in praejudicium Monaſterii ſatis grave.

Hic nota, quod poſt Petrum fuit *Angelus Abbas* de Monte Regali, cujus conſanguinei cum cepiſſent dominium in Abbatia, decollaverunt aliquos de Sublaco potentiores inter ceteros, & capita eorum projecerunt ex Roccae moeniis in terram. Propter quam rem Sublacenſes indignati Roccam depraedaverunt, & Palatium Abbatiae deſolaverunt & combuſſerunt. Abbas autem pavore perterritus fugam arripuit. Et accedens ad Avignonem, ubi Romana Curia permane-

manebat, Abbatiam reſignavit, & factus eſt Monachus Monaſterii Sanctae Annae, ubi laudabiliter Deo ſerviens vitam finivit circa Annos Domini Milleſimo Tercenteſimo Quinquageſimo tertio.

Nota, quod poſt Angelum fuit *Ademarius* Francigena. Hic fuit ferox homo. Manus ejus contra omnes vicinos ſuos, & manus omnium contra eum. Multos Sublacenſes mala morte perdidit, propter quod Roccam Sublaci deferens, in Roccam Gennarum ſibi ſedem elegit; in qua ſeptem Monachos Monaſterii Sublacus ſuſpendit per medium, ut ſubtus accenſo igne ex fumo & fame morte miſerabili finirent. Et hoc fecit propter ipſorum iniquitatem, & maxime, ut aliqui dicunt, quod fuerunt contra Abbatiam, & habuerunt partem cum forenſibus, qui eum veneno perdere moliebantur tempore Innocentii Sexti Papae. Poſt multas autem guerras Vaſſallorum & circumſtantium vicinorum, acceſſit ad Avignonem & *, Abbatiam reſignavit Milleſimo Trecenteſimo Quinquageſimo Octavo.

Poſt Ademarium fuit *Gonradus Abbas*, ſpurius ex Marchionibus Saenae. Hic exſtitit membrum quodammodo Antichriſti. Talia enim immania geſſit occulte, ac etiam manifeſte, quod pudor eſt dicere, & exarare. Inter alia mala ſua contemſit miniſtrare Monachis juſtitias panis & vini, ſicut Anteceſſores ſui ſedulo miniſtrarunt. Quin potius addens mala malis ſuis, abſtulit Conventui Caſtrum Marani, & illud tradidit fratri ſuo germano. Ad extremum cum vellet Specum totaliter deſolare, & Fratres, qui in ipſo erant diſpergere, pro eo quod erant contrarii operibus ſuis malis; quidam ex dictis Monachis Specus confugientes ad Dominum Papam Innocentium Sextum, dictus Pontifex & Domini Cardinales audientes vitam reprobam dicti Abbatis, ipſum commutaverunt in partibus Albaniae. Quapropter hoc intelligentes Vaſſalli ſub Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Sexageſimo Secundo, ipſum cum magna indignatione ac zeli impetu expulerunt de Abbatia. Qui miſere infirmatus prae triſtitia, in quodam Hoſpitali miſerabiliter eſt defunctus.

Circa Annum Domini Milleſimum Trecenteſimum Sexageſimum Tertium poſt Conradum fuit *Abbas Bartholomaeus* de Senis Monachus Monaſterii Sanctae Crucis de Peruſio, homo religioſus, pius, benignus, miſericors, & juſtus. * Iſto cum conſilio & auxilio Monachorum Specus, reformavit Monaſterium Sublacenſe in regulari obſervantia; & omnes Monachi antiqui Monaſterii fuerunt expulſi uſque in hodiernum diem. Multa bona fecit Monaſterio. Eccleſiam Capitulumque a principio reformavit. Unam Crucem argenteam pro quinque Florenis comparari fecit. Quinque Calices, duos magnos, unum dedit Specui, & alium Monaſterio, & tres parvos calices cum thuribulo argenteo. Omnia Pontificalia pro ſe & aliis Abbatibus fieri fecit. Monachos ſuos nimis dilexit. Numquam auditum fuit, quod unum Monachum conturbaſſet. Nam honeſtos & religioſos viros ex diverſis partibus congregans, ſummo ſtudio Monaſterium ſuum in ſpiritualibus & temporalibus reformavit. Cujus temporibus ſanctae Memoriae Urbanus Papa V. venit Romam: & audita famâ bonitatis ipſius Abbatis Bartholomaei, ereavit eum Abbatem

Monaſterii Caſinenſis. Statim poſt confirmationem defunctus fuit in Sancta Maria Nova, & ibidem ſepultus Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Sexageſimo Nono.

Eodem Anno fuit electus *Frater Franciſcus de Padua*, & confirmatus: homo quidem bonae conditionis & devotionis, qui ſuo tempore fecit ciſternam in Specu, & plura alia bona tam in aedificiis, quàm in aliis. Cum die quodam quidam malefactor in Sublaco duceretur ad ſuſpendium, & mulieres illum violentiâ raperent de manibus Officialium, Abbas Franciſcus hoc percipiens, dicitur deſcendiſſe de Rocca in Plateam, clamando, vociferando, ac conquerendo de Sublacenſibus. Et videns, non poſſe libere dominari, petiit a ſummo Pontifice dari ſibi unum Coadiutorem in regimine temporalium. Qui Dominus Papa deputavit ei Dominum *Thomam de Celano*, qui regebat Abbatiam. Et Abbas Franciſcus ſtabat continue in Monaſterio. Erat etiam tunc Vicarius ſuus quidam Frater de Terano habens pleniſſimam ab eo poteſtatem etiam reſignandi Abbatiam, qui ut dicitur ſine ſcitu Abbatis renuntiavit dicto Domino Thomae, & ſic ipſe remanſit Abbas. Abbas verò Franciſcus remanſit ſimplex Monachus in Monaſterio, & laudabiliter vitam finivit in patientia cum Fratribus ſuis.

Explicit Chronicon Monaſterii Sublacenſis.

RI-

RICHARDI

CLUNIACENSIS MONACHI

CHRONICON

AB IMPERIO CAROLI MAGNI,

SIVE

Ab Anno Chriſti DCCC. uſque ad Annum MCLXII.

Nunc primùm luce donatum

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECAE VATICANAE.

Digitized by Google

IN RICHARDI CLUNIACENSIS CHRONICON

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Quanquam diu quaesierim, num *Richardi Cluniacensis Monachi* breve Chronicon antea a quoquam publici juris factum fuerit, ac potissimum hac de re consuluerim Scriptores Historiae Literariae, neminem tamen hactenus inveni, qui evulgati jam Operis fidem mihi faceret. Unus tantum Casimirus Oudinus Tom. 2. de Scriptorib. Ecclesiast. in editione Lipsiensi Anni MDCCXXII. multa de Auctore isto habet, atque inter ceiera conjecturis suis indulgens opinatur, eidem tribuendam esse partem primam *Collectaneorum*, quae sub nomine *Hugonis de Sancto Victore*, non semel typis tradita fuere. Mihi ad manus minime sunt Editiones omnes Operum Hugonis Victorini, ut justâ trutinâ Oudini conjecturas expendere possim. Quod tantummodo hanc in rem animadvertere potui, in Editione procurata a Thoma Garzonio, quam vidi, nihil simile habetur cum Chronico, nunc mihi evulgando Richardi. Ad haec fallitur certe Oudinus, quum scribit, partem illam Collectaneorum *spectare non posse ad Richardum Victo-*

Victorinum (qui Anno Chriſti MCLXXIII. e vivis exceſſit) *recte autem ad Richardum Cluniacenſem Monachum, qui illud poſt Annum MCLXXXI ſcribere aggreſſus eſt, longe poſt mortem Hugonis atque Richardi Victorinorum Canonicorum.* Atqui Chronicon, quod ego nunc editurus ſum, in Annum MCLXII. deſinit, ita ut quum tributa Hugoni Collectanea ultra eum Annum ferantur, aut Richardum Cluniacenſem Auctorem minime habeant, aut ad ejus Chronicon additamenta ab altero facta dicenda ſint. Utcumque ſeſe res habeat, ſive nondum prodierit Chronicon iſtud, ut puto, ſive ſub alieno nomine circumferatur, illud aut novum, aut ſuo Auctori reſtitutum, Lectoribus in hocce Opere exhibere conſtitui. Et diu quidem eſt, quod *Richardi Cluniacenſis* nomen & fama ſonant apud Eruditos, quum ejus monumentis hiſtoricis uſi ſint, qui poſt illum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſe contulere. Accipe quid de illo ſcripſerit Johannes Gerardus Voſſius Lib. 2. Cap. 53. de Hiſtoricis Latinis. *Richardus*, inquit, *Cluniacenſis Monachus, ſed patriâ Pariſienſis, praeter Libros τῶν ἀντικειμένων, de quibus Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſua, Hiſtoriam condidit ſuorum temporum. Conradi III. & Friderici Barbaroſſae temporibus vixit; in primis ſedente Papa Hadriano Quarto.* Aetatem Richardi recte deſignavit Voſſius: is enim Hiſtoriae ſuae finem faciebat Anno Chriſti MCLXII. At fallitur Voſſius, quum Lutetiam Pariſiorum patriam Richardo tribuit. *Pictavienſis*, non *Pariſienſis*, appellatur Richardus in Codice MSto membranaceo, unde hauſta fuit haec Hiſtoria. Codex vero antiquiſſimus iſte in Vaticana Bibliotheca adſervatur, atque olim ſpectabat ad doctiſſimum virum Alexandrum Petavium Senatorem Pariſienſem; quippe in margine Libri ſcriptum legitur: *Alexander Pauli filius Petavius, Senator Pariſienſis, Anno MDCXLVII.* In Catalogo MSto Codicum Chriſtinae olim Reginae Sueciae celeberrimae, qui mihi in manibus eſt, ad numerum 166. recenſetur: *Richardi Pictavienſis Monachi Cluniacenſis Chronica, ab exordio Mundi, uſque ad Annum MCLXI. Brevis Chronica Pontificum a Divo Petro uſque ad Hadrianum Quartum. Tractatus quidam Hugonis a Sancto Victore.* Haec omnia complectitur Vaticanus Codex laudatus, ita ut juſta mihi ſuſpicio ſuborta ſit, eumdem Suecae Reginae Codicem, in Vaticanam translatum, illum fuiſſe, unde hoc ipſum Chronicon deſcriptum fuit. In eodem quoque Catalogo MSto Reginae alter Codex ad numerum 170. hiſce verbis diſtinguebatur: *Richardi Monachi Cluniacenſis Chronica. Garſiae Toletani Canonici Tractatus de Reliquiis Martyrum Albini atque Rufini, cui adjungun-*

tur

tur in calce Conſtitutiones quaedam Galliae. Quod de Richardi patria dixi, confirmatur auctoritate Ptolomei Lucenſis, qui circiter Annum Chriſti MCCCXII. Hiſtoriam Eccleſiaſticam contexebat, a me editam in Tomo XI. Rerum Italicarum. Is enim Lib. 20. Cap. 23. in haec verba loquitur: *Hujus etiam tempore* (ideſt Hadriani IV. Papae, Anno MCLIV. electi) *floret Richardus Monachus Cluniacenſis, ſed origine Pictavienſis, magnus Hiſtoriae Scriptor. Fecit Chronicon ab Adam uſque ad tempora Frederici jam dicti, de omnibus quaſi Principibus Mundi tradens, & curſus temporis requirit*. Itaque Voſſio fucum fecit Raphaël Volaterranus, qui Lib. 21. Anthropol. ſcripſerat: *Fuit & Richardus, Monachus Cluniacenſis, patriâ Pariſienſis, qui ſui temporis Hiſtoriam edidit, magis illiterate, quam inepte ſcriptam*.

Neque tantum in deſignanda Richardi patria deceptus eſt Volaterranus, ſed etiam quum ſcribit, literis ab eo conſignatam fuiſſe *ſui temporis Hiſtoriam*. Uti jam vidimus, ab Orbe condito ille ad ſua uſque tempora Hiſtoriam deduxit. An vero *illiterate* eam conſcripſerit, Lectori in poſterum judicare fas erit. Ptolomeus profecto dum illum *magnum Hiſtoriae Scriptorem* appellat, aliam a Volaterrano opinionem ſe habuiſſe ſatis prodidit. Sed praecipue heic audiendus eſt Bartholomaeus Platina, qui in Vita Hadriani IV. haec ſcribit: *Horum autem temporum Hiſtoriam ſcripſit ſatis eleganti ſtilo & oratione Richardus, Cluniacenſis Monachus, quem alii Scriptores non parum laudant*. Sed & Martinus Polonus Seculo Chriſti Terriodecimo auctor eſt in Praefatione Chronici ſui, multum ſe profeciſſe e ſcriptis Richardi iſtius. Quem praeterea quanti faciendum arbitraretur Johannes Trithemius in Libro de Scriptorib. Eccleſiaſtic. hiſce verbis profeſſus fuit: *Richardus Monachus Cluniacenſis, Ordinis Sancti Benedicti, vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in Saecularibus literis omnium famâ ſuo tempore doctiſſimus, ingenio ſubtilis, & diſertus eloquio, qui varia ſcribendo & componendo ſyntagmata, nomen ſuum cum ingenti gloria ad poſteritatis notitiam tranſmiſit. Nihil tamen eorum ad manus noſtras hucuſque memini perveniſſe. Fertur autem ejus inſigne & clarum opus Hiſtoriae temporum Lib. I. Epiſtolarum ad diverſos Lib. I. Claruit temporibus Friderici Imperatoris Primi, Anno MCLX*. Quod vero Sixtus Senenſis, uti jam ex Voſſio audivimus, Richardo noſtro Libros τῶν ἀντικειμένων tribuit, id perperam ſcripium opinor. Duo Libri illi *Contrariorum in ſpeciem locorum Teſtamenti*, a nonnullis Auctorem habuiſſe creduntur Salvianum Maſſilienſem. Ad haec alii, teſte Leone Marſicano in Chronico Caſinenſ. Lib. I. Cap. 33. & Pe-

tro Diacono in Libro de Viris illuſtrib. Caſinenſib eoſdem tribuunt Berthario Abbati Caſinenſi, qui Anno Chriſti DCCCLVI. ſacro illi Aſceterio praeeſſe coepit. Verum ii rectius ſortaſſe judicant, qui fidem ſequuti Felicis Epiſcopi Toletani in Appendice ad Iſidorum de Viris Illuſtribus, Auctorem eorumdem Librorum faciunt Julianum Epiſcopum Toletanum circiter Annum Chriſti DCXC. uti Andreas Schottus, Loaiſa, Mabillonius, & alii animadverterunt. Ceterum qui hactenus meminerunt Richardi noſtri, ejus Chronicon in Codicibus tantummodo exaratum viderunt, aut ex aliorum relatione illuſtrarunt illius memoriam. Quod curâ meâ nunc illud aut inter hominum manus verſari primum incipiat, aut ipſi Richardo legitime redditum prodeat, beneficium hoc debemus, ut praefatus ſum, ampliſſimae Vaticanae Bibliothecae, ac diligentiae Clariſſimi viri Nicolai Carminii Falconis, nunc Epiſcopi Maſuranenſis, Latinae & Graecae Linguarum doctiſſimi, qui mihi pro ſua humanitate ipſum deſcripſit, meiſque ſtudiis contulit. Richardus autem ab exordio Mundi curſum narrationis ſuae inchoavit: quam ſcribendi libidinem familiarem fuiſſe eorum temporum Hiſtoricis ſaepe monui. Ego, ceteris omiſſis, ab Imperio Caroli Magni, hoc eſt ab Anno Chriſti DCCC. loquentem exhibeo Richardum. Oneri, non Eruditioni, forent, quae a me praetermiſſa fuere. Chronico additur brevis *Catalogus Romanorum Pontificum*, a Sancto Petro uſque ad primos annos Alexandri III. Papae. Certum paene futurum eſt, hujus quoque Opuſculi Auctorem fuiſſe eumdem Richardum, quum Cluniacenſium acta identidem intermiſceantur, neque anni Pontificum excedant annos Chronici. Denique ſubtexitur non contemnendus catalogus Cardinalium, & reliquorum ſanctae Romanae Eccleſiae Officialium, quorum munera explicantur. Subſequebatur in Codice *Soliloquium Hugonis de Arrha animae*, Auctore videlicet Hugone de Sancto Victore, jam editum, & nihil ad rem, quam prae oculis habeo, ſpectans.

RICHARDI

CLUNIACENSIS MONACHI

CHRONICON.

Arolus igitur Primus ex gente Francorum, Romanorum creatus Imperator, imperavit Annis XLV. Hujus temporibus Synodus magna Aquisgranis congregata est Anno ab Incarnatione Domini DCCCIX. In qua Synodo de processione Sancti Spiritus agitatum est, utrum sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio. Hanc quaestionem Johannes Monachus Hierosolymitanus moverat, quum regula & fides Ecclesiastica firme Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere affirmet, non creatum, non genitum, sed Patri, & Filio coaeternum & consubstantialem. In eadem etiam Synodo quaesitum est & ventilatum de statu Ecclesiarum, & ordine singulorum cujusque conversationis, & quales Clerici esse debeant. A tempore, quo Langobardi invaserant Italiam usque adhuc, sunt Anni CCCXVI. Nicephorus Constantinopoli imperat Annis IX. Mauricius filius ejus imperat menses II. dies VI. Hic in loco, ubi pater ejus mortuus est, insanabili vulnere

A

percussus, vix a pugna vivus evasit. Tamen paternae malitiae germanus heres, multa frequenter dehonestavit. Unde facto consilio Michaël Curopalates Imperator a toto Senatu appellatus est. Atque ita factum est, ut dum Orientale Imperium paene deveniisset ad nihilum, nec nisi nomen Imperii apud Bizantium reservatum esset, Domnus Carolus piissimus Augustus ita Occidentale suscitavit Imperium, ut nulli Augustorum jure debeat vocari secundus propter factorum multitudinem & magnitudinem. Mich.ël Curopalates imperat Annis II. vir orthodoxus & amabilis omnibus, omnes qui orthodoxae Fidei adversabantur, prout poterat, curabat extinguere. Praetores verò & Nobiles desperati ab Imperatore, Leonem Patricium, virum strenuum eligunt. Porro Michaël hujus acclamatione auditâ, cum Procopia uxore sua, natisque suis in Oratorium Fari accurrens, detonsis capillis Monastica induit vestimenta. Amaverat autem semper sacrum habitum Monachorum, qui divinae Philosophiae gymnasium est. Porro Leo Imperator regnat Annis VII. menses V. dies XV. Domnus verò Carolus,

B

C

D

ut paulo altius repetamus, regnare coepit Anno ab Incarnatione Domini DCCLXVIII. Quo Anno Pipinus pater ejus obiit, relictis duobus filiis suis, qui elevati sunt in Reges: ideſt Carolus, de quo nunc agitur, & Carlomannus frater ejus; Domnus Carolus in Noviomo Civitate, Carlomannus verò Sueſſionis Civitate. Qui in principio Regni sui contra Waldum Ducem Aquitaniae perrexerunt in Guaſconia, illumque ceperunt. Carlomannus inde reverſus Bertam Reginam duxit uxorem. Qui poſt biennium mortuus eſt, quo regnare coepit. Carolus etenim conſenſu omnium Frsncorum ſuper duo Regna Rex conſtituitur. Regnavit inde glorioſus Princeps Annis XLVII. Hic quarto Regni ſui Anno ſubegit Italism, & Deſiderium Regem Lsngobardorum in Papia Urbe ccpit. Sed filius ejus Aginulſus fugâ lapſus, Byzantium venit. Idem Carolus trigeſimo tertio Anno Regni ſui a Leone Papa Imperator factus eſt. Habuit autem multa proelia cum Saxonibus, eo quod rebelles & infideles contra eum ſemper exiſterent. Deſtruxit ſiquidem fana eorum, & Chriſtianum nomen tam apud eos, quàm apud ceteras gentes tum timore, tum amore propagsbat. Conſtruebat enim in eorum terra Caſtra & Urbes, ad monumentum ſui, ut terram taliter occuparet, & Chriſtianiſmo ſubderet. Intravit autem Domnus Csrolus in Hiſpaniam uſque Caeſarauguſtam, ubi quorumdam Regum Saracenorum recepit obſides; ſuperatiſque inibi pluribus Oppidis, atque Caſtellis in deditione aceeptis, ſalvo & incolumi exercitu revertit. Praeter quod in ipſo Pirenaci jugo Vaſconiam perfidam parumper in re deundo contigit experiri. Nam quum agmine longo, ut loci & anguſtiarum ſitus permittebat, porrectus iret exercitus, in ſummo montis vertice poſitis inſidiis (eſt enim locus ex opacitate ſilvarum, inſidiis opportunus) extremam impedimentorum partem, & eos, qui noviſſimi agminis incedentes, ſubſidio praecedentes tuebantur, deſuper incurſantes, in ſubjectam vallem dejiciunt, conſertoque cum eis proelio, uſque ad unum omnes perimunt. Ac ſic beneficio noctis inſtantis adjuti, cum praeda celerrime diffugiunt. In quo proelio Egiardus Regiae menſae Praepoſitus, Anſelmus Comes Palatii, Huroudland Britannici limitis Praefectus, cum aliis pluribus interficiuntur.

His temporibus Adela Saracenus Bimsugi Regis filius, a fratre ſuo Regno pulſus, ad Carolum venit, ejuſque manibus ſe commendavit. Quem cum Ludovico filio ſuo in Hiſpaniam reverti fecit, ut ei contra fratrem ſubveniret. Miſit autem Imperator alium filium ſuum Pipinum ad diſponenda quaedam negotia Italiae. Legatus autem Idelfonſi Regis Galliciae & Aſturiae, nomine Froja, venit ad eum, praeſentans ei mirae pulcritudinis papilionem. Et poſt pauca Rex idem, depraedatâ ſuper Ssracenos Ulixibonâ, miſit eidem Imperatori Legatos cum muneribus. Poſt illa tempora dum Carolus Româ rediens, cum in Auguſtum a Leone Papa & omni Populo ordinatus eſſet, terraemotus factus eſt Romae: & ex maxima psrte Baſilica Sancti Pauli cum trabibus decidit. In quibuſdsm locis Urbes, montesque ruerunt. Per haec tempora Rex Perſarum inter cetera dona Horologium mirabilis fsbricae illi tranſmiſit, ac Chriſtianos, qui ſub ejus erant Imperio, rogante hoc Domno Carolo

Carolo, mitius ſaepe tractavit. Erat autem tantae admirationi apud exteras gentes, ut etiam ab eis pater Orbis appellaretur. Poſt hoc tempus Ludovicus, filius Imperatoris, quem jam Pater ſuus Regem Aquitaniae fecerat, Tortoſam Civitatem Hiſpaniae obſedit. Sed quia munita nimis erat, inefficax rediit. Hoc etiam tempore Mauri & Saraceni Corſicam, Sardiniam, & Baleares Inſulas, quae omnes ſub dominio Imperatoris erant, nimiâ vexatione vaſtabant. Et Normanni regiones Imperii valde affligebant. Eſt enim Normannia contermina Dacis, ſive Danis, ita ut ſaepe Normanni, ideſt Daci vel Dani ſaepe vocentur. Godefredus verò Rex Normannorum ab ea vana ſpe inflatus erat, ut ſibi totius Germaniae poteſtatem promitteret. Friſiam, Saxoniam ſuas provincias aeſtimabat. Jactabat enim, ſe brevi Aquiſgranis venturum eſſe magnis copiis. Quod revera facere inchoaſſet, niſi morte praeventus eſſet. Dum Imperator pacem cum Imperatore Leone Conſtantinopolitano, & cum Hemingo Danorum Rege pacem haberet, in tres partes diviſit exercitum. Unum miſit trans Albiam in Livonas, quos vaſtavit. Caſtellum etiam ſuperiori Anno a Wilcis deſtructum, in ripa Albiae fluminis reaedificavit. Alterum in Pannonias contra Hunnos miſit exercitum. Tertium in Britones, qui cornu Galliae ſuper litus Oceani reſident. Qui omnes rebus proſpere geſtis, & perdomitis gentibus, ad quas ierant incolumes ad Imperatorem regreſſi ſunt. Anno ſequenti Carolus filius Imperatoris, qui major natu erat, obiit; & Imperator Aquiſgrani hyemavit. Pipinus autem alter filius ejus, quem Regem Italiae fecerat, jam obierat; qui filium

A nomine Bernardum reliquit, quem Domnus Imperator pro patre Regem fecit Italiae. De Domno Carolo Imperatore ſi quis vult plenius noſſe, quae geſſit, geſta Francorum diligenter exquirat. Habuit autem Imperator uxores plurimas, filiam ſcilicet Deſiderii Regis Langobardorum, quam poſt modicum repudiavit. Habuit & Iſdergam nobiliſſimam ſeminam de Suevorum gente, de qua tres filios habuit, ideſt Carolum, Pipinum, & Ludovicum, totidemque filias habuit; & alias tres filias: duas de Faſtrada Regina, tertiam de concubina quadam. Defunctâ vero Faſtradâ, Ildergam duxit uxorem. Poſt cujus mortem tres concubinas habuit: ex quibus omnibus filios & filias genuit. Aquiſgranis Regiam exſtruxit, ibique extremis vitae annis uſque ad obitum ſuum habitavit.

Anno igitur ab Incarnatione Domini DCCCXIV. dum Aquiſgranis degeret, ſeptuageſimo primo aetatis ſuae, Regni vero in Francia XLVII. Imperii XIV. accedente ad febrim lateris dolore, ſeptimâ, poſtquam decubuit, die, horâ diei tertiâ, Oleo Sancto perunctus, ſacrâ Communione perceptâ, V. Calendas Februarii viam univerſae carnis, lux Francorum, ingreſſus eſt, ſepultus Aquis in Baſilica Dei Genitricis, quam ipſe conſtruxerat. Corpus verò aromaticatum, & in ſede aurea ſedens, poſitum eſt in curvatura Sepulcri, accinctum enſe aureo, Evangelium aureum tenens in manibus & genibus, reclinatis humeris in cathedra, & capite erecto, honeſte ligatâ aureâ catenâ ad diadema. In diademate verò Signum Crucis poſitum eſt. Et ſepulcrum repletum eſt aromatibus, pigmentis, balſamo, muſco, & theſauris. Veſtitum eſt corpus ejus Imperia-

perialibus veſtimentis, & ſudario ſub diademate facies ejus cooperta eſt. Sceptrum aureum, & ſcutum aureum, quod Leo Papa conſecraverat, ante eum poſita ſunt. Et ſigillatum eſt Sepulcrum ejus. Nemo enim referre poteſt, quantus luctus fuerit per univerſam terram non ſolùm a Chriſtianis, ſed etiam a Gentibus. Hoc autem ſciendum eſt, quod nulli Imperatorum fecundus Religione & actibus extiterit. Antea verò quàm moreretur, advocatis omnibus Imperii ſui Metropolitanis, omnes theſauros eis tradidit, ut ipſi per ſubjectas ſibi Dioeceſes, Eccleſiis, viduis, orphanis, pauperibus, & ubicumque opus eſſet, dividerent.

Ludovicus Caroli filius imperat Annis XXVII. adhuc imperante apud Byzantium Leone Imperatore. Domnus Ludovicus poſt patris necem, primos Legatos, qui ad patrem undecumque venerant, abſolvit, & alios ad patrem venientes, ſimili modo ſuſcepit. Juſſit autem Domnus Imperator fieri Regulam Canonicis, de diverſis Patrum ſententiis excerptam, ut ſicut Monachi reſpiciunt ad Regulam Sancti Benedicti, ſic perlegant Clerici vitae Librum Clericorum. Operis hujus auctor exſtitit Amalarius Diaconus, qui etiam Librum de Officiis, & alia nonnulla contexuit. Congregavit autem Synodum Ludovicus, ubi Abbates Regni ſui convocavit, & multa utilia teneri eis praecepit, admonens, ut Regulam Sancti Benedicti tenerent; & ut minus quàm ſex Monachi in una Cella non morarentur, quod ab eodem roboratum eſt. Poſuitque Abbatias omnes in manu ſua, ut nemo Comitum vel Epiſcoporum eas inquietare poſſet. Eo tempore Lotharium primogenitum ſuum Imperatorem coronavit, & conſortem Imperii conſtituit. Ceteros verò Reges appellatos, unum ideſt Carolum Calvum, quem de Judith Regina ſuſceperat, Franciae & Burgundiae, Ludovicum Germaniae, Pipinum Aquitaniae praefecit. Iſte Pipinus Angeriacenſe Monaſterium juſſu patris conſtruxit, ubi & Caput Johannis Baptiſtae, ut fertur, repoſuit, quamvis alii apud Byzantium eſſe contendant. Tunc Rabanus Magnencius Monachus, Magiſter Alcuini, in divina Philoſophia claruit. Hoc autem ſciendum, quia idem piiſſimus Imperator conſilio Epiſcoporum & Optimatum ſuorum ea, quae contra Bernardum nepotem ſuum, & circa Adoaldum Abbatem geſta ſunt, ei ſua reſtituendo, publicâ luxit poenitentiâ, & confeſſionem egit, & reconciliatus eſt fratribus ſuis, quos invitos tonderi juſſerat. Denique quiequid ipſe vel pater ejus Domnus Carolus contra aliquos injuſte perpetravit, emendavit, & cum ſumma devotione ſeſe correxit. Item Normanni Herio Inſulam, quae eſt in pago Pictavienſi, factâ per mare irruptione ſuccendunt, quae deſtituta eſt a generali Monachorum habitatione. Ibi enim Dominus Carolus Imperator fecerat Monaſterium Sancti Philiberti; unde his temporibus Corpus Sancti Philiberti, Normannorum infeſtatione de Herio Inſula effoditur VII. Idus Junii, & in Burgundiam a Monachis defertur. Et poſt duos annos Pipinus Rex Aquitaniae filius Imperatoris obiit, ſepultus Pictavi apud Sanctam Radegundim.

Lotharius filius Ludovici poſt patrem imperat Annis XVI. Sed facta eſt altercatio inter eum, & Ludovicum Regem Germaniae, & Carolum Regem Franciae pro Regno Aquitaniae, quod Pipinus eorum frater ſine

ne

ne liberis mortuus vacuum relique
rat. Anno Secundo poſt mortem
Domni Ludovici Carolus Calvus, &
Ludovicus Rex Germaniae Regnum
Aquitaniae invicem partiti ſunt. A-
lio quoque Anno Siguinus Comes
Burdegalenſis, & Xantonenſis Comes
a Normannis capti & occiſi ſunt. Et
Xantonas Civitas a Normannis capta
eſt & concremata, theſauris ejus op-
timis exportatis. His temporibus Nor-
manni diffuſi ſunt per Aquitaniam,
quia Duces ejuſdem Regionis inter ſe
bellis deciderant, nec erat, qui eis
reſiſtere poſſet. Item concrematae
ſunt ab eis Herio Inſula, & Mona-
ſterium de Oras Inſula, Burdegala,
Xantonas, Engoliſma, Lemovicas,
Pictavis, Andegavis, Turonis, Au-
relianis, Pariſius, Belungus, Novio-
mum, & innumera Monaſteria &
Caſtella deſtructa ſunt. Per idem
tempus Canonici Sancti Martialis a-
pud Lemovicas in Monaſticum habi-
tum ſe ſponte transferunt. E contra-
rio Monachi Sancti Martini Turonis
ante Corpus ejuſdem abjecto Mona-
chali ſchemate, ſchema induunt Ca-
nonicale. Sed mox in eiſdem peſti-
lentia irruit, ut una nocte omnes
morerentur. Tunc idem locus in re-
liquum a Canonicis habitatur.

Carolus Calvus poſt mortem fra-
trum ſuorum regnat ſuper Francos
Annis XXIX. ubi nobilem Eccleſiam
apud Compendium de novo conſtru-
xit, multiſque reditibus & praediis
illam ditavit; inſuper Reliquiis, quas
de Hieroſolymis & Conſtantinopoli
advexerat, eamdem inſignivit. Inter
quae pretioſiſſimum Sudarium Chriſti
Domini, quod in Sepulcro habuit,
in praefata Eccleſia repoſuit, quod
uſque hodie ibidem conſervatur. Quo
tempore Normanni Aquitaniam gra-
viſſime affligebant, necnon & alias

Francorum Provincias, Turpio Co-
mes Engoliſmenſis cum Normannis
congreſſus, occidens eorum Regem
nomine Mauru, ab eo ipſe occidi-
tur. Emeno autem frater ejus, En-
goliſmae pro eo Comes efficitur.
Qui poſt biennium cum Xantonenſi
Comite confligens, interemtus eſt,
relinquens parvulum filium ſuum no-
mine Ademarum.

Ludovicus Balbus ſuper Francos
tantùm regnat Annos IV. vel ſicut
alii volunt, II. Hic nil ſtrenue geſ-
ſit ob brevitatem vitae, niſi quod
Monacham unam, ut ferunt, de Mo-
naſterio Kala traxit, & eam duxit
uxorem. Nec ulterius aliquis de Re-
gibus Franciae ſumſit Imperium, eo
quod a patribus degenerarent.

Carolus Simplex ſive Stultus, Lu-
dovici filius, regnat Annis XXV.
infeliciter. Per id tempus Ramnulfus
Comes Pictavienſis filium habuit E-
blum nomine. Ramnulfus verò con-
ſanguineus erat Willelmi Pii Aqui-
tanorum Ducis & Arverniae Comi-
tis. Interim Ademarus filius Emeno-
nis praedicti Comitis Engoliſmae,
quum non haberet Terram, a Rege
Oddone vocatus, Comes Pictavi pro-
vectus eſt; ſed quum non haberet
prolem, una cum ſancta uxore ſua
de his, quae poſſidebat, multa Chri-
ſti Eccleſiis conceſſere. Sanctus verò
Geraldus clam Pictavi ſubductum E-
blum Ramnulfi filium, ne fortè ne-
caretur, Willelmo Pio, cui propin-
quus erat, tradidit nutriendum. Eo
tempore Dux ipſe Willelmus, quum
non haberet heredem, Cluniacenſe
Monaſterium in fundo proprio, qui
eſt in Burgundia, pago Mariſconenſi
conſtruxit, eidem loco Bernonem
Abbatem praeficiens; magnos de ſuo
reditus praefato loco jure dedit here-
ditario.

Anno

Anno igitur ab Incarnatione Domini CMX. primùm praefuit eidem Berno Abbas Annis XVI. Willelmus Pius immaturâ morte praeventus locum imperfectum reliquit, & Ducatus ſui Eblum jam factum Pictavienſem Comitem reliquit heredem: Ex tunc ſiquidem Pictavorum Comites, Duces Aquitanorum fuere. Eblo verò Bituricus, dum Cluniaci coepiſſet inſtitui, ſimiliter coepit aedificare Dolenſe Coenobium in honorem Matris Domini: quod poſtea filius ejus Radulfus reintegravit, & magnam Monachorum cohortem ibidem congregavit, & ſufficienter eis victum contulit.

Adrianus Papa Romae ſedit Annis II. Menſes IV. Quo Pontificatu Coenobium Cluniacenſe a praedicto Duce Willelmo II. pio fundatum eſt. Formoſus ſedit Annis IV. Menſes VII. dies XIII. Hic confirmavit Bernoni Abbati Chartas & donaria, quae fecerat Gignienſi Eccleſiae. Berno Cluniacenſis Abbas moritur. Rodulfus poſt mortem Caroli ſuper Francos regnat Annis XIII. Hujus tempore Oddo Cluniacenſis Abbas obiit.

Ludovicus Caroli Simplicis filius regnat Annis VIII. Per haec tempora Heblus praedictus Pictavorum Comes, & Dux Aquitaniae, duxit Adelam filiam Roſi Rotomagenſis in conjugium. Genuitque ex ea filium Willelmum Caput ſtupae. Circa haec tempora Willelmus Sector-ferri filius Aldoini Comes erat Engoliſmae, qui de genere Caroli Calvi habebatur. Hic reſtituit Reliquias Carrofio Monaſterio, quas Monachi ejuſdem loci infeſtatione Normannicâ, Engoliſmae transfugerant. Nam iidem Normanni creberas irruptiones per Pictavorum terminos, & uſque Carrofium, vel ultra, ſaepius facere conſueverant.

Tunc Ademarus Cluniacenſis Abbas per decennium claruit. Ante quem fuerat Oddo Cluniacenſis tempore Radulfi Regis, cujus juſſu coepit diſponere regulariter Floriacenſe Coenobium. Praefuit autem idem pater Dolenſi, Matiacenſi, Aurelianenſi, & omnibus fere Aquitaniae Coenobiis, quae regulari diſciplina coërcuit.

Lotharius Ludovici filius ſuper Francos regnat Annis XXX. Hic eſt in Regem unctus Remis, & Hugo magnus factus eſt Dux Francorum. Hic Hugo fuit filius Roberti tyranni, qui interfectus eſt a Carolo, quem habuerat a ſorore Heberti Comitis Vermandenſis. Secundo Anno poſt haec ipſe Hugo Civitatem Pictavis obſedit, unde expulſus rediit. Altero Anno obiit ipſe Hugo magnus, ſepultus in Baſilica Sancti Dionyſii, cui ſucceſſerunt tres filii, Hugo, Otto, Henricus. Hugo factus eſt Dux Francorum. Otto Burgundiorum. Mortuo Ottone Duce ſucceſſit ei frater ſuus Henricus. Ademarus Cluniacenſis Abbas obiit Cluniaci.

Ludovicus Lotharii filius ſuper Francos regnat Annis V. Hic adoleſcens, immaturâ morte praeventus, nullum reliquit heredem. Carolus autem frater ejus, ſive ut quidam volunt, patruus ejus, illi ſuccedit in Regnum. Captus eſt autem Carolus cum uxore ſua, ſcilicet filia Herberti Comitis Trecarum, ab Hugone Duce, & ductus Aurelianis in cuſtodia, ubi genuit duos filios Ludovicum & Carolum. Ipſe in carcere poſt tempora plurima mortuus eſt. Tali enim exitu genus Regum, ſive Caroli apud Francos defeciſſe legitur. Majolus Abbas, qui poſt XL. Annos Cluniacenſi praefuit Coenobio, obiit

Silvi-

Silviniacum, ubi eum magna reverentia ſepultus eſt.

Hugo Caped filius Hugonis Magni ſuper Francos regnat Annis X. Dux Aquitanorum & alii Regni Proceres poteſtatem ſuper Epiſcopos, quam antea Reges habebant, tenere coeperunt. Per haec tempora majus Monaſterium, quod eſt Turonis, conſenſu Domni Nicolai Abbatis, proprios coepit habere Abbates. Otto Tertius imperat.

Rotbertus Hugonis filius ſuper Francos regnat Annis XL. Hic fuit Regum piiſſimus, & ſanctae Religionis amicus. Per idem tempus Domnus Odilo Abbas Annis LVI. Cluniacenſi praefuit Coenobio. Hoc tempore Willelmus Caput-ſtupae Dux Aquitanorum in pago Pictavienſi Monaſterium Malliacenſe conſtruxit. Per haec tempora Berengarius Turonenſis vitâ & ſcientiâ Philoſophus clarere coepit. Erravit in fide, ſed poſtea correxit errorem, manibuſque ſuis juxta praeceptum Apoſtoli laborabat, & pauperibus quidquid undeeumque habere poterat, tribuebat, nihil ſibi reſervans, ſi non deeſſet, cui largiretur.

Henricus Rotberti filius ſuper Francos regnat Annis XXIII. Apud Byzantium Michaël imperat. Henricus II. Romanis imperat & Alemannis. Per idem tempus Sanctius Rex Chriſtianorum in Hiſpaniis ſceptrum gerebat. Quo defuncto Frederannus filius Regni ſuſcepit habenas. Per haec tempora Domnus Odilo Abbas qui per LVI. Annos praefuit Cluniacenſibus, obiit. Poſt haec eidem Coenobio praeeſſe coepit Domnus Hugo Abbas, prae ceteris genere, eleemoſynis, prophetiae ſpiritu clarus. Tune Willelmus Dux Aquitanis praeerat. Quo ſine prole defuncto, frater ejus Guido Ducatum ſuſcepit agendum: Hi duo fratres Waſconiam ſibi ſubjugarunt. Per haec tempora Pictavi cum Andegavenſibus haud longe a Gaſtro, quod dicitur Voltunna, grave proelium habuerunt, victique ſunt Pictavi cum multa ſtrage ſuorum, multique ex vivis inter mortuos latuerunt, & ſic incolumes evaſerunt. His temporibus florere coepit in Theutonica terra Menegaldus Philoſophus, divinis & ſaecularibus literis ultra coaetaneos ſuos eruditus. Uxor quoque & filii ejus religione florentes, multam in Scripturis habuere notitiam, & diſcipulos proprios filiae ejus praedictae docebant.

Philippus Henrici filius ſuper Francos regnat Annis XLV. Apud Byzantium Alexius imperat. Super Romanos & Theutonicos Henricus III. Circa haec tempora in Africa a Mauris Marroch Civitas nobiliſſima conditur. Philippus Rex Francorum relicta uxore propria, de qua filium Ludovicum, qui poſt eum regnavit, genuerat, conjugem Comitis Andegavenſis, eo vivente, ſibi conjunxit. Ideo a Romano Pontifice Urbano in Claromontano Concilio excommunicatus eſt. Qui tamdem reſipuit, abjectâ adultera. Per hoc idem tempus Robertus Wiſcardi de Normannia exiens, vir pauper, miles tamen, ingenio & probitate ſua Apuliam & Calabriam ſuae ditioni ſubmiſit, & Inſulam Siciliam de manu Iſmaëlitarum liberavit, Rogeriumque fratrem ſuum ejuſdem Inſulae Comitem appellavit. Deinde mare tranſiens, Durachium Urbem nobilem cepit, Dalmatiamque & Bulgariam ſuper Alexium Imperatorem adquiſivit. Inſuper eum ter bello fugavit, & Romanum Henricum ſemel ab Urbe fugere compulit; & Pontificem Roma-

num, quem ceperat, ab eo liberavit. Qui eum innumerabilia paene feciſſet probitatis indicia, hoc de illo conſtans habetur, quod niſi morte præoccuparus fuiſſet, filium ſuum Boamundum Imperatorem faceret, ſe verò Regem Perſarum, ut ſæpe dicebat, conſtitueret. Numquam viſus eſt fugere, quamvis ſæpe pugnaverit. Venetos, qui contra eum omni virtute ſua convenerant, eum ſtolo ſuo ita profligavit, ut nec fuga nec pelagus illis eſſet auxilio. Nec fuit terrarum locus ita remotus, in quo rumor, fama, timor Wiſcardi per omnium fere ora non volitaret. Et ut verius de eo dici poteſt, nulli Regum aut Imperatorum Wiſcardus ſecundus exſtitit. Solebat enim de eo dicere Wido Dux Aquitanorum, qui fuit vir illuſtriſſimus & proceliator fortiſſimus, ita ut cum fratre Willelmo, qui jam obierat, Guaſconiam ſibi ſubjugaret: *nullum hominem probum debere vocari, niſi ſolum Wiſcardum*. Qui cum eſſet generis ignoti & pauperculi, majus omnibus feciſſet hominibus. Wido autem Dux prædictus novi Monaſterii Coenobium Pictavi a fundamentis erexit, quod de propriis reditibus juxta munificentiam ſuam valde ditavit; Domnoque Hugoni Abbati Cluniacenſi ad diſponendum tradidit. Rotbertus autem Wiſcardi interea mortuus eſt in terris Imperatoris, ubi eum magno exercitu terrâ, marique contra eum perrexerat. De quo quidam ajunt, quod veneno necatus eſt. Sepultus eſt apud Venuſiam in Coenobio Monachorum, quod ibidem ipſe adhuc vivens conſtruxerat. Reliquit enim Rotbertus Wiſcardi moriens duos filios, Boamundum, quem adhuc privatus de privata uxore genuerat, & Rotbertum Ducem Apuliæ, quem de filia Principis Salerni ſuſceperat: quibus terram ſibi adquiſitam dimiſit. Rotbertus autem Dux filium Willelmum genuit, & Ducem poſt ſe Apuliæ reliquit, qui ſine herede mortuus eſt. Boamundus verò, dum poſt mortem patris ſui Francorum Proceres Hieroſolymam tenderent, eis, relictis omnibus, ut dictum eſt, ſe ſociavit, & conſortem laboris ſe ſe fieri rogavit. Qui poſtea captâ a Francis Antiochiâ, Princeps ejuſdem Urbis factus, magnum ob ſuæ probitatis meritum dedit poſteris documentum. Nec non ob morum elegantiam filiam Philippi Regis Francorum, Conſtantiam nomine uxorem habere meruit. De qua filium Boamundum juniorem ſuſcipiens, poſt ſe reliquit heredem. Rotgerus autem Comes frater ſæpe dicti Wiſcardi, Rotgerium filium ſuæ dominationis ſucceſſorem moriens inſtituit.

In hoc tempore Willelmus cognomine Roth-ſeth, qui Anglis imperabat, moritur. Henricus verò frater ejus Regnum ſuſcepit ejuſdem. Fuerunt autem ambo filii Willelmi Baſtardi, qui Angliam acquiſivit. Rotgerius Roberti Wiſcardi nepos, mortuo Willelmo Apuliæ Duce, & Boamundo juniore Antiochiam migrante, utriuſque poſſedit hereditates. Et quum omnia proſpere ſibi ceſſiſſent, Regem ſe vocari maluit, & multos Nobiles, ne ſibi forent contrarii, alios exheredavit, alios occidi præcepit, & eorum terras ſolus poſſedit. In Urbe Venuſia, ubi Rotbertus Wiſcardi ſepultus eſt, & Poëta Horatius natus, in quadam Turre veteri, quæ muro Urbis adhæret, conditus eſt. Hoc tempore Anſelmus Philoſophus in Francia floruit: deinde Cantuarienſis Archiepiſcopus ordinatus, ſanctitate pollens, in Francia mori-

moritur. Circa haec tempora Certuſiae Monaſterium in Alpibus conſtruitur, ubi Monachi in cellis habitant, orationi, lectioni, & contemplationi vacantes. In illo tempore illud famoſiſſimum Coenobium ſeminarum, quod dicitur Fons Ebraldi, conſtruitur in pago Pictavienſi a Rotberto de Bruxello, juvante eum Petro Pictavorum Epiſcopo, cujus ſanctitatem crebra miracula tumuli ejus loquuntur, & praedicant. Poſt aliquot annos Ciſtellenſe Coenobium aedificatur; unde tanta ſeges religionis efloruit, ut omnem fere Latinitatem repleverit. Poſt haec, tot, & tam diverſarum Sectarum Monaſteria in Galliis fabricata ſunt, ut non ſit facile ſingulis immorari.

Urbanus Papa, qui & Oddo, Cluniacenſis Monachus, & poſtea Oſtienſis Epiſcopus, ſedit Annos XI. Menſes VI. Hic primus iter ad capiendam Hieruſalem, in Claromontano Concilio, An. ab Incarnatione Domini MLXXXV. regnante in Alemannia Henrico Imperatore, in Francia Rege Philippo, praedicavit & praevaluit. Nam Franci, Domino inſpirante, Crucem in veſtibus ſuis inſuentes, cum robore exercitus, quamvis labore inexplicabili, per Conſtantinopolitanam Urbem iter facientes, ubi cum Alexio Imperatore foedus pepigerunt, ſicut ipſe poſtulavit ab eis, facti tamen homines illius. Huic exercitui praefuerunt nobiles viri Godefredus ſcilicet Dux Regni Lotharienſis cum fratribus ſuis Baudoino, & Euſtachio Conſulibus claris: Raimundus Comes Sancti Aegidii: Boamundus Rotberti Wiſcardi filius: Petrus Eremita: Tancredus: Stephanus Bleſenſis Comes: Rotbertus Normanniae Comes, Willelmi Regis Anglorum filius: Rotbertus Comes Flandriae: Hugo magnus frater Philippi Regis Francorum, & alii multi. Deinde mare, quod Brachium Sancti Georgii dicitur, transfretantes, ad Nicaeam Urbem properarunt, quae ab eis quinque ſeptimanis obſeſſa, ac vi & ingeniis valde coartata, Alexio Imperatori ad ultimum reddita eſt. Poſtea per multos labores pervenerunt Antiochiam, quam praenominant parvam in Provincia Piſidiae: deinde Iconium. Quum autem perveniſſent ad Eracleam Urbem, viderunt ſignum in Coelo, in modum enſis figuratum, cuſpide verſus Orientem protento. Tunc profecti ſunt ad Oppidum, quod Mariſcum nominant. Profecti inde Baldoinus Comes frater Godefridi, relicto exercitu cum illis, quos ſecum duxit, Urbem, quam dicunt Tarſum Ciliciae, auſu magno ceperunt, quam Tancredus violentee abſtulit, qui jam in ea homines ſuos, Turcis ei conſentientibus, intromiſerat. Itaque confidens in Domino, cum paucis militibus proficiſcens verſus Euſratem fluvium, comprehendit ibi Caſtella plurima, inter quae unum cepit peroptimum, quod vocant Turbexel, Armenis ſibi conſentientibus. Fama autem ejus longe lateque circumfusa miſit ad eum legationem, qui Princeps erat Civitatis Edeſſe, ideſt Roais, non habens filium, nec filiam. Eſt autem Roaia in Meſopotamia Syriae, trans flumen Euſratem viginti fere milliariis, ab Antiochia diſtana quaſi centum vel paulo plus. Baudoinus cum ſuis tranſito Euſrate, veniens Roais, a Principe ipſius Urbis & uxore, & Civibus alacriter ſuſceptus eſt. Poſt quindecim verò dies peremto Principe ab Edeſſenis, Baudoinus in Palatio ad dominandum ſublimatus eſt. Menſe

Octobri perveniunt Franci Antiochiam Syriae, flumine transito, quod Fernum & Orontem nominant. Ante Urbem jussa sunt tentoria extendi. Est Antiochia Civitas magna ambitu, sive fortis & muro valida: quae etiam ab * hostibus exercitus numquam poterit comprehendi, si tantùm inhabitantes pane muniti eam defendere voluerint. Estque in ea Basilica una satis veneranda, in honore Sancti Petri Apostoli dedicata, ubi sedit in cathedra in Episcopum sublimatus postquam a Domino Principatum Ecclesiae, clavibus acceptis Regni caelestis, suscepit. Est & alia in honore Beatae Mariae fabricata: suntque aliae plures Ecclesiae decenter compositae. Tredecim fere milliariis distat mare ab Antiochia; & quia Fernus fluvius inibi mare incidit, per ejusdem alveum fluvii usque prope Antiochiam naves de longinquis partibus bonis refertae omnibus deducuntur. Itaque tam per terram, quàm per mare munita bonis abundat Civitas multimodis divitiis. Et quoniam de Antiochia se occasio nobis praebuit, de situ ejusdem necessarium esse dicere aliquid videtur. Est quaedam planicies inter montes Libani, quae in latitudinem per diem unum tenet viatorum, & dimidium diem in longitudine. Haec autem planicies habet ab Occidente paludem quamdam, ab Oriente fluvium, qui quamdam partem ejusdem planicici cingit ad pedes montium, quos illa terra habet; a Meridie ita recurrit, ut inter montes & fluvium transitus nullus sit; & sic mari Mediterraneo, quod Antiochiae proximum est, influit. In angustiis autem illis, quas fluvius tam adhaerens supradictis montibus facit, Antiochia sita est, ut ab Occidente flumen inferiori muro influens, quamdam in modum sagittae partem terrae inter se & ipsam Civitatem relinquit. Hoc modo ab Oriente Urbs sita surgit in Oriente, atque suo ambitu trium montium juga complectitur. Ille verò mons, quem a Septentrione habet, quodam maxime praerupto ab aliis dividitur, ut ab illo ad alios nullus, vel difficillimus aditus, habeatur. In Colle autem ad Septentrionem Castellum quoddam est, & in medio colle Castellum aliud, quod Linguâ Graecâ Calax (*) vocatur. In tertio colle tantùm Turres. Tenet autem haec Civitas duo milliaria in longitudine, muris & turribus & antemuralibus ita munita, ut nullius machinae impetus, nullius hominis assultus, etiamsi omne genus hominum conveniat, vereatur. Sed quum Antiocheni a Francis se obsideri conspicerent, Gratianus Admiratus misit filium suum, Sansadolam nomine, ad Soldanum Imperatorem Persidis, ut eis succurreret. Quod & factum est. Obsessa est autem Antiochia circiter XI. Kalendas Novembris, capta verò III. Nonas Julii. Corbogat autem Turcorum Dominus a Soldano de Perside missus cum exercitu innumerabili, ad auxilium Antiochenorum venit. Sed, Domino volente, antequam veniret, Urbs Antiochena Francis reddita est.

Apparuit autem Dominus cuidam Turco, gratiâ suâ praeelecto, praecepitque ei, ut Civitatem Christiania redderet, quo audito Turcus mandavit Francis, quod Civitatem eis redderet. Igitur Franci, communicato consilio miserunt ad haec experienda Boamundum, Godefredum Ducem, & Flandrensem Comitem. Quumque per

(*) an *Chalaza?* hoc est, Graece χάλαζα.

per medium noctis ad collem veniſſent Civitatis, remiſſus internuntius ab eo, qui Civitatem reddebat, dixit, *Expectate pauliſper, dum lampas tranſeat*. Etenim tres viri, vel quatuor cum lampadibus per muros Civitatis totâ nocte pergebant, excitando, & commonendo vigiles. Poſt haec autem appropinquantes ad murum, & erectâ ſcalâ, coeperunt aſcendere Franci. Primus quidam Francus, nomine Fulcherius, frater ſcilicet Budelli Carnotenſis, muros intrepidus aſcendit; quos Comes Flandrenſis ſequutus, Boamundo, & Duci Godefredo mandavit, ut aſcenderent. Jam enim quadraginta milites per chordas introierant, qui ſexaginta Turcos trium turrium cuſtodes occiderant. Quumque omnes feſtinarent, ut alius alium praeveniret, fracta eſt ſcala. At verò hi, qui aſcenderant, deſcendentes in Civitatem, Poſterulam quamdam aperuerunt. Per quam ingreſſi Franci coeperunt clamare: *Deus hoc vult; Deus hoc vult*. Ad hanc vocem turbata eſt Civitas. Diſcurrebant Turci ac Franci per vicos & plateas Civitatis, & Turci a Francis trucidati & peremti ſunt. Quod videns Gratianus Ammiratus Antiochiae, egreſſus per Poſterulam quamdam, ab Armenis ruſticis decollatus eſt, caputque ejus Francis allatum eſt. Non poſt multos verò dies Franci capto conſilio mandaverunt per Petrum Eremitam Corbagat & Turcis, qui Urbem obſederant, quod niſi a Terra illa recederent, ſequenti die ſine dubio bellum contra eos inirent. Quod reſpuens Corbagat, Franci praeparati ad bellum ſummo mane exierunt de Civitate, IV. ſcilicet Kalendas Julii. Ecce Hugo magnus, & Rotbertus Normannus, & Comes Flandrenſis

A primi conſtituti ſunt invaſores: deinde Dux Godefredus cum Alemannis: tertius Ademarus Podienſis Epiſcopus, cum familia Raimundi Comitis. Ipſe verò Raimundus in Urbe remanſit ad cuſtodiendam eam. Poſtremo egreſſus eſt Boamundus cum gente ſua. Huic verò tradiderat Turcus praedictus filium ſuum obſidem, qui

B Antiochiam Francis reddiderat. Quod videns Corbagat a tentoriis ſuis, ubi ſcaccis ludebat, vocavit quemdam Turcum, qui de Antiochia aufugerat, nomine Amirdalim, Francis notum per malitiam ſuam. Qui ait Corbagat:

C *En Franci veniunt. Vel nunc fuge, vel bene pugna.*
Nam ſignum video magni procedere Papae:

ideſt Ademari Podienſis Epiſcopi. Amirdalis mox diſcedens ab eo, equum calcaribus urſit.

D *Cogitat, an fugiat: ſocios tamen admonet ipſe,*
Fortiter ut pugnent, omnes jaciantque ſagittas.

Fugatis Turcis, & a Chriſtianis interfectis, Boamundus Antiochiam cum tota provincia poſſedit, eliminatis inde omnibus hominibus Raimundi Comitis, quos ibi cuſtodes reliquerat.

E Tunc temporis obiit Ademarus Podienſis Epiſcopus, Kalendis ſcilicet Auguſti, cujus anima quiete potiatur aeternâ. Poſtea Hugo Magnus Conſtantinopolim, conceſſu Heroum abiit, deinde in Franciam. Igitur quum capta eſſet Civitas Antiochiae, Sanctus Andreas apparuit cuidam ruſtico pauperi, Provinciali genere, dicens: *Veni, & oſtendam tibi Lanceam Domi-*

Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam Raimundo Comiti donabis. Etenim eam Dominus conceſſit illi, ex quo genitus eſt. Induxitque eum in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli, ubi Lanceam Domini ei tradidit, quam de ſub terra produxit. Haec igitur viſio facta eſt, antequam Civitas caperetur. Poſt Civitatem captam praedictus homo, qui de Lancea dixerat, venit in Eccleſiam Beati Petri cum Raimundo Comite, & Capellano ſuo, Raimundo ſcilicet de Angelers, & aliis paucis, & coepit fodere in terra; inventaque eſt Lancea XVIII. Kalendas Julii. Quam ſuſpiciens Raimundus Comes, in Capella ſua honeſte poſuit.

Anno ab Incarnatione Domini M.LXXXIX. profecti ſunt ad Caſtrum, Archas dictum, ad radicem Libani ſitum. Iſtud Oppidum antiquiſſimum condidit Archeus Chanaan filius, ut legitur. Ibique conſilio inito, quia de Lancea Domini multi dubitabant, poſt ſupplicationem triduani jejunii, octavo Menſe poſt captam Antiochiam, benedictione judiciali, ſuper ſtruem lignorum in medio campi, ab Epiſcopis facta, inventor Lanceae per medium rogi flammantis ultro celeriter tranſmeavit. Quo tranſacto, illum hominem, quaſi reum, in cute flammis crematum viderunt, & in interiori corporis parte laeſum morituram intellexerunt. Quod rei exitus monſtravit, quum die XII. ipſo angore obiit. Et qui ob honorem dei & amorem omnes Lanceam venerati fuerant, hoc judicio peracto, omnes facti increduli, obſtinati ſunt valde; Comes tamen Raimundus tamdiu eam ſervavit, donec eam, neſcio quo eventu, perdidit. Factum eſt poſt victoriam, dum Franci apud Rojam manerent, quod Sanctus Andreas manifeſtaret ſe Petro Bartholomaeo infra tentorium, ubi manebat Epiſcopus Athenſis, & Capellanus Comitis Raimundi, & alius Capellanus nomine Simon. Alio quoque tempore, dum eſſent ad obſidionem Archados, apparuit Dominus crucifixus cum Petro & Andrea eidem Petro Bartholomaeo ſimplici & honeſto viro, quieſcenti in Capella Comitis Sancti Aegidii, cum quo multa de inventione Lanceae, & de incredulitate Francorum, & de nonnullis aliis loquuti ſunt. Hanc autem viſionem dum Francis aperiret, adhuc facti increduli, Petrus nimium iratus, ſicut homo ſimplex, & qui veritatem noverat, dixit: *Volo ac deprecor, ut ſiat ignis maximus, & cum Lancea Domini inculumis tranſeam. Sin autem, comburar in igne.* Sicut poſtulavit, ſic & factum eſt. Praeparatus eſt ignis de oleis ſiccis, habuitque in longitudine XIII. pedes, & erant duo aggeres, & inter utroſque ſpatium quaſi unius pedis, & in altitudine aggerum erant IV. pedes. Quum verò ignis vehementer accenſus eſſet, Petrus Bartholomaeus indutus ſolummodo tunicâ, flexiſque genibus ante Epiſcopum Albaſienſem, Dominum teſtem invocavit, quod facie ad faciem ipſum in Cruce viderit. Poſtea quum Epiſcopus poſuiſſet Lanceam in manu ejus, flexis genibus, factoque ſibi ſigno Crucis, viriliter cum Lancea & intrepidus & imperterritus incendium ingreſſus eſt, atque per ſpatium quoddam in medio ignis demoratus eſt. Et ſic per Dei gratiam illaeſus tranſivit. Egreſſus Petrus de igne abſque ulla laeſione, ſignavit Populum cum Lancea, exclamavitque alta voce: *Deus adjuva.* Populus autem volens eum tangere, vel de veſtimento ejus aliquid accipere, fe-

erunt tria vel quatuor vulnera in ejus cruribus, abſcindentes de carne, & pinnam dorſi ejus confringentes crepuerunt eam. Deinde Raimundus Comes dimiſit obſidionem Archados, admonitione cujuſdam Sacerdotis, Petri ſcilicet Deſiderii, cui Sanctus Andreas apparuerat, dicens, ut Chriſtiani Hieruſalem irent. Hac igitur viſione collectis tentoriis iter agentes, tranſierunt Urbem Tripolim. Qua tranſita juxta Gibellulum Caſtellum meaverunt. Aprilis menſis erat, & jam de meſſibus vivebatur. Ultra deinde progreſſi haud longe ab Urbe Beruto tranſigentes, invenerunt poſtea Urbem aliam, quam legimus, Sidonem vocabulo dictam, in terra Foenice, quam condidit Sidon filius Canaan, a quo Sidonii; exin Sarepta Sidoniorum. Deinde invenerunt Tyrum Civitatem peroptimam, unde fuit Apollonius, de quo legitur. De his etiam duabus Evangeliſta ſonat: *in partes Tyri & Sidonis.* Harum autem regionis incolae priorem Sagittam, alteram verò Sur nominant. Nam Hebraice *Soor* dicitur; & eſt in ſorte Nephtalim. Poſt has tranſierunt Ptolemaidam, prius Achon dictam, quam quidam errantes Accaron ſolebant legere, quod nos etiam faciebamus, quum primitus terram Palaeſtinorum introivimus. Sed Aecaron eſt Urbs Philiſtaea inter Azotum & Jamniam prope Aſcalonem; Accon verò, ideſt Ptolomaida, ab Auſtro habet Carmeli montem; juxta quem tranſeuntes ad dexteram reliquerunt oppidum Gayphan dictum. Exin juxta Doram, vel Pyrgum, poſt haec juxta Caeſaream Palaeſtinae inceſſimus, quae quidem dicebatur & altero nomine Turris Stratonis, in qua Herodes dictus Agrippa, nepos illius Herodis, ſub cujus tempore natus eſt Chriſtus, percuſſus ab Angelo, conſumtuſque a vermibus, infelieiter expiravit. Tunc quidem a dextera parte reliquerunt maritima, & per Urbem nomine Ramulam perrexerunt, de qua Saraceni incolae jam aufugerant, pridie quàm illuc Franci pervenſſent. Poſt paucos verò dies ad Urbem Hieruſalem properantes, hoſpitati ſunt juxta Caſtellum, quod dicitur Emaus. Inde ad Urbem appropinquaverunt, relictâ Gabon a ſiniſtra parte, quae a Hieruſalem L. ſtadiis diſtat.

Obſeſſa eſt autem Hieruſalem a Francis VII. Idus Junii, capta verò Idibus Julii Anno ab Incarnatione Domini MC. minus Anno. Godefredus autem Dux Lotharingiae ab omni Populo in Regem conſtituitur. Canonici in Eccleſia Sepulcri, atque in Templo locati ſunt. Tunc inventa eſt particula Crucis Dominicae a quodam homine Syro, qui cum patre ſub eam abſconderat & conſervaverat. Quae in modum Crucis reformata, aureâ & argenteâ fabricâ eſt velata. Eſt quidem Civitas Hieruſalem in montano loco ſita, rivis, ſilvis, fontibuſque carens, excepto fonte Sylcè, ubi ſufficienter interdum aqua habetur. Ciſternae autem multae, & aquae ſatis abundè in Urbe habentur. Habet autem Civitas ab occaſu Solis Turrim Davidicam, utroque latere murum Urbis ſupplentem, quae uſque ad medietatem ſui parte inferiori ſolide maſſata eſt, & de lapidibus coementata quadratis & plumbo fuſili ſigillatis. Eſt in eadem Urbe Templum Dominicum rotundum, compoſitum ab Humaro Principe Saracenorum, ut ſuperius dictum eſt, in eodem loco, quo Salomon alterum prius inſtituit mirificum. In cujus medio eſt rupis nativa

ratque cum his Raimundus Comes, qui apud Conſtantinopolim moram fecerat, jam de Hieruſalem regreſſus; nec non Stephanus Burgundiae Comes, multique alii nobiles, adjecto ſibi innumero Populo, exercitu bipartito facto. His in Romaniae finibus obſtitit Soliman Turcus, ita ut peremtis eorum plurimis, equos & mulos, jumenta & omnimoda eorum ornamenta haberet. Illic perdidit Comes Pictavienſis quaecumque habebat. Vix etiam mortis praeſentiam evadens, pedes tamdem, & proh miſeria! lugubris, Antiochiam pervenit. Cujus anxietati Tancredus compatiens, eum pie ſuſcepit, & de bonis ſuis ſublevavit. Quem Dominus ita caſtigans caſtigavit, ſed morti non tradidit. Qui autem evaſerunt, uſque Hieruſalem venire non cuſſiverunt, excepto Hugone Magno, quem in Tharſo defunctum ſepelierunt. Et quum prope Paſcha eſſet, Hieruſalem, quo deſiderabant, perrexerunt. Et poſtquam ſacroſancta loca viſitaſſent, cum Baudoino Rege Joppen omnes regreſſi ſunt. Tunc quia inops erat Comes Pictavienſis, & deſolatus omnimode, navim aſcendens, in patriam remeavit.

Anno MCIII. Baudoino Rege contra Saracenos more ſolito certante, contigit eum die quodam in paucos eorum irruere. Et dum de internecione eorum jam certus gauderet animo, en Aethiops unus paenes rupem deliteſcens, callide inſidiatus eſt ei, ut interimeret. Qui miſſili ſortiter vibrato prope cordi Regem a dorſo profunde vulneravit. Quo ictu paene uſque ad mortem laeſus eſt. Sed quum poſtea medicari ſe ſolicite ſtuduiſſet, poſt inciſionem vexatae cicatricis, tamdem ſoſpes effectus eſt. De Domno autem Boamundo rumor

A deſiderabilis tunc divulgatus eſt, quia Deo propitiante de Turcorum captione liberatus per redemtionem exierat. Qui poſtea ob morum elegantiam, Conſtantiam filiam Philippi Regis Francorum uxorem habere meruit. De qua filium Boamundum juniorem, ſuſcipiens, poſt ſe reliquit heredem.

B Anno MCVIII. obiit praedictus Philippus Rex Franciae.

Anno MCX. applicuit Joppe gens quaedam Noirenſis dicta, cum LV. navibus, quam de mari occiduo concitaverat Deus, ut irent Hieruſalem. Qualiter mare Oceanum Mediterraneo mari, quod uſque Palaeſtinam & Aegyptum tendit, perlabitur, huic paginae interſerere curavimus. Dubitatur etiam nunc, quibus ex cauſis intumeſcat Oceanus, vel quatenus, quum ſuperfluus ſibi fuerit, rurſus in ſe reſidat. Phiſici ajunt, Mundum animal eſſe, eumque ex variis elementorum corporibus conglobatum, moveri ſpiritu regente: quae utraque diffuſa per membra omnia, aeternae molis vigorem exerceant. Sicut ergo in corporibus noſtris commercia ſunt ſpiritualia, ita in profunditatem Oceani nares quaedam, per quas anhelitus emiſſi, in ſe reducti modò inflant maria, modò revocantur. At hi, qui ſiderum ſequuntur diſciplinam, contendunt, meatus iſtos moveri Lunae curſibus, adeo ut ſicut viciſſitudinis iterum maciem squarum, & plenitudinem reſpiciant ad actus vel eliquia. Neque eodem ſemper tempore, ſed prout illa aut mitigatur, variant ſe alternantes recurſus. In eapite Baeticae, ubi extremus terminus noti Orbis eſt, Inſula continenti ſeptingentis pedibus ſeparatur, quam Tyrii a Rubro mari profecti, Eri-

threa, Poeni, linguâ ſuâ Gades, ideſt Septam, nominaverunt: unde Gaditanum fretum a Gadibus dictum eſt. Athlanticus aeſtus in Mediterraneum mare diſſidium immittit orbis. Nam Oceanus, quem Graji de celeritate ſic nominant, ab occaſu Solis irrumpens, laevo latere Europam radit, dextero Africam, ſciſſiſque duobus montibus, Calpe, & Abyla quos dicunt Columnas Herculis eſſe, funditur inter Mauros & Hiſpaniam, ac freto iſti, cujus longitudo quindecim millia paſſuum effi it, latitudo vix ſeptem, quodam oſtio limen aperit interni aequoris, mixtus Mediterraneis ſinibus, quos ſinus uſque ad Orientem propellit. Sinus verò ille, qui Hiſpaniam perfundit, Hibericus fertur & Balearicus. Qui Narbonenſem provinciam, Gallicus: moxque Liguſticus. Ab eo ad Siciliam Tuſcus, quem Graeci Yonium vel Tyrrhenum, Itali verò Inferum vocitant. A Sicilia uſque Cretam Siculus. Inde Creticus, qui in Pamphiliam & Aegyptum. Quae aquarum moles torto in Septemtrionem prius latere, anfractibus magnis juxta Graecias & Illyricum, per Helleſpontum in anguſtias ſtringitur Propontidis. Quae Propontis Europam Aſiamque diſcriminans, ad Paludes Maeotidas pervenit. Hic eſt quartus ſinus Europae. Hic Helleſpontus incipit. Maeotis oſtio terminatur. Nota, quod omnis haec latitudo, quae Europam Aſiamque dividit, in ſeptem ſtadiorum anguſtiss ſtringitur in Propontidem; mox in quingentos paſſus coartatus, fit Boſphorus Thracius, quo Darius copias tranſportavit. Haec profunditas Delfinos plurimos habet. Cauſas nominum non uniformis dedit ratio. Aſiaticum, & Phoenicium a provinciis dictum; ab inſulis Carpatium, Aegeum, Icarium, Balearicum, Cyprium; a gentibus Auſonium, Dalmaticum, Liguſticum, Tyrium; a caſibus hominum vel Helleſponticum; a memoria Regis Yonium; a bovis tranſitu, vel anguſtis meatibus boum perviis, Boſphorus; a moribus accolarum Euxinus, Auxinus antea appellatus; ab ordine fluenti Propontis. Aegyptius pelagus Aſiae datur, Gallicus Europae, Africus Lybiae. His ut quaeque proxima ſunt, veniunt in partes partium. Haec in gremiis terrarum. Oras autem extremas Oceanus amplectitur, quia a litoribus ſuis Arabicus, Perſicus, Indicus, Eous, Sericus, Hircanius, Caſpius, Scythicus, Germanicus, Gallicus, Athlanticus, Libicus, Aegyptius dicitur. Cujus acceſſus incrementa, extra litora Indiae vehementiſſime proruunt, maximoſque ibi impetus faciunt, ſive quod ſuſpenſius altius tollatur vi caloris, ſeu quod in ea parte orbis, fontium, & fluminum copia ſit uberior. Non eſt omittendum unde Mediterranea maria caput attollant. Aeſtimant enim quidam, ſinus iſtos a Gaditano freto naſci, nec aliam eſſe originem, quàm eliquia irrumpentis Oceani. Qui contrarium ſentiunt, dicunt, omnem illum fluorem a Ponti faucibus inundare, idque fulciunt argumento non inani, quod aeſtus e Ponto profluus, numquam reciprocetur. Per has anguſtias, quas ſupra diximus, ſcilicet inter Calpem & Abylam memorati Noirenſes ab Oceano Occidentali per mare Mediterraneum ad auxilium Chriſtianorum in Palaeſtinam devenerunt. Quos Rex Boamundus benigne ſuſcipiens, cum auxilio eorum Urbem Sydonem obſedit. Quod videntes Sydonii Urbem Regi reddiderunt.

Anno

Anno MCXV. Rex Baudoinus profectus in Arabiam, aedificavit Caſtrum unum in monticulo quodam, quod reperit ſitu forti ac priſco, non longe a Mari Rubro, ſed quaſi trium dierum itinere, a Hieruſalem verò quatuor. Quod Caſtrum Regalem montem nominavit. Sequenti verò Anno cupiens videre, quod non viderat, cum ducentis fere militibus uſque Mare Rubrum iter eundo expedivit, invenitque ibi Helim Civitatem, ſecus litus ejuſdem maris, ubi Populum Iſraëliticum poſt maris tranſitum hoſpitatum eſſe legimus. Haec ab Hieruſalem ſeptem dierum equitis itinere diſtat. De qua, qui ibi verſantur piſcatores, audito Regis adventu, egreſſi ſunt, & intrantes naviculas ſuas, in Mare illud ſe pavidi impegerunt. Qua viſione Rex laetatus, ad Montem regalem reverſus eſt, deinde Hieruſalem. Hoc autem Mare Rubrum dictum eſt, quod illic ſabula & lapilli rubri habeantur in fundo, unde intuentibus rubrum apparet, quod tamen in vaſe quolibet hauſtum, cernitur tamquam aliud mare limpidum & album. Derivatur autem a magno mari, ſcilicet Oceano, ut dicunt, a parte Auſtrali, quaſi lingua eruptum, & uſque ad Helim jam dictam verſus Septemtrionem protentum, faciens ibi finem non longe a Monte Sinai; ſed quantum poteſt eques aliquis uno die proficiſci. A Rubro verò mari, vel ab Helim jam memorata uſque ad Mare magnum, quo ab Joppe, vel Aſcalone, ſive Gazà contra Damiat pergitur, iter eundo dierum quatuor vel quinque equitis ambulatione aeſtimant. Quo inter haec duo maria ſinu eingitur Aegyptus tota, atque Numidia, nec non Aethiopia, quam Gion Paradiſi fluvius, qui & Nilus, circuit, ut in Bibliotheca legitur. Poteſt mirari, ſed numquam rimari, quomodo vel qualiter fluvius iſte, qui de Paradiſo eum tribus aliis legitur emanare, ortum ſuum videatur iterum recuperare, quum ab Orientali parte mare habeat Rubrum, & ab Occaſu, in quo incidit, Mare Magnum. Habet enim inter ſe Mare Rubrum, & Orientem poſitum, ubi eſſe intelligimus Paradiſum, ex quo egreditur. Quomodo ergo citra Mare illud Rubrum reſumit ortum ſuum? Et quomodo tranſit idem Mare, vel non tranſit, admiratur.

Anno MCXVII. obiit Paſchalis Papa Menſe Januario; Baudoinus Rex in Aprili; Uxor ejus, quam dereliquerat in Sicilia; Arnulfus Patriarcha Hieroſolymitanus; Alexius Imperator Conſtantinopolitanus; aliique plures Proceres in Mundo.

Sequenti igitur Anno MCXVIII. quum Rex Baudoinus Urbem Pharamiam vaſtando dirupiſſet, die quadam, quum juxta fluvium, quem Graeci dicunt Nilum, Hebraei autem Geon, laetus cum ſuis deambulaſſet, & de piſcibus illic inventis comediſſet, ſenſit Rex intrinſecus ſe angore plagae ſuae veteris graviſſime renovato debilitari. Quumque remeare vellet Hieruſalem, & uſque ad villam, quae dicitur Laris, perveniſſet, obiit. Obtinuit autem Regnum Hieroſolymitanum Annis X. & octo Menſibus, tribus inſuper appoſitis. Acon, Caeſaream, Berutum, atque Sydonem abſtulit infandis hoſtibus indigenis. Poſt, terras Arabum, vel quae tangunt Mare Rubrum, addidit Imperio, ſubdidit obſequio. Et Tripolim cepit, ſed & Arſuch non minus urſit. Pleraque praeterea fecit honore rata. Sepultus eſt autem in Golgotha juxta Ducem Godofredum

fratrem ſuum. Initoque conſilio Hieroſolimytani creaverunt ſibi Regem, Baldoinum videlicet Comitem Edeſſenum, Regis defuncti cognatum, qui tranſito Euſrate fluvio, Hieruſalem fortuitò coiverat cum praedeceſſore loquuturus. Communiter electus, die Paſchae eſt conſecratus.

Anno MCXXII. Goſcelinus Comes Edeſſenus, & Galerannus cognatus ejus capti ſunt a Balac Admirato quodam.

Sequenti etenim Anno (MCXXIII.) Henricus Rex Alemanniae cum Calixto Papa pacificatur. Deo autem gratias, qui Regnum & Sacerdotium in dilectione conſoederavit. Eodem tempore Baldoinus Rex capitur a Balac, qui antea Goſcelinum & Galerannum ceperat. Poſituſque eſt cum eis in Caſtello quodam, ſitu fortiſſimo, & celſitudine nimis arduo, & difficili comprehendendo; quod eſt in Meſopotamia cis Euſratem, quodque Carpatheta nuncupatur. Unde Baudoinus Rex Menſe Auguſto mediante ſuperna clementiâ providente, cum Galeranno praedicto illaeſus exivit. Goſcelinus verò Comes ante eos cum tribus famulis per medios hoſtes extra Caſtrum radiante Lunâ eruperat. Qui continuo unum ex eis Regi remiſit, portantem annulum ſuum, ut taliter ſignificaret, ſe ab hoſtibus obſeſſoribus extorſiſſe. Sic enim fieri invicem decreverant. Quumque audiſſet Balac, quod apud * Carthapetam contigerat, & quemadmodum Comes Goſcelinus de captione evaſerat, quantocius potuit, illuc iratus perrexit. Et Regem blande alloquutus, flagitavit, ut ei Caſtellum ſuum redderet, & ita quietum eum abire permitteret, datiſque obſidibus, ut uſque Antiochiam, vel Edeſſam perduci ſalve faceret. Cui Rex annuere nolens, fecit Balac rupem, ſuper quam Caſtrum ſitum erat, ſuffodi, & ſuccenſis fulcimentis, Turris quaedam cum magno ſonitu decidit. Unde Rex Baldoinus totâ virtute cum ſenſu perditâ, ante Balac, ipſe & alii capti, ſupplices addicti ſunt, nihil niſi ſupplicium ſecundùm merita expectantes. Regi tamen indultâ vitâ pepercit, & cuidam Galeranno nepoti ſuo. Armenos autem, qui adjumento Regi contra Balac exiterant, alios quidem pependit, alios excoriavit, quoſdam nempe per medium caecidit. Regem verò cum tribus de ſuis de Caſtro ejecit, & ad Carram Civitatem adduci fecit.

Anno MCXXIV. quum circa Tyrum Chriſtiani in obſidione laborarent, Balac contra eos cornu ſuum extollere non ceſſabat. Qui egreſſus ab Urbe Calipato cum exercitu ſuo, perrexit Hierapolim Urbem, quae Mumbeth vulgariter vocitatur. Quumque poſſeſſor ejus nefarie decollaretur, eadem Urbs a Balac obſeſſa eſt. Quod non latuit Goſcelinum Antiochiae tunc morantem. Et habitâ inde legatione, acceleravit cum Antiochenis illuc ire. Nec diu morâ protractâ, commiſſa eſt ferocior pugna, in qua Balac fauciatus, divertit moribundus in partem. Cujus caput primo Antiochiam, deinde Tyrum, poſtea Hieruſalem, ad declarationem geſtae rei, Goſcelinus deferri fecit. Videbat enim Balac in viſu tempore illo, quo Goſcelinus de captione ſua mirabiliter evaſit, oculos ſibi ab eodem Goſcelino erui. Hoc tempore Hugo Abbas Cluniacenſis obiit.

Ludovicus Philippi filius Francis praefuit Annis XXIX. Hic fuit Rex mitis & liberalis, & in multis Regnum dilatavit & melioravit. Bel-

lum

lum praecipuum cum Henrico Rege Anglorum habuit, in quo tamen ſeditione quorumdam & factione victus eſt & fugatus. Willelmus Aquitanorum Dux, cui infortunium in via Hieroſolymitana contigerat ante haec tempora, contra Paganos in Hiſpaniam movit exercitum. Qui non longe a Corduba, cum ſeptem Regibus gentis illius bellum iniens, alios eorum peremit, alios opibus vacuatos fugavit. Ille verò cum hoſte incolumi ſoſpes regreditur. Hac tempeſtate Domnus Hildebertus Cenomannenſis Epiſcopus, poſtea Turonenſis Archiepiſcopus, in Andegavenſi pago claruit; in Metris ita edoctus, ut nulli ſit comparandus. His temporibus Baudoinus Rex Hieroſolymorum moritur. Hic quum proceſſu temporis divina diſpoſitione utrumque Regnum Hieroſolymitanum ſcilicet, & Antiochenum fortitus eſſet, cum filia ſua Boamundo filio Boamundi Magni Principatum Antiochenum reddidit. Ipſe verò Boamundus junior a Paganis in brevi interemtus eſt. Cujus filiam Raimundus frater Willelmi Ducis Aquitanorum cum Principatu accepit Antiochenorum. Ante quem Fulco Andegavenſium Comes Regnum Hieroſolymitanum cum filia praedicti Baudoini acceperat, relicto tamen Andegavenſi Conſulatu Gaufredo filio ſuo. Per haec tempora ſurrexit in Hieruſalem novum Militiae genus, ab Hugone de Pajens viro nobili conſtitutum. More Monachorum viventes, caſtitati dant operam. Domi & bello diſciplinam ſervant. Cum ſilentio edunt. Omnia illis communia. Contra Gentiles tamen arma ſumunt; & multum dilatati ſunt. Sunt namque, qui dicant, quod niſi fuiſſent ipſi, diu eſt, quod Franci Hieruſalem & Palaeſtinam perdidiſſent. Hi vocantur Milites de Templo, qui in Porticu Salomonis ſedem ſuae Religionis ſtatuerunt. His diebus Domnus Pontius Abbas Cluniacenſi praefuit Coenobio, Annis XIII. Poſt quem Domnus Hugo Secundus Menſibus III. Quo etiam defungente Domnus Petrus natione Alvernus idem Monaſterium regendum ſuſcepit. Interim Henricus famoſiſſimus Rex Anglorum cum omnium dolore defungitur. & Stephanus nepos ejus Regnum invadit contra filium predicti Henrici, cui jure hereditario Regnum ſuccedebat. Huic autem Stephano quaſi nepoti ſuo, antea dederat Conſulatum de Moretoi in Normannia. Willelmus itaque Dux Aquitanorum, frater Raimundi praedicti Principis Antiocheni Anno ab Incarnatione Domini MCXXXVII. dum in Hiſpania ad Sancti Jacobi limina orationis gratiâ pergeret, in ejuſdem Eccleſia ante Altare die ſancto Paraſceve, dum Chriſti paſſio legeretur, viatico ſancto munitus reddidit animam. Hujus Ducis filiam, nomine Alienor, Ludovicus praedictus Rex Francorum ſuo filio Ludovico nuptui tradidit. Poſt paucos verò dies Ludovicus in Francia obiit, ſepultus in Baſilica Sancti Dionyſii. Hic coronari fecerat in Regem Philippum filium ſuum majorem natu, ſe praeſente. Sed morte ſubitâ Pariſius moritur praecipitatus equo. Quo defuncto Ludovicum ſupradictum, natu juniorem, Innocentius Papa Romanus, juſſu patris in Regem unctum, Remis coronavit. Hic poſt mortem Patris Regnum Francorum ſuſcepit. Circa haec tempora Gislebertus, cognomento Univerſalis, natione Britannus, in divina Philoſophia claruit. Sed poſtea Lundonienſis Epiſcopus

ſcopus factus parvo ſupervixit tempore. Poſt quem Remis Civitate Aubericus ſurrexit, nnn illo famâ minor in divinis. Qui etiam provectus in Archiepiſcopum Bituricenſem, modicn duravit ſpatio. His dichus Magiſtri multi claruerunt in Galliis.

Ludnvicus junior Francis praefuit Annis XXIV. Hic cnnſenſu & voluntate patris ſui Ludovici, duxit uxorem apud Burdegalam Alienor filiam praedicti Willelmi Ducis Aquitannrum. Unde quum Rex eſſet Franciae, Dux Aquitaniae appellatus eſt, pro en quod praefatus Willelmus Dux ſine filiis mortuus eſt. Eodem tempore inſurrexit Gaufredus Comes Andegavenſis cnntra Stephanum Regem, qui Regnum Angliae male uſurpaverat, Nnrmanniam vaſtabat, & ſibi ſubjugabat. Quam tunc ſubjugare nnn valuit, tamen pnſt annos aliquot, conſenſu Regis Francnrum, totam acquiſivit. Nam & ipſe Regnum Angliae quaſi heres habere pernptabat; utpote qui filiam Henrici Regis Anglorum unicam aecepit in conjugio. Illa tamen publica fama, quae de Andegavenſibus habetur, quod ſint parciſſimi & ſuperbi, multùm ei ad acquirendum Regnum nncuit. Hic filium ſuum Henricum natu majorem ad erudiendum tradidit cuidam Magiſtro Petrn Xantonenſi, qui in Metris eruditus eſt ſuper nmnes coaetaneos ſuos. Hugo de Sancto Victore, vitâ Philnſnphus, Pariſius obiit, vir praeclari ingenii, & in Quadrivin dnctiſſimus. Divinarum autem Scripturarum tantam ſcientiam habuit & memoriam, ut nulli ſui temporis ſecundus exſtiterit. Reliquit autem ad monumentum ſui ſcripta perplurima. Librum ſcilicet de Sacramentis, de Eccleſiaſte, de Arca Noë, Librum, qui intitulatur Didaſcalicon, & alia nnnnulla Opuſcula valde utila. Sequenti Anno Petrus Baalardus Philoſophus Peripateticus, doctor famoſiſſimus, & vitâ Philoſophus, Abbas prius, poſtea Cluniacenſis Monachus, Cabilonis moritur, & in Baſilica beati Marcelli Martyris ſepelitur. Unde nnn poſt multos dies a ſuis furtim ſublatus, in loco, qui Paraclitus nuncupatur, quem ipſe ad legendum juxta Sequana fluvium cnnſtruxerat, ubi & Monachas poſuerat, translatus eſt. Scripſit autem Baalardus Opuſcula quaedam, quae pluribus habentur in locis. Haec dun Latinorum luminaria jn Francia ſluduerunt.

Nnn poſt multns verò dies Fulco Rex Hieroſolymorum, dum leporem ſequitur, praecipitatus equn morte ſubitâ moritur. Poſt quem Baudoinus puer filius ejus in Regem Hiernſolymitanum prnmotus eſt. Eo Anno Sanguis Turcus Rex de Aleph cepit Edeſſam Civitatem, quae alio nomine Roais, & in Geneſi dicitur Arath; Francoſque ibi captos, aut morte aut ſervitute multavit. Archiepiſcopum verò Civitatis, quaſi ducem gregis, in medio Urbis cum omnibus Clericis ſuis, qui nnluerunt abnegare Chriſtum, coram ſe decollari praecepit, uno ſnlo evadente, qui amicitiam cum quodam nnbili Turcn habuerat. Qui apud eum, ne perimeretur, obtinuit, ſed ſanum, qun vellet ire, permiſit. Purpuratur itaque Edeſſa novnrum ſanguine Martyrum, multn primùm a Gentilibus poſſeſſa, ex qun ab Abgaro Rege Chriſto eſt dedicata. Dolor ingens & deſolatin multa! Sanctae Virgines dantur inceſtui. Lnca ſancta, ſtabula fiunt jumentnrum. Corpus Beati Thnmae Apoſtoli Gentilium contactu

ctu polluitur, quod ibi transportatum
eſt ab India, ubi pro Chriſto martyrizatus occubuit. India a Medis montibus auſpicatur, a meridiano Mari porrecta, adeo Favonii ſpiritu ſaluberrima. In anno bìa aeſtatem habet: bis colliguntur frugea: vice hyemis Eteſiaa patitur. Hanc Poſſidonius adverſam Galliae ſtatuit. Sane nec quicquam ex ea dubium. Nam Alexandri Magni armia comperta, & aliorum poſtmodum Regum diligentiâ peragrata, penitus cognitioni noſtrae addicta eſt. Megaſthenes fane apud Indicos Regea aliquantiſper moratus, res Indicas ſcripſit, ut fidem, quam oculis ſubjecerat memoriae daret. Dionyſius quoque, qui & ipſe a Philadelpho Rege ſpectator miſſus eſt, periclitante veritate paria prodit. Tradunt ergo in India fuiſſe quinque millia Oppidorum; praecipua capacitate populorum novem millia. Diu etiam credita eſt tertia pars eſſe terrarum. Nec mirum ſit, vel de hominum vel de Urbium copia, quum ſoli Indi numquam a natali ſolo receſſerint. Indiam Liber pater primus ingreſſus eſt; utpote qui omnium primus triumphavit. Ab hoc ad Alexandrum Magnum numerantur annorum ſex millia, quadringentia quinquaginta uno additis & amplius tribus menſibus, habitâ computatione per Regea quingentos quinquaginta tres. Maximi amnes ibi Ganges & Indus. Quidam volunt, Gangem incertis naſci fontibus, & ſupra Nilum exaltare contendunt. Alii volunt a Scythicis montibus exoriri. Hippania etiam ibi nobiliſſimus fluvius, qui Alexandri Magni iter terminavit, ſicuti arae in ripa ejus poſitae probant. Gangarides extremus eſt Indiae Populus. Ultra hos Pada Oppidum Sogdianorum, in quorum finibus A-

A lexander Magnus tertiam Alexandriam condidit, ad conteſtandos itineris ſui terminos. Heic enim locus eſt, in quo primùm a Libero, poſt ab Hercule, deinde a Semiramide, poſtremo ab Alexandro aureae arae ſunt conſtitutae. Quod proximum gloriae omnes duxerunt, illo uſque promoviſſe itineris ſui metas. Megaſthenes ſcribit, per diverſos Indiae montes eſſe nationes capitibus caninis, armatas unguibus, amictas veſtimento targorum. Extra Indiae oſtium ſunt Inſulae duae; Criſe & Argire, adeo foecundae copiâ metallorum, ut plerique eas aurea ſola & argentea habere prodiderint. Tilos Indiae Inſula fert palmas, oleum creat, vineis abundat, terras omnes ob miraculum ſola vincit. Quaecumque in eâ arbor naſcitur, numquam caret folio. Taprobanem Inſulam Indiae, antequam temeritas humana exquiſito penitus mari fidem panderet, ut Orbem alterum putaverunt, & quidem quum inhabitare eam Enſchites crederentur. Verùm Alexandri Magni virtus ignorantiam publici erroris non tulit ulterius permanere, ſed ad hujus uſque ſecreta propagavit nominis ſui gloriam. Miſſus igitur Oneſicritus Praefectus claſſis Macedonicae terram iſtam exquiſitam notitiae noſtrae dedit, quanta eſſet, quid gigneret, quomodo haberetur. Patet in longitudine ſtadiorum ſeptem millium, in latitudine quinque millium. Scinditur Anini interfluo. Nam pars ejus, beſtiis & elephantis repleta eſt majoribus, quam fert India: partem alteram homines tenent. Margaritis ſcatet & gemmis omnibus. Sita eſt inter ortum & occaſum. Curſu verò noſtrarum navium, itinere ſeptem dierum comprehenditur. Mare vadoſum intsrjacet, certis autem canalibus

depreſ-

depreſſum adeo, ut numquam quingentae anchorae ad profundi illius fundamenta potuerint pervenire. Poſt Indos montanas regiones Ichtbiophagi tenent, quos ſubactos Alexander Magnus veſci piſcibus vetuit. Caucaſus mons Scythus, qui maximam Orbis partem perpetuis jugis penetrat, fronteque Soli obverſus eſt, ab India uſque ad Taurum montem B porrectus, pro gentium ac linguarum varietate diverſis nominibus nuncupatur. Ubi autem ad Orientem extenditur, in excelſiorem ſublimitatem, pro nivium candore Caucaſus vocitatur; nam Orientali linguâ Caucaſus candidum ſignificat, ideſt nivibus denſiſſimis candicantem. Unde & eum Scythae, qui eidem monti C junguntur, Broucas vocaverunt. Caucaſus mons, qui inter Colchos eſt, qui ſunt ſuper Cymmerium mare, & inter Albanos, qui ſunt ad mare Caſpium, primum attollitur uſque in ultimum Orientem, unum videtur jugum. Sed multa ſunt nomina, & multi hoc ipſum jugum Tauri montis credi volunt; quia revera Parchoatras mons Armeniae inter Taurum & Caucaſum medius, continuare Taurum cum Caucaſo putatur. Sed hoc non ita eſt. Diſcernit fluvius Euphrates, qui radice Parchoatrae montis effuſus, tendens in meridiem, ipſum Caucaſum ad ſiniſtram, Taurum exeludit ad dexteram. In latere montis Caucaſi, qui eſt in E India, naſcitur arbor piperis, quae Soli obverſa eſt, habens folia ad ſimilitudinem juniperi. Cujus ſilvam ſerpentes cuſtodiunt: ſed incolae regionis illius, quum maturae fuerint, incendunt eadem loca, & ſerpentes igne fugant; & ex flamma nigrum piper efficitur, ſicque colligitur. Nam natura piperis alba eſt, ſed fructus A diverſus. Nam Piper antequam ſit maturum, piper longum vocatur. Quod incorruptum ab igne, piper album; quod verò rugoſum & nigrum fuerit, ex calore igris trahit & colorem & nomen. Piper ſi leve eſt, vetuſtum eſt: ſi grave, novellum. Vitanda eſt autem mercatoris fraus. Solent enim vetuſtiſſimum piper, argenti aut plumbi ſpumâ humectare, ut ponderoſum fiat.

Nunc autem ad callem hiſtoriae redeundum eſt. Sanguis Turcus praedictus Rex de Aleph, apud Edeſſam Civitatem, ſuper Aram Beati Johannis Baptiſtae, ut fertur, tres ſpecioſiſſimas mactavit matronatum. Conculeata ſunt omnia: profanata ſunt univerſa. Nomen Chriſti deriſio fit gentium. Quod audiens Eccleſia Gallicana, *heu*, inquit, *quantum dedecus Chriſtianis!* Unde praedictus Ludovicus Rex Francorum, Duxque Aquitanorum, ex praecepto Domni Eugenii Papae, qui tunc praeerat Epiſcopus Romanus, & conſilio Bernardi Claraevallenſis, & Godefredi Lingonenſis, & aliorum, D cum Conſulibus & Baronibus in Paſcha Verzelaicum venit, de Saracenorum vaſtatione locuturus. Ibique in die Paraſceve, ſex â videlicet feriâ, facto ſermone a Bernardo Claraevallenſi de via Hieroſolymitana, ab eodem Bernardo ſignum peregrinationis, ut mos eſt, acceperunt, E hoc eſt, Crucem. Hoc autem factum eſt in latere montis ipſius Verzelaicum, juxta viam Autiſſiodorenſem, ubi eâ de causâ modo fabricata eſt Eccleſia in honore Sanctae Crucis.

Sequenti verò Anno ab Incarnatione Domini MCXLVII. circa Majum Menſem praedictus Rex congregata manu Francorum, Aquitanorum, & Burgundionum, nec non &

Theato-

Theutonicorum, cum Imperatore ſuo Coorado, alii per Alemanniam & Paononiam, alii per Provinciam, cum Comite Sancti Aegidii, & Engoliſmenſi, & per Italiam, Conſtantinopolim devenerunt. Deinde Romaniam ingreſſi. Aliter evenit eis, quàm ſperaverunt. Grande autem hoc miraculum Dei. Ipſi tamen ſuperare viribus cupiebant & armis Turcos, qui Armeniam, Syriam, & Meſopotamiam inhabitabant. Sed ab eis ſuperati ſunt, quoniam quidem alii eorum a Turcis capti, alii gladio peremti, alii verò famelici fatigatione & inediâ abſque numero in via conſumti ſunt. Qui verò a tanto periculo rebus ſuis attenuati evadere potuerunt, Antiochiam de manu nefandae gentis erepti, navigio pervenerunt. Ibique cibis refocillati, poſt pauces dies Hieroſolymam abierunt, viſitatiſque inibi Locis Sanctis ab eis, multi illorum tranſito mari, cum magna penuria ad propria reverſi ſunt. Inter quos Imperator Theutonicus, cui male in Romania contigerat, ante Regis adventum, de ſuorum proditione, ſimiliter cum paucis regradatus eſt. Rex Ludovicus cum Alicoor uxore ſua in Urbe Sancta causâ orationis, ut peregrinus remanſit. Deinde coadunato Francorum exercitu, cum Hieroſolymitanis & Militibus Templi, Damaſcum obſedit. Unde a Populo Damaſcenorum repulſus, Hieroſolymis reverſus eſt. Et quoniam non placuit divinae diſpoſitioni, quod Terra Orientalis per manum ipſius a Saracenorum ſpurcitia mundaretur, relictâ Palaeſtinâ, cum paucis ſuorum, ut potuit, non ut voluit, Pariſius devenit. Luget Francia, Burgundia, Aquitania de ſuorum amiſſione. Gaudet Syria, Armenia, Meſopotamia de Chriſtianorum repulſione. Ludovicus autem erga omnes ita ſe habuit, ut meritò aliis religione praeferretur. Fuit autem egregius, ſermone cultiſſimus, inſeſtus vitiis, paciſque amator, & Francorum nutritor. Nihil turpe geſſit, niſi quod Alienor uxorem ſuam repudiatam a thoro ſuo alienavit, aliâ poſt biennium in loco ejus ſubrogatâ, filiâ ſcilicet Anſons Imperatoris Hiſpaoiae. Hoc autem factum eſt cum conſenſu, ut ajunt, Eugenii Papae, Bernardi Clarevallenſis, Godefredi Lingonenſis, & aliorum.

Circa haec tempora Gaufredus Comes Andegavenſium in pago Cenomannico moritur. Hujus frater erat Baudoinus puer Rex Hieroſolymorum, qui Anno Chriſti MCLIV. circa feſtum Sancti Andreae cum Militia Templi, & aliis Chriſtianis, Aſcaloniam Civitatem quondam Allophylorum obſedit. Quae eodem Anno, antequam ab obſidione recederent, redditur, & capitur Urbs Aſcalon ac ſuperatur. Recte mater gaudet Hieruſalem de Aſcalone filia ſua, ad cujus dexteram ſedebit amodo coronata. Flet Babylon, conſolatione ejus perdita, cujus adminiculo dudum exſtiterat ſuffulta. Cujus claſſem Chriſtianis hoſtilem ſingulis annis excipiebat. Aſcalon Metropolis Philiſtinorum fuit, quae mater Civitas interpretatur. Metropolitani ſunt, qui majori & matri aliarum Civitatum praeſident. Dentur ergo laudes Deo altiſſimo, quia non hominum virtute, ſed ſua beneplacita voluntate Hieroſolymitis Urbs Aſcalon fortiſſima, & ad capiendum difficillima, reddita eſt. Hoc modo omnis Judaea & Palaeſtina ab aedituis & fanaticis ad cultum Dei revocata eſt. Fertur etiam, quod

quod biduo aut tridro ante obſidionem Aſcalonis, Raimundus Princeps Antiochenus, vir frugi & amabilis omnibus, clariſſime natus, ſed & optimis comparandus, dum terram ſuam ab inimicis audiret inquietari, congregatis Antiochenis, bellum iniit contra Muradis Dominum de Alapia. Heu proh dolor! Raimundus Princeps egregius, qui Turcos ſaepius viribus, arte nimis domuerat, ab eis perdomitus & peremtus eſt. Unde noſtra condolet Aſia, Tharſus flet cum Cilicia, vae dicit Antiochia pro ſui morte Principis. Nam luget prae impia Libanus & Apamia, nec non & Laodicia cum ſuis appendiciis. Tyrus ſtupet Metropolis, Urbs Phoenicum mirabilis. Magnos quaeſtus dat Tripolis viſis ſiniſtris nuntiis. Quid dicam de Hieruſalem? It planctus uſque Bethleem, clamorque Ptolemaidis tangit fines Neapolis.

„ Urbs foecunda nimis, nullis quaſ-
„ ſata ruinis,
„ Es privata Viro, qui te modera-
„ mine miro

rexit. Huic nobili Principi, Raimundo videlicet, ſucceſſit in Principatu Antiocheno Raymundus de Caſtellione.

Eugenius Papa Romae moritur, ſepultus in Baſilica Sancti Petri, viâ triumphali. Ante quem Theobaudus Comes Bleſenſis viam univerſae carnis ingreſſus eſt; vir per omnia pacificus, nulli acerbus exſtitit; benignus fuit cunctis: pauperibus largus, & maximae domeſticis fidei. Et quoniam ſuper Gallicanos divitiis abundabat, aſſimilatus eſt forti mulieri, quae *manum aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem*. Hic verò in Gallia, & Burgundia multas Cellas cum aliis domibus ex propriis ſumtibus conſtruxit; in quibus Ciſtellenſes, & Claraevallenſes Fratres, cum nonnullis aliis, Dei ſervitio deputati ſunt. Biennio autem aut triennio poſt mortem Domni Theobaudi, moritur frater ſuus Stephanus Rex Anglorum. Cui ſucceſſit in Regnum Henricus puer, filius Gaufredi ſupradicti Andegavenſium Comitis, nepos Baudoini Regis Hieroſolymitani. Huic etenim jure hereditario Regnum Angliae ſuccedebat. Qui in brevi eodem Regno pacifice accepto, coronari ſe fecit Lundoniae in die Natali Domini cum Alienor uxore ſua. Haec prius Regina exſtitit Franciae per annos quindecim, demtis tribus menſibus. Inde poſtea Anglorum. Hanc autem a Ludovico Rege repudiatam, Henricus Anglus ſibi conjugio ſociavit. Unde tota Aquitania a flumine Ligeris uſque ad Piraeneos montes ſibi devenit. Et quoniam multas gentes poſſidere videbatur ſub dominio ſuo, aut ex patre & matre, aut ab uxore, ut eſt Pictavus, Xantonus, Lemovicus, Gaſconus, inſuper Aquitanus; a patre Andegavus, Turonus; Cenomannus; a matre Anglicus, Normannicus, ob honorem tamen & reverentiam Regalis nominis, Rex Anglorum vocatus eſt. His temporibus ex inſperato moritur Anſons Rex Hiſpaniae, dum rediret ab expeditione Saracenorum. Cui ſucceſſit in Regnum Sancius filius ejus. Quo mortuo eodem Anno, Ferlanus frater ejus minor natu adeptus eſt Regnum Hiſpaniae. Praeterea Rex Henricus biennio poſtquam adeptus eſt Regnum Angliae, circa feſtum Sancti Martini deſcendit Lemovicum, ubi muros, quos habitatores Sancti Martialis ad deco-

decorem & munificentiam ſui contra Cives noviter conſtruxerant, ſolo adæquavit. Pace itaque inter utrumque Populum reformata, conſilio Domni Gauſridi tunc temporis Bardegalenſis Archiepiſcopi, primique aedificatoris Eccleſiae Sabluncellenſis, adiit Burdegalam, ibique Natalis Domini feſtivitate celebrata, Baronibus Waſconiae, & aliis Populis pacem indixit. Deinde reverſus Angliam, parvo tempore ferro & armis Gallenſes ſibi ſubjecit. Eodem tempore miſit Rex Henricus manus, ut Caſtrum Toarz acciperet in ſuum. Hoc autem fecit conſenſu multorum, qui intus erant, acceptâ ab eo pecuniâ. Videns autem, quia placeret Reginae, appoſuit, ut muros deſtrueret, & Gauſredum Vicecomitem exinde fugaret. Multum enim eum odio habuit, quia partes fratris ſui Gauſredi Martelli contra eum juverat in obſidione Caſtelli Chinonis. Iſtud verò factum tantum timorem Pictavienſibus & Waſconibus intulit, ut paene gladios ſuos in vomeres conflarent, & lanceas ſuas in falces. Exhinc, ut ait Merlinus Ambroſius, jugum Regiae ſervitutis tulerunt, & matrem ſuam ligonibus & aratris vulneraverunt. Raptorum ceſſavit rapacitas, & dentes luporum hebetati ſunt. Aquitanorum montes, ut valles, equitati ſunt. Siluit terra eorum diebus multis a proeliis. Qui fecit haec, aeneum induit virum, & per multa tempora Pictavorum portas ſervavit, & avita tempora renovavit. A finibus Angliae uſque ad Garonnam fluvium vix eſt auſa gens contra gentem levare gladium, nec auſi ſunt ultra exerceri ad proelium.

Anno MCLVIII. Quadrageſimâ jam mediante exiit edictum a Rege Henrico, ut Principes atque Barones totius Regni ſui ad Tholoſanae Urbis obſidionem in proximo praepararentur. Quod & factum eſt. Conſequenti itidem aeſtate Rex coadunato apud Agennenſium Civitatem exercitu, paulatim Tholoſanos ſaltus occupavit. Nam & ipſe eamdem Civitatem quaſi heres habere cupiebat; utpote qui filiam Willelmi Pictavorum Comitis unicam conjugio acceperat, cui eadem Civitas, ut fertur, jure paterno ſuccedebat. Sed Ludovicus Rex Francorum, qui ſororem ſuam Conſtantiam Comiti Sancti Aegidii matrimonio copulaverat, ei multùm ad acquirendum nocuit, eadem Civitate in ſuam accepta. Unde circa feſtum Sancti Michaël vacuus rediit, Tholoſana regione vaſtata.

His verò diebus, Hadrianus Papa moritur, Pridie Calendas Septembris, Romae ſepultus in Baſilica Sancti Petri, Viâ Triumphali, Anno ab Incarnatione Domini MCLIX.

Interea Fredericus Imperator Theutonicus in Italia Mediolanenſes vaſtabat, & Placentinos, quia nolebant ei ſubjici. In obſidione verò eorum quinquennio, vel plus commoratus, ad ultimum reddiderunt ſe ei IV. Nonas Martii Anno MCLXII. Vae Mediolanenſibus. Redditum eſt eis ſecundùm opus ſuum. Juxta omnia, quae fecerant, factum eſt eis. Propter ſuperbiam ſuam a fundamentis ſubverſa in cinere redacta eſt. Siquidem murus ille fortiſſimus ſuffoſſione ſuffoſſus eſt, & portae ejus exceſſae igne combuſtae ſunt.

Incipit Catalogus Romanorum Pontificum.

BEatus Petrus Apoſtolus, natione Galilaeus primùm in Antiochia ſedit Annis VII. Deinde in Urbe Roma Annis XXV. Menſibus II. Diebus III. Hic Romae ordinavit tres Epiſcopos, Linum, Cletum, & Clementem. Linus, & Cletus praeſentialiter omne miniſterium Sacerdotale Romae ſupervenienti Populo exhibuerunt, dum Petrus orationi & praedicationi vacaret. Clementi verò omnem Eccleſiam diſponendam commiſerat. Petrus autem cum Paulo martyrio coronatur uno die, Anno a Paſſione Domini XXXVIII. Neronis verò Imperatoris XIII.

Linus ſedit Annos XI. Menſes III. Dies XII. Hic natione Italus, ex praecepto Beati Petri Apoſtoli conſtituit, ut mulier velato capite in Eccleſia intret.

Cletus natione Romanus ſedit Annis XII. Menſe I. Dies XI. Hic ex praecepto Beati Petri XXV. Presbyteros in Urbe Roma ordinavit.

Clemens natione Romanus ſedit Annos IX. Menſes II. Dies XII. Iſte miſit plures Sanctos ad Gallias, & eas ad Fidem Chriſti per eoſdem Sanctos ex maxima parte convertit.

Anacletus natione Graecus ſedit Annos IX. Menſes II. Dies X. Hic conſtituit, ut Clericus comam non nutriat.

Evariſtus natione Graecus ſedit Annos IX. Menſes X. Dies II.

Alexander natione Romanus ſedit Annos X. Menſes VII. Dies II. Hic conſtituit primus Aquam benedictam fieri. Idem paſſionem Domini miſcuit in prece Sacerdotum, quando Miſſas celebrant; hoc eſt: *Qui pridie, quam pateretur, accepit &c.* uſque ad locum, ubi dicitur: *Unde & memores Domine &c.*

Sixtus natione Romanus ſedit Annos X. Menſes III. Dies XXI. Hic conſtituit, ut myſteria ſacra non tangantur niſi a Miniſtris; & ut in Miſſarum celebratione, *Sanctus, Sanctus. Sanctus*, decantetur.

Telesphorus natione Graecus ſedit Annos X. Menſes III. Dies VIII. Hic conſtituit, ut per ſeptem hebdomadas ante Paſcha Jejunium celebretur; & in Natali Domini Miſſae per noctem; & ut ante Horam Tertiam Miſſas nullus celebret; & ut *Gloria in Excelſis Deo* canatur ante Sacrificia.

Yginus natione Graecus ſedit Annos IV. Menſes III. Dies VIII. Hic Clerum compoſuit, & Gradus inſtituit.

Pius natione Italus ſedit Annos XI. Menſes III. Dies XXI. Hic conſtituit, ut ſanctum Paſcha die Dominico celebraretur.

Anicius, vel ſecundùm alios Aniceius, natione Syrus, ſedit Annos XII. Menſes III. Dies III.

Soter natione Campanus ſedit Annos IX. Menſes III. Hic conſtituit, ut nulla Monacha pallam Altaris contingat, nec in Sancta Eccleſia incenſum ponat.

Eleutherus natione Graecus ſedit Annos XV. Menſes III. Dies II. Hic firmavit, ut nulla eſca, quae comedi debeat, a Chriſtianis refutetur.

Victor natione Afer ſedit Annos X. Menſes III. Dies X. Hic conſtituit, ut gentilis in aegritudine poſitus, ſi forte peticrit, baptizetur conti-

tinuo. Et ut a Decimaquarta Luna primi Menſis uſque ad XXI. Dominicâ die Paſcha celebretur.

Zephyrinus natione Romanus ſedit Annos XVIII. Dies X.

Calixtus ſedit Annos VI. Menſes II. Dies X.

Urbanus ſedit Annos VIII. Menſes XI. Dies X.

Pontianus natione Romanus ſedit Annis IX. Menſibus V. Diebus II.

Antherus natione Graecus ſedit Annis XII. Menſe I. Diebus XII.

Fabianus natione Romanus ſedit Annis III. Menſe I. diebus X.

Cornelius ſedit Annis II. Menſibus III. Diebus X.

Lucius natione Romanus ſedit Annis III. Menſibus VII. Hic praecepit, ut duo Presbyteri, & tres Diacones in omni loco Epiſcopum non deſererent.

Stephanus natione Romanus ſedit Annos IV. Menſes II. Dies XV. Hic conſtituit veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Deo miniſtratur, ſacra debere eſſe, & honeſta: quibus in aliis uſibus nemo debet perfrui, niſi Eccleſiaſticis.

Sixtus natione Graecus ſedit Annos II. Menſes XI. Dies XV. Hujus Archidiaconus erat Laurentius Martyr.

Dionyſius ſedit Annos VI. Menſes II. Dies III.

Felix natione Romanus ſedit Annos II. Menſes X. Hic conſtituit, ſuper memorias Martyrum Miſſas celebrari.

Eutychianus natione Graecus ſedit Annos IX. Menſes X. Dies XIII. Hic ſuper Altare fruges, uvas, vel fabas praecepit benedici.

Cajus natione Dalmatius ſedit Annos XI. Hic praecepit, ut per omnes gradus aſcenderet, ſi quis Epiſcopus fieri mereretur.

Marcellinus natione Romanus ſedit Annos IX. Menſes II. Dies XXV.

Marcellus natione Romanus ſedit Annos V. Menſes VII. Dies XVI. Hunc Diocletianus in ſtabulo boum ſub cuſtodia poſuit, ubi diu vixit. Cujus glorioſum Corpus poſt multa tempora in Eccleſia Cluniacenſi honorifice in capſa aurea, cum multis miraculorum ſignis conditum eſt.

Euſebius natione Graecus ſedit Annos II. Menſem I. Dies XXV. Hujus tempore, ut fertur, inventa eſt Crux Domini, licèt ſub Silveſtro repertam fuiſſe plures exiſtiment. Hic conſtituit, ut baptizatum chriſmate liniat Presbyter, levatum de aqua propter occaſionem mortis; & ut nullus Laicus crimen Clerico audeat inferre; & Sacrificium non in ſerico, neque in panno tincto celebretur, ſed tantùm in lino de terra procreato.

Melchiades natione Afer ſedit Annos III. Menſes VIII. Dies VIII. Hic conſtituit, ut nunquam in die Dominica, vel in Quinta Feria jejunium celebretur, niſi tantùm in Quadrageſima.

Silveſter natione Romanus ſedit Annos XXIV. Menſes X. Dies XI. Hic Conſtantinum Imperatorem baptizavit; & ſtabilivit, ut quemque baptizatum liniret Presbyter in fronte ſacro chriſmate. Statuit quoque, ut Diaconi in Eccleſiaſtico Officio Dalmaticis veſtiantur. Et ut ab omni Plebe ter in hebdomada jejunetur. Hujus tempore Synodus Nicaena celebratur. Hic etiam damnavit & eliminavit ab Eccleſia haereticam pravitatem, Arianam ſcilicet, Photinianam, & Sabellianam.

Marcus natione Romanus ſedit Annos II. Menſes VIII. Dies XX. Hic conſtituit, ut Epiſcopus Oſtienſis

ſis pro hoc honore, pallio quaſi Archiepiſcopus utatur.

Julius natione Romanus ſedit Annos XV. Menſes IV. Dies VII.

Liberius natione Romanus ſedit Annos X Menſes VII. Dies II. Hic truditur in exilium, & in loco ejus Felix ipſius Diaconus ab Haereticis in ſede Romana ſublimatur. Felix tamen non tam ſectae diverſitate, quàm communionis & ordinationis conjunctione, quae injuſta fuerat, maculatur.

Felix natione Romanus ſedit Anno I. Menſibus III. Diebus II.

Damaſus natione Hiſpanus ſedit Annos XVIII. Menſes III. Hujus tempore facta eſt Synodus Conſtantinopolitana. Cum Damaſo ordinatur Urſinus. Sed facto Concilio Sacerdotum ejectus eſt Urſinus ab Urbe, & Neapolim conſtitutus eſt Epiſcopus.

Syricius natione Romanus ſedit Annos XX. Menſes XI. Dies XXV. Hic conſtituit haereticum per impoſitionem manuum Eccleſiae reconciliari.

Anaſtaſius ſedit Annos III. dies X. Hic conſtituit, ut nemo ſedeat in Eccleſia, quamdiu Evangelium recitatur.

Innocentius natione Albanus ſedit Annos XV. Menſes II. Hic conſtituit die Sabbati ſemper jejunium celebrari, quia Apoſtoli Sabbato jejunaverunt, dum Dominus in Sepulcro poſitus eſſet.

Zoſimus natione Graecus ſedit Annos VII. Menſes IV. Dies XXIV. Hic conſtituit Sabbato Sancto a Levitis Cereum benedici.

Boniſacius natione Romanus ſedit Annos III. Menſes VIII. Dies XI. Cum Bonifacio ordinatus eſt Eulalius. Et fuit diſſenſio magna in Clero & Populo menſibus octo & diebus quindecim. Qui ambo expulſi ſunt ab Urbe praecepto Valentiniani, & Honorii, & Placidiae. Auguſtorum. Sed ab eiſdem ad ultimum revocatus Bonifacius conſtituit, ut nulla mulier pallam, in qua ſacrificatur Dominicum Corpus, audeat tangere vel lavare, nec incenſum adolere ſuper Altare. Judicavit etiam, ſervum & obnoxium Curiae, in ordine Clericali non ſuſcipiendum.

Cacleſtinus natione Romanus ſedit Annos IX. Menſes X. Dies XIX. Hic conſtituit, ut Pſalmi David antiphonatim pſallantur ante Sacrificium. Nam Epiſtola Pauli tantùm recitabatur & Evangelium.

Sixtus Tertius natione Romanus ſedit Annos VIII. Dies XX.

Leo Primus natione Tuſcus ſedit Annis XXI. Menſe I. Diebus XIII. In diebus hujus celebratum eſt Concilium Sexcentorum triginta Epiſcoporum in Calcedonia, ubi omnes uno conſenſu Eutychianam, & Neſtorianam Haereſim, & Doiſcorum pariter damnaverunt. Et recapitulata ſunt, quae apud Epheſum de eodem Eutyche acta ſunt. Hic Addidit in Canone Miſſae: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube haec perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime Altare tuum in conſpectu divinae majeſtatis tuae; ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus & Sanguinem ſumſerimus, omni benedictione coeleſti & gratiâ repleamur.*

Hilarius natione Sardus ſedit Annos VI. Menſes III. Dies X. Hic firmavit tres Synodos, Nicaenam, Epheſinam, Chalcedonenſem, & corroboravit dominationem & principatum Sanctae Sedis Apoſtolicae.

Simplicius natione Tiburtinus ſedit Annos XV. Dies VI. Ceſſavit Epiſcopatus Dies VI.

Felix

Felix Tertius natione Romanus ſedit Annos VII. Menſes XI. Dies VIII.

Gelaſius natione Afer, ſedit Annis IV. Menſibus IX. Diebus XIX. Hic fecit Tractus & Hymnos, ſicut Beatus Ambroſius compoſuit; Sacramentorum Praefationes, & Orationes ſatis honeſto dictamine.

Anaſtaſius natione Romanus ſedit Annos VI. Menſes XI. Dies XXIV. Multi Clerici & Presbyteri ſeparaverunt ſe a communione iſtius, eo quod communicaſſet Photino Diacono. Et quoniam voluit occulte revocare Acatium Conſtantinopolitanum, a Papa Felice & a Gelaſio anathematizatum, nutu divino percuſſus interiit.

Symmachus natione Sardus ſedit Annos XV. Menſes VIII. Dies XXVII. Hic conſtituit, ut omni die Dominico, vel Natalitiis Martyrum *Gloria in excelſis Deo* diceretur. Contra hunc quidam Laurentius ordinatus eſt a quibuſdam malignis. Theodoricus autem Rex, qui tunc Ravennae erat, licet Arianus eſſet, celebratâ Synodo, Symmacum ab Orthodoxis electum firmavit Romae Epiſcopum. Is verò intuitu miſericordiae Laurentium in Nucerina Eccleſia conſtituit Epiſcopum. Poſt Annos verò tres accuſatus eſt Symmachus apud Regem crimine peſſimo, & revocatus eſt Laurentius. Verùm Symmachus congregatâ Synodo centum viginti-quinque Epiſcoporum, purgavit ſe a falſo crimine, & Laurentius Nucerinus damnatus eſt, pro eo quod vivente Papa invaſerat Sedem Apoſtolicam. Symmachus autem reſtitutus in Sede ſua, in pace quievit. Hic multa opera Eccleſiarum Romae inſtituit.

Hormiſda natione Campanus ſedit Annos VIII. Dies XVII.

Johannes natione Tuſcus ſedit Annos II. Menſes X. Dies XVI.

Felix Quartus natione Samnius ſedit Annos IV. Menſes II. Dies XIII.

Bonifacius Secundus natione Romanus ſedit Annos II. Dies XXV. Cum Bonifacio ordinatus eſt Dioſcorus in Baſilica Conſtantiniana. Et fuit diſſenſio in Clero & Populo dies viginti novem.

Johannes Secundus, qui & Martyrius, natione Romanus ſedit Annos II. Menſes IV. Dies VII.

Agapitus ad Sanctos Johannem & Paulum ſedit Menſes XI.

Silverius natione Campanus ſedit Anno I.

Vigilius natione Romanus ſedit Annos XVII. Menſes VI. Dies XXV. Hujus tempore Quinta Synodus celebrata eſt.

Pelagius natione Romanus ſedit Annos IV. Menſes X. Dies XIX.

Johannes Tertius natione Romanus ſedit Annos XII. Menſes XI. Dies XXV.

Benedictus natione Romanus ſedit Annis IV. Menſe I. Diebus XXIV. Hujus tempore Longobardi invadunt Italiam.

Pelagius natione Romanus ſedit Annos X. Menſes II. Dies X. Hujus tempore Roma obſeſſa eſt a Longobardis.

Gregorius Magnus natione Romanus ſedit Annos XIII. Menſes VI. Dies X. Hic multos Libros edidit. Et adjecit in Canone Miſſae, *dieſque noſtros in tua pace diſpone*. Et quod dicatur ante Orationem Dominicam: *Oremus, praeceptis ſalutaribus moniti &c.* Hic etiam conſtituit, ut ſuper Corpus Beati Petri Apoſtoli Miſſae celebrarentur. Hic miſit Auguſtinum

ſtinum Monachum ad praedicandum Anglis, qui primus conſtituitur Epiſcopus Anglorum. Nam Britones, qui nunc Gallenſes dicuntur, ab Eleutherio Papa praedicatores habuerant, & Fidem ſuſceperant, antequam Angli Britanniam eis auferrent.

Sabinianus natione Tuſcus ſedit Anno I. Menſibus V. Diebus XXIX.

Boniſacius natione Romanus ſedit Menſes VIII. Dies XXVIII.

Boniſacius natione Marſus ſedit Annos VI. Menſes VIII. Dies XIII. Hic impetravit a Phoca Caeſare Templum Romae, quod Pantheon vocabatur, in quo fuit Eccleſia Sanctae Dei Genitricis, & omnium Sanctorum Martyrum.

Deuſdedit natione Romanus ſedit Annos VII. Dies X. Hic conſtituit ſecundam Miſſam fieri in Clero & Populo.

Boniſacius natione Campanus ſedit Annos V. Menſes X.

Honorius natione Campanus ſedit Annos XII. Menſes XI. Dies XVII.

Severinus natione Romanus ſedit Annos II. Menſes IV.

Johannes natione Dalmaticus ſedit Annum I. Menſes IX. Dies XVII.

Theodorus natione Graecus ſedit Annos VI. Menſes V. Dies XVIII.

Martinus natione Tuſcus ſedit Annos V. Menſem I. Dies XXV. Hic congregatâ Romae Synodo, damnavit errorem Conſtantii Imperatoris: ideoque ab illo truſus eſt in exilium in Oriente, ubi & mortuus eſt.

Eugenius natione Romanus ſedit Annos II. Menſes IX. Dies XXIV.

Vitalianus ſedit Annos XIV. Menſes VI.

Adeodatus natione Romanus ſedit Annos IV. Menſes II. Dies V.

Donus natione Romanus ſedit Anno I. Menſibus VI. Diebus X.

Agatho natione Siculus ſedit Annos II. Menſes VI. Dies XIII. Sub hoc celebrata eſt Sexta Synodus in Regia Urbe centum quinquaginta Epiſcoporum, in qua Legati fuere Johannes Diaconus, & Johannes Portuenſis Epiſcopus. Translatum eſt etiam Corpus Sancti Benedicti de Caſſino Monte ad Gallias.

Leo junior natione Siculus ſedit Menſes X. Dies XVIII.

Benedictus junior ſedit Menſes X. Dies XXIX.

Johannes natione Syrus ſedit Annos XIII. Menſes VIII. Dies XXIV. Hic adinvenit, ut tempore fractionis Sancti Sacrificii, *Agnus Dei* pſallatur ter a Clero, & Populo.

Johannes natione Graecus ſedit Annos IV. Menſes II. Dies XII.

Johannes natione Graecus ſedit Annos II. Menſes VII. Dies XXII.

Siſinnius natione Syrus ſedit Annos VI. Dies XV.

Gregorius natione Romanus ſedit Annos XV. Menſes VIII. Dies XXIV. Hic adjecit in Canone: *Quorum ſolemnitas in conſpectu gloriae tuae eſſe tribuas*. Dicitur tamen, partim Leonis Imperatoris, partim Conſtantini tempore Romae ſediſſe.

Gregorius natione Syrus ſedit Annos X. Menſes VIII. Dies XXIV. Hic excommunicavit Leonem Imperatorem, qui ſacras Imagines deſtruere nitebatur; & totam Italiam ab illius Imperio, tamquam a ſacrilego, recedere fecit. Hujus tempore Aldeprandus Rex Longobardorum Romam obſedit, ſed nil praevaluit.

Zacharias natione Graecus ſedit Annos X. Menſes III. Hic fecit pacem eum Langobardis & Sardis.

Paulus natione Romanus ſedit Annos X. Menſem I. Hujus auctoritate Pippinum fratrem Caroli Magni,

in Monte Caſino Monachi ſacti ſub Regula Patris Benedicti, Franci ſibi Regem conſtituunt, abjecto Hyldrico, & tonſurato, & in Monaſterio recluſo.

Stephanus natione Siculus ſedit Annos III. Menſes V. Dies XXVII. Hic in Baſilica Sancti Dionyſii Altare conſecravit in honore Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli: Pippinumque Regem, & duos filios ejus Carolum & Carlomagnum in Reges Francorum benedixit. Acta ſunt haec Anno ab Incarnatione Domini DCCLIV.

Hadrianus natione Romanus ſedit Annos XXIV. Menſes X. Dies XVII. Hic fecit Carolum Regem venire Romam propter Deſiderium Longobardorum Regem. Et factus eſt Romanorum Patricius, ideſt Defenſor Italiae.

Leo ſedit Annos XX. Menſes V. Dies XX. Hic a ſuis excaecatus, & in arcta cuſtodia poſitus, poſt paucos dies viſum recepit, & lingua ſibi abſciſſa, ad loquendum ei eſt reſtituta. Hic coronavit Carolum, qui ultus eſt inimicos ſuos, & eum in Sede ſua reſtituit. A tempore, a quo Longobardi invaſerant Italiam, uſque adhuc ſunt Anni ducenti ſexdecim.

Stephanus ſedit Annos VII.

Paſchalis ſedit Annos VII. Menſes IV. Dies XV.

Eugenius ſedit Annos IV.

Valentinus ſedit Anno I. Diebus X.

Gregorius ſedit Annos XVI.

Sergius ſedit Annos III. Hic coronavit Ludovicum Imperatorem, quamvis alii de Stephano Papa hoc aſſerant.

Leo ſedit Annos IX. Menſes IV. Dies VI.

Benedictus ſedit Annis II. Menſibus VI. Diebus IX.

Paulus ſedit Annos X. Menſem I.

Stephanus ſedit Annos IV. Menſes V. Dies XXVII.

Nicolaus ſedit Annos VII. Menſes IX. Dies X.

Huic Nicolao ſucceſſit Hadrianus Secundus.

Hadriano Secundo Gregorius.

Poſt quos ſedit Johannes Octavus. Hic Johannes venit in Trecaſſina Civitate Galliae, ubi & habuit Synodum, in qua Hincmarus Lugduni Clavati Epiſcopus, poſt avulſionem oculorum, Epiſcopatui ſuo redditus eſt.

Huic Johanni Papae Leo Quintus Papa ſucceſſit.

Hadrianus ſedit Annos IV. Menſes XI. Dies X. Hic unxit Carolum Calvum oleo, & Imperatorem conſtituit primo Anno ordinationis ſuae, & ultimo vitae Caroli Anno.

Johannes ſedit Annos X Dies II.

Martinus ſedit Annum I. Menſes V.

Hadrianus Quartus ſedit Annos II. Menſes IV. Quo pontificante Willelmus prius Dux Aquitanorum & Arverniae Comes, quum non haberet heredem, Cluniacenſe Monaſterium in fundo proprio, qui eſt in Burgundia in pago Matiſconenſi conſtruxit; eidemque loco Bernonem Abbatem praeficiens, magnos de ſuo reditus praefato loco jure dedit hereditario. Anno igitur ab Incarnatione Domini DCCCCX. primùm praefuit praedicto loco Berno Abbas Annis XVI. Eblo verò Bituricus, dum Cluniacum coepiſſet inſtitui, ſimiliter coepit aedificare Dolenſe Coenobium in honore Matris Domini.

Stephanus ſedit Annos IV. Menſes VII. Dies XXIV.

Formoſus ſedit Annos IV. Menſes VII. Dies XIII. Hic confirmavit Bernoni Abbati Chartas & donaria, quae fecerat Gignenſi Eccleſiae.

Bonifacius ſedit Dies XV.

Stephanus ſedit Anno I. Menſe I. Diebus XVIII.

Romanus ſedit Annos IV. Dies XX.

Theodorus ſedit Dies XXVI.

Johannes ſedit Anno I. Diebus XV.

Benedictus ſedit Annos IV. Menſes VI. Dies XIV. Berno Cluniacenſis Abbas moritur. Cui ſucceſſit Domnus Oddo, primùm Canonicus Sancti Martini Turonenſis, poſtea Monachus Balmenſis, ad ultimum Abbas ſecundus Cluniacenſis. Hic in honore Sancti Martini Hymnum edidit, ſcilicet: *Rex Chriſte, Martini decus*, uſque in finem; & Antiphonas novas per ordinem, quae in tranſitu Sancti Martini ad Nocturnos canuntur; quarum prima eſt, *Sanctus Martinus Abrahae ſinu lactus excipitur &c.*

Leo ſedit Dies XL.

Chriſtophorus ſedit Menſes VI.

Sergius ſedit Annos VII. Menſes III. Dies XVI.

Anaſtaſius ſedit Annis II. Menſibus II. Diebus XXIII.

Lando ſedit menſes VI. Dies XXVI.

Johannes ſedit Annos XIV. Menſes II. Dies IV. Hujus tempore Oddo Cluniacenſis Abbas Turonis obiit. Hic juſſu Rodulphi Regis coepit diſponere regulariter Floriacenſe Coenobium. Praefuit autem Oddo pater Dolenſi, Matiacenſi, Aurelianenſi, & omnibus fere Aquitaniae Coenobiis, quae regulari diſciplina coërcuit. Rexit autem Domnus Oddo Cluniacenſe Coenobium Annis decem & octo. Cui ſucceſſit per decennium Ademarus Abbas Cluniacenſis.

Leo ſedit Menſes VII. Dies XV.

Stephanus ſedit Annos II. Menſes II. Dies X.

A

Johannes ſedit Annis IV. Menſibus V. Ademarus Cluniacenſis Abbas Cluniaci obiit.

Leo ſedit Annos III. Menſes VIII. Dies X.

Stephanus ſedit Annos III. Menſes IV. Dies X.

Marinus ſedit Annos III. Menſes VI.

B

Agapitus ſedit Annos IX. Menſes VII. Dies XXVII.

Johannes ſedit Annos VII. Menſes IV.

Leo ſedit Annum I. Menſes III.

Benedictus ſedit Annis II. Diebus XV. Majolus Abbas, qui per quadraginta Annos Cluniacenſi praefuit Coenobio, Silviniacum obiit, ubi &

C

honorifice ſepultus eſt. Huic ſucceſſit Odilo Abbas Cluniacenſis.

Benedictus ſedit Anno I. Menſibus VI.

Donus ſedit Anno I. Menſibus VI.

Bonifacius ſedit Menſes II. Dies XII.

Benedictus ſedit Annos IX.

Johannes ſedit Menſes IX.

D

Johannes ſedit Menſes IV.

Johannes ſedit Annos X. Menſes VI. Dies X.

Gregorius ſedit Annos II. Menſes VII.

Johannes ſedit Menſes X.

Silveſter ſedit Annos IV. Menſes II. Dies XII.

Johannes, qui vocatus eſt Sicco,

E

ſedit Menſes VI.

Johannes, qui & Faſanus, ſedit Annis VII. Menſibus VII.

Sergius, qui vocatus Os porci, ſedit Annos II. Menſes XI. Dies XXII.

Benedictus frater Alberici majoris, ſedit Annos IX. Menſes IX. Dies XXI.

Johannes frater ejus, qui & Sergius, ſedit Menſes IV. Dies XXV.

Be-

Benedictus ſedit Annos XIII.

Silveſter ſedit Dies LVI.

Gregorius ſedit Annos II. Menſes VII.

Clemens ſedit Menſes IX. Dies VII.

Damaſus, qui & Popo, ſedit Dies XXXIII.

Leo, qui & Bruno, Tullenſis Epiſcopus, ſedit Annos V. Menſes II. Dies VII Hujus tempore beatus Odilo Cluniacenſis Abbas Anno Dominicae Incarnationis MXLVIII. aetatis autem ſuae LXXXVII. ordinationis verò XLVI. eâ nocte, quae Dominicae Circumciſionis ſolemnia praecedebat, Silviniacum obiit, ibique cum praedeceſſore ſuo beato Majolo ſepultus quievit. Cui ſucceſſit Domnus Hugo Abbas Cluniacenſis, prae ceteris genere, eleemoſynis, prophetiae ſpiritu clarus.

Victor, qui & Gebeardus, ſedit Annos II. Menſes III. dies VI.

Stephanus, qui dictus eſt Fridericus, ſedit Menſes VII. Dies IX.

Benedictus Veliternenſis Epiſcopus, ſedit Menſes IX. Dies XII.

Nicolaus, qui & Geraldus, ſedit Annos II. Menſes XI. Dies XV.

Alexander, qui & Anſelmus, ſedit Annos XI. Menſes V. Dies XXV.

Gregorius, qui & Ildebrandus, ſedit Annos XII. Menſem I. Dies XXII.

Victor, qui & Deſiderius, Abbas Caſinenſis, ſedit Menſes IV. Dies VII.

Urbanus, qui & Oddo, Cluniacenſis Monachus, poſtea Oſtienſis Epiſcopus, ſedit Annos XII. Menſes VI. Hic primus iter ad capiendam Hieruſalem in Claromontenſi Concilio praedicavit, & praevaluit. Nam a Francis capta eſt & retenta, facto ibique Rege Chriſtiano, Godofredo Duce Lotharingiorum.

Paſchalis, qui & Rainerius Cardinalis, ſedit Annos XVII. Menſes VII. Dies II. Hugo Cluniacenſis Abbas obiit. Rexit autem Cluniacenſe Coenobium per Annos ſexaginta, Menſes duos, Dies octo, cui ſucceſſit Domnus Pontius.

Gelaſius, qui & Johannes Gaëtanus, ſedit Anno I. Mortuus eſt autem Cluniaci, ſepultus in eodem Monaſterio juxta Altare Sanctae Crucis. Per haec tempora Domnus Pontius Abbas, qui praedicto Hugoni ſucceſſerat, Cluniacenſi Coenobio praeſuit Annis tredecim. Poſt quem Domnus Hugo Secundus eidem Monaſterio tribus Menſibus praefuit. Quo etiam defungente Cluniaci, Domnus Petrus venerabilis Abbas natione Arvernus idem Monaſterium regendum ſuſcepit.

Calixtus, qui & Guido, Viennenſis Archiepiſcopus, ſedit Annos V.

Honorius, qui & Lambertus, Oſtienſis Epiſcopus, ſedit Annos V. Hujus tempore mortuus eſt Pontius Abbas Cluniacenſis Romae, ſepultus in Baſilica Sancti Gregorii Papae ad Clivum Scauri.

Innocentius, qui & Gregorius, Diaconus Sancti Angeli, ſedit Annos XIV. Cum iſto ordinatus eſt Petrus Leonis, Monachus ſcilicet Cluniacenſis. Fuitque diſſenſio magna in Clero & Populo per multos dies. Quod audiens Eccleſia Gallicana, ſuſtentavit partes Innocentii Papae. Mortuo verò Petro Leone Romae, & a ſuis furtim ignoto loco ſepulto, Innocentius Romanae Eccleſiae reſtitutus eſt. Hic Eccleſiam Cluniacenſem in feſtivitate beatorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani conſecravit.

Caeleſtinus, qui & Guido de Caſtella, ſedit Menſes V.

Lucius, qui & Gerardus de Sancta Cruce, ſedit Anno I.

Eugenius, qui & Bernardus, natione Piſanus, Monachus tamen Claraevallenſis, ſedit Annos IX. Hic dedit Eccleſiae Cluniacenſi Monaſterium de Balma perpetuo poſſidendum, remoto omnino exinde Abbate, poſitoque Priore.

Anaſtaſius, qui & Conradus, Epiſcopus Sabinenſis, ſedit Anno I. Menſibus IV.

Hadrianus, qui & Nicolaus, natione Anglus, primum Abbas Sancti Rufi, poſtea Albanenſis Epiſcopus, ſedit Annos V. Secundo Anno Pontificatus hujus obiit Domnus Petrus Abbas Cluniacenſis, VIII. Calendas Januarii, ipſa videlicet die illuceſcente Natalis Domini, Anno ab Incarnatione Domini MCLVI. Sepultus eſt autem honorifice in eadem Baſilica, quam ipſe rexerat per Annos triginta quinque. Hic impetravit a Papa Innocentio Eccleſiam Montis Deſiderii dari Eccleſiae Cluniacenſi. Ipſe verò permiſſione ejuſdem Papae aedificavit Eccleſiam juxta Montem Peſſulanum in praedio a Wilelmo Peſſulano Eccleſiae Cluniacenſi dato, quod de novo vocatur Cluniacus. Impetravit item ab Eugenio Papa Eccleſiam Sancti Theodori de Rocca Bovis curti, dari Eccleſiae Cluniacenſi. Ceſſavit Abbatia Cluniacenſis a die Natalis Domini uſque XVII. Calendas Octobris. Huic ſucceſſit Domnus Hugo III. Burgundiâ natus; primum Prior Clauſtralis, poſtea Abbas factus. Hujus verò diebus, mortuo Hadriano Papa, ſepultoque Romae in Baſilica Sancti Petri, Pridie Calendas Septembris, Anno ab Incarnatione Domini MCLIX. orta eſt ſeditio magna in Eccleſia Dei propter duas electiones.

Eligitur Alexander, qui & Rolandus Cancellarius, natione Tuſcus, a nonnullis Cardinalibus. Eligitur & Victor, qui & Octavianus, natione Sabinenſis. Imperator verò Fridericus, qui tunc temporis Italiam ſibi ſubjugabat, & ad cujus Imperium Romanae Eccleſiae pacis reformatio ſpectat, apud Papiam congregatâ Synodo, vocavit utrumque. Alexander autem nec per ſe, nec per reſponſales ſuos dignatus eſt accedere. Imperator itaque auditâ utriuſque electione, conſilio & aſſenſu Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Clericorum, & aliorum illuſtrium Virorum, qui affuerunt, Victorem Romae Epiſcopum fore adjudicavit. Quod audientes Ludovicus Rex Francorum, & Henricus Rex Anglorum, conſilio Henrici Belvacenſis, & aliorum Nundofilorum, ſive Paterinorum, partes Alexandri ſuſtentaverunt. Unde Schiſmata in ſancta Romana Eccleſia ſurrexerunt non minima.

Et quoniam de Romana Eccleſia ſe occaſio praebuit, bonum eſt, ut de ejus ordinatione atque inſtitutione aliquid dicatur. Noverit univerſalis Eccleſia, Septem Cardinales Epiſcopos eſſe in prima Sede Sancti Salvatoris Lateranenſis. Primus Oſtienſis Epiſcopus, qui debet conſecrare Apoſtolicum prae omnibus Epiſcopis aliis: Epiſcopus Portuenſis: Epiſcopus Albanenſis: Epiſcopus Sabinenſis: Epiſcopus Praeneſtinenſis: Epiſcopus Sanctae Rufinae: Epiſcopus Tuſculanus. Iſti ſunt Vicarii Domini Papae, & debent celebrare Miſſas in quibuſdam Dominicis & feſtis diebus, Sanctorumque praecipuis ſolemnitatibus, in Altare Sancti Salvatoris Lateranenſis Eccleſiae. Oblationem dividunt cum Clericis Canonicis, qui in eadem Eccleſia de-

deſerviunt. Et unuſquiſque peractâ hebdomadâ ad Sedem ſuam revertitur. Iſti ſunt ſeptem Cardinales Sacerdotes, qui ſunt intitulati Eccleſiae Sancti Petri: Cardinalis Sanctae Mariae trans Tiberim: Sancti Griſogoni: Sanctae Caeciliae: Sanctae Anaſtaſiae: Sancti Laurentii: Sancti Marci: Sanctorum Martini & Silveſtri. Iſti ſunt ſeptem Cardinales Sancti Pauli: Cardinalis Sanctae Sabinae: Sanctae Priſcae: Sanctae Balbinae: Sanctorum Nerei & Achillei: Sancti Sixti: Sancti Marcelli, ubi ſunt Capita Sanctorum Coſmae & Damiani: Sanctae Suſannae. Iſti ſunt ſeptem Cardinales Sanctae Mariae Majoris: Cardinalis Sanctorum Apoſtolorum: Sancti Cyriaci in Thermis: Sancti Euſebii: Sanctae Potentianae: Sancti Vitalis: Sanctorum Marcellini & Petri: Sancti Clementis. Iſti ſunt ſeptem Cardinales Sancti Laurentii: Sanctae Praxedis: Sanctae Priſcae ad Vincula: Sancti Laurentii in Lucina: Sanctae Crucis in Hieruſalem: Sancti Stephani in Coelio Monte: Sanctorum Johannis & Pauli: Sanctorum Quatuor Coronatorum. Diaconiae ſunt decem & octo: Sanctae Mariae in Domnica, ubi eſt Archidiaconus: Sanctae Luciae in Circo Palatii, juxta Septa Solis: Sanctae Mariae Novae: Sanctorum Coſmae & Damiani Palatii: Sancti Hadriani Palatii: Sancti Georgii Palatii: Sanctae Mariae Palatii in Schola Graeca: Sanctae Mariae in Porticu: Sancti Nicolai in Carcere: Sancti Angeli: Sancti Euſtachii: Sanctae Mariae in Aquario: Sanctae Mariae in Vialata: Sanctae Agathae in equo marmoreo: Sanctae Luciae in caput Salvirae: Sancti Quirici ..... Sciendum eſt, quod Domnus Papa, Vicarius Sancti Petri, quando celebrat Miſſam ad Altare Sancti Salvatoris Lateranenſis, vel in aliis locis, debent ei aſſiſtere Vicarii & Collaterales ſui praedicti, ſcilicet ſeptem Epiſcopi cum viginti & octo Cardinalibus, in Eccleſiis totidem, infra Urbis Romae muros praeſidentibus. Qui poteſtatem habent judicium faciendi ſuper omnes Epiſcopos totius Romani Imperii, in omnibus Conſiliis vel Synodis quibuſcumque accerſiti vel praeſentes affuerint. Debet etiam ibi eſſe Archidiaconus Romanus cum ſeptem Diaconibus Palatinis, qui in Palatio debent legere Evangelium, & in Eccleſia Lateranenſi. Debent ibi eſſe duodecim Diacones Regionarii, qui ſolent legere Evangelium in Stationibus Eccleſiarum Romae conſtitutis. Iſti Decem & octo Diacones, totidem Eccleſias habent infra muros Civitatis, & tamen omnes iſti Canonici ſunt Patriarchalis Eccleſiae Lateranenſis. Debent etiam ibi eſſe Septem Subdiacones Palatii, & Schola Cantorum, ſcilicet alii Septem Subdiacones. Itemque Septem Subdiacones, qui vocantur Regionarii. Iſti debent legere Lectiones & Epiſtolas in Stationibus Romae conſtitutis. Alii Septem, Schola ſcilicet Cantorum, debent canere cantum, dum Papa celebrat Miſſam in Eccleſia Lateranenſi, & in aliis. Alii verò Septem Subdiacones Palatini, Epiſtolas debent legere in Palatio ad Miſſam Domini Papae in Eccleſia Lateranenſi, necnon ad prandium Domni Apoſtolici. Sunt etiam ibi Acolythi praeſentes, ideſt Ceroferarii, Lectores, Exorciſtae, Oſtiarii: quorum unuſquiſque nititur adimplere ſuum officium, ſicut a Sanctis Patribus inibi conſtitutum eſt.

FINIS.

CHRONICON PATAVINUM

Ab Anno Chriſti MCLXXIV. uſque ad MCCCXCIX.

AUCTORE ANONYMO

Nunc primùm luci redditum

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECAE ESTENSIS.

IN CHRONICON PATAVINUM AUCTORIS ANONYMI

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.



Uanquam celeberrimam Urbem Patavinam saepius fortaſſe quam ceteras in theatrum Rerum Italicarum induxerim, compluribus Hiſtoriis ad eam ſpectantibus in Collectione illa a me editis; nihilo tamen ſecius en *Chronicon Patavinum*, nunquam antea evulgatum, & reliquis addendum, in quibus agitur de rebus Patavinis. Suppeditavit illud mihi Bibliotheca Eſtenſis. Atque heic potiſſimum contexitur Catalogus Poteſtatum, ſive Praetorum, qui ab Anno Chriſti MCLXXIV. uſque ad MCCCXCIX. Civitatem illam rexerunt: quod argumentum quum non ſemel pertractatum dediſſem in brevibus Chronicis Urbis Patavinae Tomo VIII. Rer. Italicar. productis, abjeceram olim conſilium de iſto tenebris eripiendo, quando & heic eadem mola verſatur; & quod eſt ad reliqua additamenta Hiſtorica, ea aliunde peti poſſunt fuſius & accuratius digeſta. Verùm alia tandem mihi mens fuit. Heic enim demum deprehendi, quae in aliis Patavinorum Hiſtoriis fruſtra conquiri mihi viſa ſunt; ac proinde evulganda cen-

ſui, ne Eruditorum reipublicae hoc, qualecunque ſit, praeſidium deeſſet. Ceterum Opuſculi Auctor mihi ignotus eſt, ignota quoque aetas, niſi quod conſtat ipſum in vivis fuiſſe poſt Annum a Chriſto nato Quadringenteſimum ſupra Milleſimum. Scardeonius Lib. 2. Claſs. X. de Antiquitatib. Patavin. *Stephanum Venturatum* commemorat, qui *de geſtis & rebus Patavii Annales non contemnendos ſcribebat, ab incendio illo magno, quo Patavium ferme totum conflagravit Anno a Natali Domini MCLXXIV. & deduxit Hiſtoriam annuatim per Conſules & Praetores uſque ad ſua tempora, ad Annum MDXXIII. Hujus Opus ſatis ingens penes nos eſt, & quia alterum non exſtare certo ſcio, ſtudioſius cuſtodiendum cenſeo.* Et ab eo quidem incendio Chronicon, nunc mihi edendum, exordium capit: ſed quum in Anno MCCCXCIX. conſiſtat, pauciſque, ut ita dicam, lineis abſolvatur, nihil ſimile habere videtur Hiſtoriae longe recentiori Stephani Venturati. Rectius tamen heic decernent Patavini Eruditi.

CHRO-

CHRONICON PATAVINUM.

Mperante Frederico primo quondam Sueviae Ducis nato, Comes Paganus tunc Vicarius ejus in Padua multa gravia Paduanis onera imponebat. Magnatibus quidem odiosus, quoniam consuetos sibi honores a rusticis quominus fierent impediebat, sed sibi rapiebat indebite. Invisus erat Plebeis, quia vectigalibus, exationibus, & aliis gravibus eos vexabat. Inter alia, quae Nobilibus molesta fecit, de raptu virginis acerbius habitum est. Nam Speronellam virginem sororem Dalesmanini, & filiam quondam Dalesmani ex Mabilia olim filia nobilis & potentis Rolandi de Gurano, visam, dilectamque rapuit, & in Arce Pendicis recondidit. Hoc factum alte descendit in cor & praecordia Dalesmanini; & omnis benevolentia, quae prius fuerat inter Comitem Paganum, & ipsum ultra alios Proceres Paduanos, conversa est in odium. Sagaciter tamen Dalesmanius incepit ordiri de pulsione Tyranni de Terra modis omnibus. Primo cum Alberto de Baone, quem sciebat non amicum Tyranni, clanculum firmat amicitias; Tyranno struit insidias cum Alberto de Jauffano, cum Rambaldo Comite de Collalto. Denique cum Proceribus aliis Civitatum Marchiae per internuntios sapientes ordinatur, ut una die Imperiales Vicarii ab Urbibus singulis depellantur. Et ita factum est, & tractatum, ut Azotto de Alticheriis, Conrado de Tanselgardis, & Benedicto de Daulis Proconsulibus in Padua, nono Kalendas Junii, dum fieret solemnitas Festi Florum, sumtâ occasione Festi, Populus consulte armatur. Priores, & Signiferi ordinati latitant, ut confestim ad aggressum contra Tyrannum prodeant. Comes Paganus hoc sentiens quam celerius potuit, fugit ad Arcem Pendicis, ubi se defendere arbitratus est. Populus Paduanus dato vexillo Azotto ad obsidionem Pendicis cum equitibus & peditibus properat. Arcem circumdant. Comes vero se ibi diu stare diffidens, cognitum quoque habens se ab aliis Vicariis Imperatoris, qui Vicentiae, Veronae, & Tervisii residebant, auxilium habere non posse, quoniam eodem die de regiminibus fuerant expulsi, pactis intervenientibus se se & Arcem Paduanis in deditionem tradidit.

Restitutâ Civitate Patavii ad pristinum statum, multis diffunditur gaudiis, Populus Albertum de Baone, Dalesmaninum, Azottum de Alticheriis Consules Urbis creant. Ludos

annuos inſtituunt ipſa die victoriae, ſcilicet in Vigiliis Sancti Johannis de Junio cum floribus, & pulegiis ad Flumina cantantes incedunt. Civitates circumpoſitae idem faciunt. Speronella fratri reſtituta connubio traditur Petro fratri Alberti de Jauſſano generoſa ſtirpe nato; cum quo non ultra triennium morata clam ad Ezelinum Secundum de Romano confugit, & ei nuptialiter copulata eſt. Fuere tempore illo, qui dicerent, Daleſmaninum ſuâ operâ machinatum fuiſſe tranſvolationem ſororis ſuae ad conjugium Ezelini, & idcirco lucratum fuiſſe de bonis ſororis Terras P ....., & Curani, & circa illas Terras jura multa, & poſſeſſiones de conſcientia Ezelini, & Johannis Sycherii germani conſanguinei dictae Speronellae.* Tempure procedente eâdem Dominâ Speronellâ manente cum Ezelino Secundo, accidit quod Ezelinus ad Terram Montiſſilicis forte pervenit, & ibidem a Domino Olderico Griberti de Fontana honorifice & amicabiliter receptus fuit in hoſpitio, ductuſque ad Balneas, tractatur ultra quam credi poſſit curialiter. Ezelinus domum reverſus imprudens & immemor quaſi affectuum Mulierum, narrat audiente Conjuge curialitatem, largitatem, & nobilitatis elegantiam Olderici de Fontana, pulchritudinem juvenilem, & decorem perſonae ipſius per membra ſingula, colorem carnis, prout in balneo viderat, & caudam virilem grandem & viro aptiſſimam, & cetera, quae in juvene laudari poſſunt. Hujus hominis laudes eximias, & maxime priapales, Speronella aure non ſurda collegit, in mente recondidit, & die noctuque laudatum virum non oculis viſum, amat, & amore incenditur. Nuntium cum literis ad Oldericum mittit. Loco & tempore accepto, Speronella, relicto Ezelino, tendit ad Oldericum de Fontana; & in Monteſilice nuptialiter ab eo recipitur. Dictum quoque eo tempore fuit, Daleſmaninum tranſitus hujus conſcium fuiſſe, & ex hoc etiam poſſeſſiones a ſorore ſua quaſdam aquiſiviſſe.

Incipit Liber omnium Regiminum Civitatis Paduae, & etiam aliquorum aliorum factorum tam in Padua, quam in aliquibus aliis partibus.

ISte Chronicus Liber Memorialis eſt omnium Regiminum Civitatis Paduae, & aliquorum etiam aliorum factorum alibi in his partibus ab Anno Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1174. ante quod Milleſimum Conſules Cives Paduae ſolummodo regebant Paduam. Et hoc Anno die 4 menſis Martii incendium ortum fuit in Padua, per quod fuerunt combuſtae 2614. domus, quae tunc erant ligneae, fragiles, & non cuppis, ſed paleis, & ſcandolis contectae. Unde dictum fuit:

Marchia ploravit Paduam, cum flamma voravit
Urbis Majores tres partes, & meliores.
Sexcentae verè domus mille bis ceciderе
Bis ſeptem, pone tot collige cum ratione.
Annis Millenis, Centenis ſeptuagenis
Nec non & quarto Nonas Martis quoque quarto.

Et in menſe Septembrio Dominus Fredericus Primus Romanorum Imperator dictus Barbaruſſa, per ſacramen-

mentum confirmavit pacem cum Nuntio Domini Sebaſtiani Ziani Venetiarum Ducis, & cum omnibus Succeſſoribus ſuis. Et fundata fuit Civitas Alexandriae die octava Aprilis. Et nota, quod tempore Poteſtatum ante ſcripta, dicunt tempus electionis cujuslibet Poteſtatis, ſeu Rectoris, aut Conſulum. Unde quilibet Rectorum, ſeu Poteſtas tenet medium Annum ſuae electionis, & medium ſequentem; quia Electio circa Feſtum Sancti Petri de Junio tunc fiebat. Fuit enim fundata Civitas Alexandria per Cremonenſes, & Placentinos contra Papienſes, & ut ab Alexandro Papa famoſior efficeretur, Alexandriam appellaverunt, & ipſe ei Epiſcopum contulit.

1175.

Dominus Albertus de Oſa de Mediolano primus Poteſtas Paduae Anno uno. Eo tempore praedictus Fredericus Imperator perſequebatur Papam Alexandrum Tertium, & tunc vivebat Abbas Joachimus in Apulia, & Petrus Comeſtor, & Petrus Lombardus, qui compoſuit Librum Sententiarum, Maximi Doctores in Theologia.

1176.

Dominus Ugonus de Canavolis, Dominus Azinus de Tanſelgardinis Cives Paduae Conſules rexerunt Paduam. Et eo tempore aedificata fuit Montegalda, & Imperator Fedricus conflictus, & debellatus in campo per Lombardos.

1177.

Dominus Obizo Marchio de Eſte rexit Paduam. Eo tempore in Venetiis ante Eccleſiam Sancti Marci facta fuit concordia inter Papam Alexandrum Tertium, & Fredericum Imperatorem in feſto Sancti Jacobi Apoſtoli de Julio, exiſtente Sebaſtiano Ziani Duce Venetiarum: Et dicitur, quod Papa poſuit pedem ſuper collum Imperatoris, & dixit hunc Verſum: *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.* Imperator reſpondit. *Non tibi, ſed Petro.*

1178.

Dominus Obizo praedictus rexit Paduam. Eo tempore captum fuit Goëgum per Paduanos. Et quidam Turcus nomine Saladinus cepit Sepulcrum, & Achon, & multas Chriſtianorum obtinuit Civitates. Et dicitur fuiſſe translatum corpus Beati Stephani Protomartyris de Conſtantinopoli in Venetias. Et Papa Alexander Tertius prohibuit Mercatoribus, & Chriſtianis in Lateranenſi Concilio Arma & auxilia deferri Sarracenis.

1179.

Dominus Gulielmus Tempeſta de Trivixio Poteſtas Paduae. Eo tempore fuit celebratum generale Concilium apud Lateranum, & captum fuit Burgum Richum per Paduanos, quoniam ipſis rebellabat.

1180.

Dominus Aldrigetus de Padua rexit Paduam.

1181.

Dominus Johannes de Limizonibus, Dominus Ziliolus de Sintilla, Dominus Gulielmus de Compagno Cives Paduani Conſules rexerunt Paduam. Eo tempore de Menſe Aprilis incepit maxima Cariſtia, & duravit uſque ad Meſſem, & fuit valida fames, ita quod ſurgum valuit ſolidos XL. parvorum.

1182.

Dominus Comes Manſredinus Civis Paduanus rexit Paduam.

1183.

Dominus Daleſmaninus, Dominus Tranſalgardinus Cives Paduam rexerunt;

runt; & ceſſavit fames praedicta. Eo tempore fuit facta Pax in Civitate Conſtantiae de Alemannia inter Fredericum Primum Imperatorem ex una Parte, & Civitates Italiae ex altera. VII. Kalendas Julii, Anno Regni ejus XXXII. in qua fuerunt de Padua ſcilicet Gnanfus, Ecilinus Judex, & Hengleſtus de Fontagliva.

1184.

Dominus Albertus de Baone Civis Paduanus rexit Paduam. Eo tempore fuit factus Pons Brentae de Mejaniga, & fuit fames valida. Et Dominus Lucius Papa Tertius receptus fuit in Verona cum gaudio XI. Kal. Auguſti.

1185.

Dominus Grimerius Vicecomes de Placentia fuit Poteſtas Paduae.

1186.

Dominus Ugutio de Baxio de Mantua Poteſtas Paduae.

1187.

Dominus Apoſatius de Brixia Poteſtas Paduae, qui fuit expulſus de regimine, quia male exercebat Officium cum Magnatibus & potentibus. Eo tempore deviſti fuerunt Chriſtiani a Soldano in feſto Sancti Johannis de Junio, qui tunc cepit Hieruſalem, & Terram Sanctam. Et Rex Henricus filius Imperatoris deſponſavit Reginam Conſtantiam filiam Rugerii Regis Siciliae, cum ipſe Rex Henricus jam eſſet Annorum L. Et Azolinus Marchio de Eſte cepit Fratam; & Comes Ugutio de Vicentia fuit obſeſſus a Vicentinis in Montegalda minore cum Dominis Clarello, & Balugante, ibi exiſtentibus cum centum Militibus de Padua. Sed Paduani inde Vicentinos expulerunt, & in fugam converterunt. Eo tempore Soldanus cepit Sepulcrum Domini.

1188.

Dominus Ugonus de Canavolis; Dominus Tanſalgardinus Cives Paduani Conſules rexerunt Paduam. Eo tempore Paduani ceperunt Montegaldam: propter quod Vicentini clauſerunt aquam de Longare Paduanis. Unde Paduani cum exercitu violenter aperuerunt ipſam roſtam. Sed incauti permanſerunt milites Paduani; unde Vicentini inſultaverunt in eos, & multos ex eis ceperunt, & captos Vicentiam duxerunt. Et Ezelinus de Romano contraxit amicitiam cum Paduanis, obligans eis Honoriam pro libris XXV. millibus. Et poſt Annos V. Vicentini cum exercitu militum & peditum Veronae venerunt Maroſticam & Baxianum; & Ezelinus prae timore fecit pacem cum eis, & dedit filium ſuum pro obſide ſub territorio Poteſtatis Veronae. Ideoque Paduani dixerunt, quod hoc ceciderat eis ad poenam. Et Terixius Veronenſis interfecit Comitem Saurum de Verona ſuper Montem Sancti Bonifacii, & ivit ultra mare, & poſtea in Apuliam, ubi magnificè ſtetit. Et fratres ipſius Terixii, qui remanſerunt Veronae, cum heredibus Comitis Sauri fecerunt pacem, & dederunt eis Montem Sancti Bonifacii cum ſuis poſſeſſionibus circumſtantibus pro emendatione. Et Veronenſes ceperunt Ferrarienſes apud Fratam Ferrarienſis Diſtrictus.

1189.

Dominus Gulielmus de Oſa de Mediolano Poteſtas Paduae. Eo tempore incilum fuit nemus Gadii, & factum fuit Navigium, per quod itur ad Montemſilicem. Et tunc Imperator Fredericus ivit ultra mare per terram in ſervitio Sepulcri, & cepit Ychonium.

1190.

1190.

Dominus Gulielmus praedictus de Oſa poteſtas Paduae. Eo tempore obiit Imperator Fredericus in aqua fluminis Galeph in Armenia, qui fuit electus Rex Romanorum in 1151., & poſtea coronatus Imperator 1154.

1191.

Dominus Gulielmus praedictus Poteſtas Paduae. Eo tempore factus fuit Pons Brentae de Hoenta, & factae fuerunt Turres Canſreduli, ſtationes Corezariorum, & Merceriarum Communis Paduae, & Petronium a fructibus. Et Henricus filius ſupradicti Frederici Imperatoris coronatus eſt Romae. Et Cremonenſes necaverunt ſe in flumine Lolii, dicentes melius eſſe necari, quàm mori.

1192.

Dominus Ubertus Vicecomes de Placentia Poteſtas Paduae. Eo tempore facta fuit Inveſtitura dicto Domino Uberto recipienti pro Communi Paduae per Stephanum Maricum Communis Grothi, & Montagnoni &c., quampluribus montibus & collibus poſitis in Montegrotho in contrata, quae nunc vocatur Montenovo: ſolvendo ſolidos XX. Venetiarum parvorum pro quolibet Anno dicto Marico pro ſuo communi. Et Veneti exierunt cum ſex Navibus magnis, & X. Galeis in mari, & ceperunt tres Naves magnas, & duxerunt Venetias 3. millia captos. Et die ..... Julii Sol obſcuratus fuit fere a Tertia uſque ad Nonam.

1193.

Dominus Ubertus praedictus Poteſtas Paduae.

1194.

Dominus Rogatus Judex, Dominus Azochus, Dominus Rolandus de Malpeleo Cives Paduani Conſules rexerunt Paduam. Eodem tempore Domina Adeleita ſoror Comitum de Mangono, & uxor Ezelini Secundi die Lunae ſexto exeunte Aprili circa Meridiem peperit Ezelinum Tertium de Romano Tyrannum crudeliſſimum in Marchia Tervifina. Et Imperator Henricus ſibi ſubjugavit Apuliam circa Feſtum omnium Sanctorum in praedicto Milleſimo. Qui Henricus Quintus filius fuit Frederici Primi, & pater Frederici Secundi nati ex Conſtantia Regina Siciliae, & Domina Apuliae, cui ſucceſſit dictus Fredericus Secundus, qui coronatus fuit Romae.

1195.

Dominus Paganus de la Turri de Mediolano Poteſtas Paduae. Eo tempore incepti fuerunt muri circa Paduam a ponte Sancti Leonardi; & inceptum fuit Monaſterium Sancti Benedicti; & factus fuit Pons lapideus omnium Sanctorum. Unde in Libro Leonis ſuppoſiti continetur.

Quinque minus demtis Annis de Mille ducentis.

1196.

Dominus Ottolinus de Boxio de Mantua Poteſtas Paduae, qui juravit regimen ſuum in Baxiano.

1197.

Dominus Ottolinus praedictus Poteſtas Paduae. Eo tempore Henricus Imperator obiit in Apulia die XXVIII. Septembris.

1198.

Dominus Jacobus Strictus de Placentia Poteſtas Paduae. Eo tempore die Martis primo Septembris Paduani cum adjutorio Ezelini Secundi apud Carmignanum ceperunt Vicentinos, & ſuum Carrocium Martinellum abſtulerunt, & Paduae conduxerunt, & tenuerunt ipſos in carceribus per annos quatuor, vel circa, & Car-

Carrocium poſuerunt in Curia Epiſcopali, & ibi ſuper Carrocium cacaverunt, donec Vicentinos de carceribus relaxaverunt, & Fortiliciam Carmignani deſtruxerunt, & multos ſuſpenderunt. Et Veronenſes venerunt contra Paduanos, ſed parum lucrati fuerunt.

1199.

Dominus Azo Eſtenſis Marchio rexit Paduam bene & legaliter.

1200.

Dominus Azo Confalonerius de Brixia Poteſtas Paduae. Eo tempore captum fuit Carrocium, deſtructum a Veronenſibus. Et juriſdictiones, ſeu dominationes Magnatum Paduae aeceptae fuerunt per Populares homines Civitatis Paduae.

1201.

Dominus Petrus Ziani de Venetiis Poteſtas Paduae, qui fuit Dux Venetorum, & filius quondam Sebaſtiani Ducis Venetiarum. Eo tempore facta fuit venire aqua a Monteſilice propter Navigium veniendo Paduam.

1202.

Dominus Ubertus Vicecomes de Placentia Poteſtas Paduae. Eo tempore Veronenſes, Vicentini, Terviſini, Mantuani, Ferrarienſes, Tridentini, Feltrenſes, & Bellunenſes venerunt cum magno exercitu uſque ad Pontem Brentae Viciageris, & ibi ſua fixerunt tentoria, & ceperunt Caſtrum Carturi, & Turrim Canfreduli conſtraverunt. Et Paduani iverunt eis obviam, & fixerunt ſua tentoria juxta Pontem Brentae ex adverſo dictorum hoſtium; & tamdem pacificati ſunt ad invicem. Et tempore procedente Paduani dimiſerunt omnes Vicentinos, quos captos habebant. Et Henricus Dandulo Dux Venetiarum cum Comitibus Sancti Pauli, & Flandriae, & Marchione Montiſerrati hoſtiliter & per vim cepit Zaram, & eam penitus deſtruxit.

1203.

Dominus Albertus de Maodello Poteſtas Paduae. Eo tempore homines Montagnanae interfecerunt Ugutionem fratrem Domini Paduani Conſulem Paduanum ibidem miſſum pro Communi Paduae. Et Civitas Conſtantinopolis capta fuit a Francis, & Venetis per Portam, ubi erat depictus unus Angelus; prophetizatum quippe fuerat, quod per Angelum debebat capi. Et propterea Dux Venetiarum vocat ſe *Dominum quartae partis, & dimidiae totius Imperii Romaniae.*

1204.

Dominus Albertus de Baone, Dominus Daleſmaoinus Cives Paduani rexerunt Paduam. Eo tempore fuit factum Campreti, & fuit max ma ubertas, ita quod frumentum valuit ſol. II, & non ultra. Et Marchio Eſtenſis erat cum amicis ſuis juxta Caſtrum Sancti Andreae Muſonis. Et Ezelinus de Romano ex adverſa parte ſtabat cum amicis ſuis. Et Commune Terviſii deſtruxit Dominos de Naone propter ſuperbiam eorum, & propter quamdam poſſeſſionem magnam, quam habebant in Tervixio. Et Terviſini vendiderunt Caſtrum Caſtrorum, quae acceperant Carbonenſibus pro Libris XXX. millibus parvorum. Qui ab illo die in antea dicti ſunt a Caſtris. Et tunc datum fuit Dominis de Naone Caſtrum Cintarum, quod eſt juxta Muſonem, & Villam novam, tamquam de bonis Terviſinorum, quae habebant in Paduano Diſtrictu, de conſilio Lemizonis, & Guicemani, tunc Procuratorum & Extimatorum Communis Paduae. Sed hoc Caſtrum poſtea fuit deſtructum a Terviſinis.

1205.

1205.

Dominus Brazius de Burgo de Cremona Poteſtas Paduae. Eo tempore via, qua itur in plebem Saeci, facta fuit, & rectificata de novo; & aceeptae fuerunt juriſdictiones totaliter Magnatibus pro Communi Paduae. Et Veneti cum Patriarcha Gradonenſe, & magno exercitu ceperunt Duratium & Culfum.

1206.

Dominus Manfredinus de Gazo de Cremona Poteſtas Paduae. Eo tempore Azo Eſtenſis Marchio eum eſſet Poteſtas Mantuae, & Veronae, Ezelinus de Romano eum ſuis & Monteclis expulit eum de Verona per vim die vii. Junii: Et Dominus Odericus de Vicecomitibus factus eſt Poteſtas Veronae. Sed immediate poſt in menſe Auguſti dictus Dominus Marchio expulit Monteclos de Verona. Et Veneti cum xxviiii. Galeis ceperunt Culfum, & deſtruxerunt Caſtrum Modonis. Et hoc Anno confirmatus fuit Ordo Fratrum Praedicatorum per Dominum Papam, & Romanam Curiam.

1207.

Dominus Bernerius Maſtellus de Cremona Poteſtas Paduae. Eo tempore fuit proelium inter Marchionem Eſtenſem, faventibus ſibi Comite Sancti Bonifacii, & Mantuanis ex una parte, & Monteclos, favente eis Ezelino de Romano ex altera, in Braida Veronenſi. In quo proelio pars Marchionis & Comitis adverſarios ſuperavit. Ideoque Montecli terrore concuſſi die viii. Septembris tempore noctis fugerunt, Civitate dimiſſa, perſonas ſolummodo ſalvare cupientes. Et hoc fuit primum initium malorum Marchiae. Et Montecli Arcem Gardae occupaverunt, in ea ſe fortiter munientes. Marchio vero & Comes, donec vixerunt, Veronae dominium habuerunt. Et Marchio, qui tunc habuit Ezelinum captum, curialiter tractavit, & honoravit, & Militibus ſociatum decenter conduci fecit Baſianum. Qui Milites honorem maximum receperunt a Dominabus & Militibus de Baxiano. Et dicebatur, quod Ruffus ex una parte, & Rolandinus Labratus fratres Cives Paduani ex altera fuerunt in proelio ſupradicto. Et Dominus Raynerius Dandulo, & Ruzerius Praemarinus cum magno exercitu ceperunt Leonem Veteranum Curſorem maris cum novem Galeis, & ſuſpenderunt eum in Culfu. Et ceperunt Coronum & Civitatem Candiae, cum tota Inſula. Et Innocentius Papa Tertius inveſtivit praedictum Azonem de Eſt & filios heredes de Comitatu & Marchionata Anconae ad Feudum.

1208.

Dominus Viſcontinus de Placentia Poteſtas Paduae. Eo tempore fuit factus magnus Ludus de quodam homine ſalvatico in Prato Vallis, & quaſi omnes Paduani per contratas novis veſtibus ſunt veſtiti. Et captus fuit Poteſtas Vicentiae; & Montecli ceperunt Piſcheriam. Et obſeſſi eodem Anno a Marchione capti fuerunt, & in compedibus poſiti.

1209.

Dominus Jacobus de Vialardo de Vercellis Poteſtas Paduae. Eo tempore exercitus Paduanus ivit Honoriam in ſervitio Ezelini Secundi, quia Vicentini volebant invadere Brixianum; & dictus Ezelinus tenuit ſeptem centum milites ſeptem menſes apud Honoriam. Et homines de contrata Sancti Andreae de Padua fecerunt fieri Leonem magnum Sancti Andreae ad memoriam Marchionis

nis de Eſt, cum tinxiſſet rebelles Paduae, cum illi Domini de Azochis per multa tempora cum exercitu Paduano cepiſſent Arcem de Eſt, & abſtulerunt inde parvum Leonem Sancti Andreae, & conduxiſſent ubi nunc eſt. Et Jacobus Longus de Venetiis cum ſex magnis Navibus, & ſex Galeis cepit tres Naves Januenſium, & alias quamplures fugavit. Et Salinguerra cepit Ferrariam, expulſo Marchione; Et Navigium, per quod itur Stratam, fuit factum. Tunc Otto Dux Saxoniae electus in Regem Alemanniae cum exercitu copioſo venit in Lombardiam, de cujus mandato fuerunt Montecli relaxati, qui apud Sanctum Petrum a Papa Innocentio fuit coronatus. Sed ſtatim cor & cornua exaltans, & monitiones Papae contemnens, ab ipſo anathematizatus fuit, & ejus ſuperbia inclinari coepit, donec paulatim ad nihilum fuit reductus. Et Stephanus Abbas Sanctae Juſtinae renuntiavit, & in Monte Vendae vitam eremiticam * dicens, requievit in pace; cui ſucceſſit Raynaldus religione & morum honeſtate praeclarus.

1210.

Dominus Jacobus de Andito de Placentia Poteſtas Paduae. Eo tempore facta fuit Porta Turriſellarum, & murus Civitatis inde uſque ad Sanctum Michaëlem. Et Beatus Franciſcus incepit & ordinavit Regulam Fratrum Minorum. Et Imperator Otto intravit Apuliam, & manſit apud Capuam cum Longobardia, & inde reverſus excommunicatus in Alemanniam rediit; & congregato exercitu magno, adverſus Philippum Regem Francorum perrexit, faventibus ei quibuſdam Principibus Franciae proditoribus. Sed Francigenae contra Dominum Ottonem impetum fecerunt ineredibilem, & habuerunt victoriam. Cujus belli cauſa fuit, quia Rex Franciae olim liberaliter promiſerat Civitatem Pariſius ſe dicto Ottoni daturum, ſi unquam Romanum Imperium obineret. Rex autem conſiderans ſe incaute talem promiſſionem feciſſe, decrevit potius talem quaeſtionem eſſe belli judicio terminandam.

1211.

D. Azo de Pergamo Poteſtas Paduae. Eo tempore Bonifacius Comes Poteſtas Veronae die vi. Julii cepit Caſtrum Orſonici, & Dominus Albertua de Baone obiit menſe Madii. Et Fredericus adoleſcena Rex Sieiliae natus olim Henrici Imperatoris, & Reginae Conſtantiae filiae olim Rugerii Regis Siciliae de mandato Innocentii Papae per Lombardiam cum auxilio & commeatu Azonis Marchionis Eſtenſis aſcendit in Alemanniam confidenter; quem ita gratiſſime Praelati & Principes Alemanniae receperunt, quod pauci de ipſis cum Ottone remanſerunt. Et tamdem eum in Regem Alemanniae, ac futurum Imperatorem concorditer elegerunt, mediante Anno ſequenti 1212.

1212.

D. Boratius de Burgo de Cremona Poteſtas Paduae. Eo tempore Comes Sancti Bonifacii obiit die X. menſis Novembris in Verona, relictis duobus filiis Rizardo, & Gulielmo. Et die V. poſt obiit Azo Marchio de Eſt, & jacet in Abbatia, relictis duobus filiis Aldrevandino adoleſcente, & Azolino infantulo cum ſua genetrice. Eo tempore facta fuit Via de Ponte Curvo ad Plebem Sacei.

1213.

D. Martinus Zeno de Venetia Poteſtas Paduae. Eo tempore Paduanus exer-

exercitus cum Ezelino Monaco, & ejus filio Ezelino Tertio obſedit Rocham de Eſt; & eam violenter accepit, Aldrevandino Marchione reſiſtente, & recuſante obedire Communi Paduae. Qui videns, quia durum eſt contra ſtimulum calcitrare, & ſuae Civitati non obedire, juravit mandata Poteſtatis Paduae. In quo exercitu Comes Manfredinus mortuus fuit a quodam lapide a librella; & Veglus Praeco fuit ſuſpenſus, quia portavit nova intrinſeics de Eſt. Et Cremonenſes debellaverunt Mediolanenſes apud Caſtrum Leonem die II. Julii, & eorum Carrocium abſtulerunt. Et Montecli, qui fuerunt exules ſex annis, & duobus menſibus de Verona, mediantibus Domino Poteſtate & Paduanis, pacificati fuerunt cum parte Comitis, & in Veronam introducti circa feſtum Sancti Martini.

1214.

D. Albizo Forenſis de Florentia Poteſtas Paduae. Eo tempore factus fuit magnus Ludus in Tervixio ad honorem Paduanorum, qui ibidem iverant induti novis veſtibus, & ſecum duxerant quamplures Dominas de majoribus & nobilioribus Paduae. In quo fuit lis inter Paduanos, & Venetos, quia Paduani fregerunt Vexillum Sancti Marci de Venetiis propter ruſticationes factas per Venetos in dicto Ludo. Et Montecli inceperunt intempeſtivè contra partem Comitis calcem erigere. Unde pars Comitis & Poteſtas Communis, Pegorarium Civem ſuum expertum & ſapientem in Civitate elegit; & Montecli viribus impares tunc ſub adverſariis quieverunt. Et lata fuit ſententia per dictum Poteſtatem inter Marchionem Bonifacium filium quondam Obizonis de Eſt ex una parte, & ſuos Nepotes Aldrevandinum, & Azolinum fratres filios quondam Domini Azonis ex altera, ſcripta in quodam veteri Volumine Statutorum Communis Paduae in praedicto Milleſimo die Jovis XVI. menſis Junii.

1215.

D. Bonifacius de Guizardo de Bononia Poteſtas Paduae. Eo tempore exercitus Paduanus ivit contra Venetos ad Turrim Baibae die Veneris V. exeunte Octobre, & eam obſedit per dies XV. & ſuperveniente inundatione maris permaxima, obſidionem dimittere ſunt compulſi, & ibi jacturam in perſonis & rebus habuerunt. Et Aldrevandinus Marchio de Eſte cum exercitu in fervore ſuae juventutis ivit in Marchiam Anchonitanam, & obviam habuit Comites de Celana, qui partem Ottonis favebant, a quibus proditorie fuit victus & captus, & pluribus annis ibi detentus. Dominus Tyſus de Campo Sancti Petri vendidit domum ſuam cum Turri alta Communi Paduae. Et dictus Marchio ibi veneno obiit. Et generale Concilium factum fuit Romae ſub Innocentio Papa viro magnifico & excelſo.

1216.

D. Fulco de Guarnarinis de Bononia Poteſtas Paduae. Eo tempore Papa Innocentius III. obiit apud Peruſium. Et facta fuit domus, in qua moratur Poteſtas Paduae. Praedictus Papa Innocentius confirmavit Regulam Fratrum Ordinis Minorum, prout aliqui credunt; ſed fuit Papa Honorius Tertius ejus Succeſſor, quia morte praeventus confirmare non potuit.

1217.

D. Jacobus de Andito de Placentia Poteſtas Paduae. Eo tempore fa-

cta fuerunt Molendina Turrixellarum, & factus fuit Pons de Curterodulo, & multitudo maxima Chriſtianorum transfretavit in ſubſidium Terrae Sanctae, & intraverunt Aegyptum, & Damiatam invictiſſimam Civitatem multo tempore viriliter obſederunt.

1218.

D. Johannes Ruſcha de Como Poteſtas Paduae. Eo tempore inceptum fuit Palatium magnum Communis Paduae. Et Soldanus videns multitudinem Chriſtianorum intraſſe Aegyptum, & Damiatam, ut proxime ſupraſcriptum eſt, Regibus Aſſyriae, & Arabiae convocatis coepit Chriſtianos undique viriliter impugnare, praeterquam iter fluminis eis prohibere non potuit. Et tunc regebant Chriſtianos Rex Johannes Hieroſolymitanus vir ſtrenuus, fortis, & magnae ſaturae, & Magiſter Pelagius Cardinalis.

1219.

D. Malpileus de Sancto Miniato de Tuſcia Poteſtas Paduae. Eo tempore completum fuit Palatium magnum Communis Paduae, & emtum fuit Campretum a Domino Ezelino de Romano. Et obiit Imperator Otto die XIII. exeunte Madio; & capta fuit per Chriſtianos Damiata poſita ſuper flumen Nili, qui a Moyſe in Geneſi Geon appellatur, die V. Novembris. Et incepta fuit Eccleſia Sanctae Mariae in Porcilia die XIII. intrante Novembri tempore Epiſcopi Jordani; & Petrus de Bonicis dedit primum lapidem. Et Comes Rizardus expulit Dominum Azonem de Bononia de Poteſtaria Veronae, & poſuit Dominum Ruffinum de Capite Pontis.

1220.

D. Bernardus Baronus de Tuſcia Poteſtas Paduanus. Eo tempore exercitus Paduanus ivit contra Tervisinos ad Caſtrumfrancum, & inceptum fuit Caſtrum Cittadellae. Et Dominus Bertoldus Aquilegienſis Patriarcha factus fuit Civis Paduanus, & ideo fecit aedificari Palatia XII. in Padua, & quod annuatim mittere debuit XII. milites de majoribus & nobilioribus ſuarum Terrarum Paduam, ad jurandum ſequitum Poteſtatis Paduae, & ſuſtinere cuncta onera & factiones cum Civitate Paduae, quemadmodum alii Cives Paduae debent ſuſtinere, & illud idem pro rata. Et eodem modo fecit Dominus Epiſcopus Feltrenſis, & Bellunenſis. Et quia Tervixini iverant cum exercitu contra Patriarcham, Paduani iverunt, & obſiderunt Caſtrumfrancum, donec Tervixini redierunt. Et Fredericus Secundus Rex Siciliae & Apuliae, & Dux Sueviae, deſcendens de Alemannia ivit Romam, & ibi a Papa Honorio Tertio coronatus fuit in die Sanctae Luciae die XIII. intrante Decembri, & deinde Regnum Apuliae ſibi feliciter ſubjugavit, & de montibus Siciliae violenter deponens Saracenos & omnes transferens in Apuliam, fecit omnes in Nuceria habitare.

1221.

D. Bonifacius Guidonis de Guizardo Poteſtas Paduae, & fuit de Bononia. Eo tempore fuit occiſus Tiſolinus de Campo Sancti Petri in Ferraria; & inceptum fuit Monaſterium Sancti Johannis de Viridario ſub Tripino Priore; & completum fuit Zironum Caſtri de Cittadella. Et exercitus Chriſtianorum, qui tranſiverunt ad ſuperiores partes Aegypti expugnandas, ſubita inundatione Nili aquis, & exercitu Saracenorum undique circumſeptus, nec procedere poterat, nec redire: unde coactus

fuit

fuit pro redemtinne ſua reddere Damiatam; & dimiſſi a Saracenis ad propria cum magna triſtitia redierunt. Et Beatus Dominicus Ordinis Fratrum Praedicatorum in Civitate Bononiae, multis cnruſcans Miraculis, migravit ad Dominum, & ibi honorificè ſepultus eſt.

1222.

D. Jnhannes Ruſcha de Como Poteſtas Paduae. Eo tempore translatum fuit Studium de Bonnnia Paduam, & die ſequenti Nativitatis Domini fuit magnus Terraemntus in Padua, & apparuit Cometa de Menſe Septembris. Nec multum poſt obiit Ludovicus Rex Francorum pugil magnua pro Eccleſia contra Comitem Toloſanum defenſorem Haereticorum, cui ſucceſſit ejus filius Ludovicus.

1223.

D. Guidn de Landrisno de Mediolano Pnteſtas Paduae. Eo tempore fuit Terraemotus magnus per totam Italiam die Dominico, in quo celebratur Nativitas Dnmini inter Sextam & Nonam: propter quem Civitas Brixiae maximè fuit conquaſſata, & magnum damnum ſuſtinuit in rebus, & perſonis. Et orta fuit contentio inter Notarios, & Magnates Paduae cum quibuſdam Notariis Frataleae Sancti Auguſtini, & Pugnetus, & Gambavara Notarii Capitanii dictae Frataleae contra quoſdam Nntarios injuſte regentes Frataleam Notariorum, quorum unus vituperium recepit in Palatio à quodam milite, & de conecione viliter fugit.

1224.

D. Rubertus de Concorezo de Mediolano Poteſtas Paduae. Eo tempore facta fuit via de PratoVallis uſque Buvilentam, & fuit factus Ludus in PratoVallis eum Gigantibus.

1225.

D. Otto de Mandello de Mediolano Poteſtas Paduae. Eo tempore Dominus Alardus Epiſcopus Veronae & Cardinalis obiit. Et Paduani miſerunt Mantuam ducentos milites contra Imperatorem. Et Paduanus exercitus deſtruxit multa Caſtra Tervixinorum. Et facta fuit Soeietas Lnmbardorum contra Imperatorem Fredericum Secundum. Et multi viri Nobiles & potentes de Verona de parte Comitis, corrupti pecunia Salinguerrae & Ezelini, Monteclis adhaerentes, Comitem Rizardum eum parte ſua de Verona ſubito expulcrunt. Et tune primo Ezelinus Tertius aſſurgens, coepit habere dominium in Verona. Mantuani verò Comitem eum amicis ſub ſua protectinne ceperunt. Et tamdem facta fuit compoſitio inter ens, mediantibus Rectoribus Lnmbardiae. Et Monaſterium de Cella de Padua fuit conſtructum & fundatum per Beatum Franciſcum, qui pnſuit primum lapidem; & fuit quartum Mnnaſterium Sanctae Clarae factum per totum Mundum. Nam primum fuit Monaſterium ſancti Damiani; Secundum fuit Monaſterium de Florentia; Tertium fuit de Faventia; Quartum fuit de Padua. Et tune Imperator Frederieus tranſiens in Alemanniam Ezelino ſe confoederavit.

1226.

D. Bonifacius Comes Sancti Martini de Mantua Poteſtas Paduae. Eo tempore praedictus Poteſtas fuit expulſus de regimine, quia quidam Paduani inſultaverunt in eum, quoniam ejus dolo Ezelinus, & Albrieus habuerunt Vicentiam; & Comes Rizardus fuit expulſus per Mnnteclns de Verona. Et Fredericus Imperatnr venit de Apulia in Lombardiam, aſpirans

ſpirans in dominium ejus, & colloquium habuit cum amicis ſuis, volens Lombardorum animos mitigare. Sed Mediolanenſes cum aliis multis Civitatibus eis ſubeſſe noluerunt; verba ejus pro nihilo reputantes. Et die IV. Octobris Beatus Franciſcus migravit ad Dominum.

1227.

D. Bonifacius Guidonis de Guizardo de Bononia Poteſtas Paduae. Eo tempore obiit Honorius Papa Tertius; cui ſucceſſit Gregorius Nonus Oſtienſis Epiſcopus, qui monuit Imperatorem Fredericum ſub excommunicationis poena, quod pro recuperatione Terrae Sanctae transfretaret ſecundum magnificentiam Imperatoriae Majeſtatis. Imperator verò nolens tranſire, dabat excuſationem. Sed tamdem ne praeceptum Apoſtolicum contemneret, eum exercitu Galearum navigavit in Syriam, & cum Soldano Babylonis taliter pepigit, quod ipſe Hieruſalem, & alias quaſdam Civitates reddidit Chriſtianis. Audiens verò dictus Papa, quod Imperator tam potens ad modum piratae mare tranſiſſet, in quo tremebundum nomen Romani Imperii apud barbaras Nationes vilificaverat, eum excommunicavit; & mox miſit exercitum in Apuliam, ut eam Eccleſiae ſubjugaret. Quod audiens Imperator, velociter in Apuliam rediit, deinde Romam, dum hic Papa Romae Concilium celebraret. Sed per Imperatorem viae per terram & mare praecipuè artantur, ita quod duo Cardinales, & multi Abbates, & Clerici per mare ad Concilium venientes per Henricum filium Imperatoris & Piſanos in Galeis Januenſium capiuntur, & capti in Apuliam ducti fuerunt. Et tunc Papa, quia Imperator magnam partem Patrimonii Eccleſiae occupaverat, cum obſideretur in Urbe, videns paenè omnes Romanos per pecuniam corruptos, accipiens Apoſtolorum capita, & Proceſſionem a Laterano uſque ad Sanctum Petrum faciens, animos Romanorum ſic revocavit, ut omnes contra Imperatorem Crucem fumerent. Quod videns Imperator, qui jam in januis ſtans intraturum ſe credebat, timuit, & longe ab Urbe receſſit; & tandem concordia facta fuit inter ipſos, & proelia ceſſaverunt.

1228.

D. Stephanus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore obiit Dominus Jordanus Epiſcopus Paduanus circa Feſtum Sancti Proſdocimi; & Abbas Arnaldus Sanctae Juſtinae habita occaſione a Communi Paduae fecit fieri foſſatum juxta Monaſterium, in cujus capite facta fuerunt molendina Monaſterii.

1229.

D. Johannes Dandulo de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore venit Paduam Beatus Antonius de Ordine Sancti Franciſci.

1230.

D Stephanus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduae.

1231.

D. Gumbertus de Lucino de Como Poteſtas Paduae. Eo tempore in Monaſterio de Cella de Padua Beatus Antonius de Ordine Minorum migravit ad Dominum die XIII. Junii; per quem Deus fecit multa miracula, & canonizatus fuit Menſe Madii proximo ſequenti. Et mediantibus Rectoribus Lombardiae, & maxime Paduanis, liberati fuerunt Comes Veronae, & amici ejus de carceribus; & ad petitionem Henrici filii Imperatoris Frederici Secundi, Mediolanenſes, & alii inobedientes

Impe-

Imperio, miſerunt Legatos ad eum in Alemanniam, & cum ipſo contra Imperatorem fecerunt ſocietatem; conceperat enim ipſe Henricus Alemanniae Rex dolum, & peperit iniquitatem contra proprium Genitorem, eo quod videbat Patrem diligere plus eo Conradum puerum.

1232.

D. Beraldus de Rivolis de Pergamo Poteſtas Paduae. Eo tempore Fredericus Imperator die XI. Martii volens de Apulia in Iſtriam navigare, vi ventorum venit Venetias, & inde tranſivit in Forum Julii; ubi compoſitionem fecit cum Ezelino in damnum Marchionis, & Comitis Sancti Bonifacii. Tranſienſque in Alemanniam, dictum filium ſuum captum in Apuliam miſit, & carceravit, & cuſtodiri fecit uſque in diem mortis; eo quod contra eum fuerat conſoederatus cum Lombardis. Et Paduanus exercitus ivit ad Anoalem, & ipſum obſedit, donec redditum fuit Poteſtati Paduae, eo quod illi de Anoale fecerunt damnum in Paduanum Diſtrictum.

1233.

D. Ardizonus de Avogariis de Vercellis Poteſtas Paduae. Eo tempore Frater Jobannes de Ordine Praedicatorum in tanta reverenria fuit in tota Lombardia, quod juſſu ejus Paduani, Veronenſes, Brixienſes, & Mantuani cum Carrociis, & aliae multae Civitates in Campanea Veronenſi convenerunt in die Sancti Auguſtini, & ibi ſententias ſuper quibuſdam quaeſtionibus coram Populis autorizabiliter promulgavit. Sed cito ejus potentia ſpiravit, & fama; nam quaſi poſt unum Menſem quicquid ordinaverat, ad nihilum eſt deductum. Dixerat autem, & ſententiaverat, quod Ezelinus, & Albricus de Romano fratres deberent facere datam Communi Paduae de poſſeſſionibus ſuis, quas ibidem habebant, recipiendo pro eis Libras XXV. millia; & quod forent Cives Paduani; & quod Raynaldus filius Domini Azonis Marchionis de Eſte deberet accipere Adeleitam filiam Alberici de Romano in ſuam uxorem. Et tunc Dominus Marinus Dandulus de Venetiis Poteſtas Tervixii, eundo per Argerem ad Caſtrum de Meſtre, juſſu Domini Guezili de Camino lancea a quodam transfixus mortuus de equo cecidit. Et die..... Februarii Frater Jordanus Magiſter totius Ordinis Fratrum Praedicatorum vita laudabilis, & ſcientia, qui iverat ultra Mare ad praedicandum Saracenis, migravit in portu Maris. Et Beatus Dominicus Ordinis Praedicatorum canonizzatus fuit per Gregorium IX. ſummum Pontificem.

1234.

D. Otto de Mandello de Mediolano Poteſtas Paduae. Eo tempore exercitus Paduanus ivit Baxianum, Muxolentum, ad Sanctum Zenonem, ad Romanum, ad Caſtrum Fontis, quod acceperat Ezelinus in cambium pro Treville; deinde ad Aslum, & per territoria illorum de Romano, eundo per totum Tervixinum Diſtrictum uſque ad Flumen Plavis, deſtruendo Meſtrum praeter Caſtrum. Et tunc Paduani miſerunt Henricum Paradiſum de Padua pro Poteſtate ad Caſtrum Coneglani. Et Tyſo de Campo Sancti Petri amicus Marchionis & inimicus Ezelini obiit. Et fuit hyems aſperrima, ita quod vineae, olivae, & communiter omnes Arbores fructiferae perierunt. Et fuit etiam peſtis Gallinarum, & omnium generum beſtiarum. Et fuerunt Aquae adeò omnes congelatae, quod

quod omnes tam equites, quam pedites, poterant ire Venetias. Et Tervisini cum Ezelino ceperunt violenter Castrum Camini, & vinctoa duxerunt Dominum Guezilum, & illos, qui erant in Castro, & in Tervisii carceribua posuerunt. Et Andreas Rex Hungariae duxit uxorem Beatricem filiam Aldrevandini Marchionia de Est. Et die IIII. exeunte Majo Mantuani, Brixienses, & Bononienses cum Carrociis iverunt cum exercitu ad Pischeriam, & destruxerunt Zeveum Oppidum, & omnes alias Villas Veronensia Districtua a Valezo infra.

1235.

D. Otto de Mandello praedictus Potestas Paduae. Eo tempore Paduani fecerunt pacem cum Tervixinis. Et die quinto Aprilis Comes Rizardus fecit pacem cum Monteclia, & die primo Octobris obiit Andreas Ungariae Rex.

1236.

D. Rambertus de Gisleriia de Bononia Potestas Paduae. Eo tempore mortuo Andrea Rege Ungariae, & regnante Bela filio ejus pro eo, Imperator suos Legatoa ad eum misit. Et tunc Beatrix Regina praegnans timore crudelis privigni, qui faciebat eam diligenter custodiri, in habitu virili, & in societate dictorum Legatorum latenter in Alemanniam ad Terram Columbae confugit; deinde ad Civitatem Vordae de Ducatu Kiapi ibidem filium peperit, quem nomine Stephanum appellavit: quo nato ad paternam Domum rediit cum prole sua. Quae die primo Augusti intravit Veronam, & stetit in domo Aleardi de Lendenaria, & deinde ivit Ferrariam. Et die VIII. exeunte Januario Comes Rizardus expulsus fuit de Verona cum amicis suis. Et Imperator Fredericua ad requisitionem Ezelini venit Tridentum, & deinde Mense Februarii intravit Veronam, & postea transivit flumen Menci, & devastavit Gazum, & Marclariam. Et ivit Brixiam per Mantuanam, omnia devastando; & deinde Cremonam, & ibi mansit per totum Mensem Octobria. Et die X. exeunte Martio Philippus quondam Bondiei de Grippia dedit Comiti Rizardo Castrum Castiani. Et die III. Aprilis pars Comitia Rizardi cum custodibua partia Monteclorum, furtive cepit Castrum Gardae. Et Imperator die XVI. Mensis Maji misit quingentos Milites Ezelino, qui destruxit Villas Mantuanorum; & die VII. cepit Bagnolum, & destruxit; & multos cepit ibidem existentes. Et die VIII. exeunte Junio Ezelinus cepit Castrum Caldejae cum Theotonicia, & Veronensibus. Et die XV. Augusti Fredericus venit de Alemannia cum Duce Saxoniae, Archiepiscopo Maguntiae, & aliis multis, & ivit Cremonam die exeunte septimo. Et Paduani, & Tervisini cum suis Carrociis, & Vicentini cum eis destruxerunt Castrum Bonaygi, & fixerunt tentorea die X. Octobris apud Rivoltam, & ibi steterunt per totum Mensem Octobris; & Mantuani cum quingentis militibus ex altera parte Veronae die V. exeunte Octubri ceperunt Bovariam, Insulam Comitis, Zevium, & multas Villas, & Ezelinus obvius Paduam erat in ..... ex altera parte Aticis, & stetit donee placuit, & postea recessit. Et Imperator visis literia Ezelini de Romano movit se die penultimo Octobria, & in die illa & nocte venit Vicentiam, & illam habuit, & combussit. Et tunc quidam Theutonicus de nobilioribus

& me-

& melintribus Alemanniae cum vellet cum ſuis violare Dominss de Vicentia, & juſſu Ezelini non vellet deſiſtere, dictus Ezelinus illum interfecit cum enſe. Et his peractis Psduani, & Terviſini cum eſſent Rivoltam cum Marchione, & ſuis Cerrnciis timore Imperatoris redierunt Paduam in die Omnium Sanctnrum. Et Imperstor dimiſſn Gulielmo de Vicedominis pro Pnteſtate Vicentise Inco ſui, cum exercitu venit in Epiſcnpatum Psduae die XV. Novembris, & devaſtavit Carturium; deinde ad Cittadellam, & poſtea ad Caſtrum Franchum, & ibi ſtetit per diem & noctem; deinde ivit Terviſium, & ibi ſedit per plures dies juxta Fontanellam, exiſtente ibidem Petro Teupolo prn poteſtate. Et Paduani miſerunt ducentos equites Tervixium, & Imperator dimiſſo Ezelino Vicentiam ivit ad Plavim, deinde ad Aquilegiam per Fnrum Julii, & Carentanam, & feſtinanter in Alemanniam, & ibi cepit filium ſuum Henricum, & captum miſit in Apuliam, & ibi mortuus eſt, cum ipſe fnret electus Longobardorum Rex contra Patrem. Et Menſe Decembris circa feſtum Nativitatis electi fuerunt XVI. Pnteſtates, qustunr pro uno quoque Qusrterio; medietas quorum erat pro parte Ezelini, altera pro parte Msrchionis. Videlicet Domini Ubertus de Daleſmsninis, Marſilius de Gualperto, Nicolsus de Lucin, Artuſinus de Dsleſmaninis, Albertus de Ponte, Oſteſanus, Albertinus de Csſtronovo, & Matthaeus Vitsliani; Ugolinus Advogsrius, Henricus Fnrzatè, Traverſius del Sszs, Bnnifacius de Sintilla, Comes Schinella, Ugo a Vado, Comes Tyſn, & Jscobus de Carraria. Et miſſi fuerunt ducenti milites ad Carturism. Tamdem cum iſti XVI. male facerent, D. Rambertus de Gisleriis poteſtas Paduse praecepit eis, ut irent Venetiss, & ibi ſtarent ad ejus voluntatem; excepto Artuſino de Dsleſmaninis, qui juſſu Poteſtatis remsnſit, ut cnnſuleret in conſulto Communi. Et tunc licentiatus fuit dictus Dominus Rambertus, & fuit electus Dominus Marinus Baduarius de Venetiis in Poteſtatem & Rectorem Communis Paduae; & praedicti omnes ſuerunt innbedientes, & iverunt ad ſuss Villas & Caſtra; excepto Dominn Comite Schinella, qui bene ivit, & ſe praeſentavit in Venetiis, & dicto Domino Artuſino, qui remanſit de conſenſu Dnmini Pnteſtstis.

1257.

D. Msrinus de Venetiis Poteſtas Psduae, & intravit Regimen die XVIIII. Februsrii. En tempore Comes Gsbnsrdus de Saxnnia cum Ezelino de Rnmano exiens de Vicentia per confinia Rovnlonis, & Monteclsre Mnntis Rubei, Mnntsgnnnis ad vsdum fluminis Terrae durae in crepuſculo diei pervenit Carturiam, & hoſtiliter pugnsns cepit ducentos milites per Padusnos ibidem miſſos per XVI. Poteſtates; & captos duxit ad Mnntem Silicem. Pnſt haec D. Marinus Poteſtss praedictus furtive receſſit cum rebus ſuis & fsmilia die V. exeunte Februario. Cum Cnmes Gaboardus veniſſet ea die cum Ezelino uſque Mandriam, ſequenti die dsta fuit Civitas Paduse Cnmiti Gaboardo de Saxnnia recipienti pro Imperstnre, & pro Ezelino de Romano, ut Capitaneo & Conſiliario partis Imperii per majus cnnſilium Civitatis Paduae, timore ne milites capti in Mnnte Silice occiderentur. Quidam verò dicebant, ipſam Civitstem datam fuiſſe per XVI. Pnteſtates,

tes, & quando Ezelinus intravit Paduam oſculum dedit Portae Turrixellarum, & grates dedit Comiti Gaboardo.

1238.

D. Simon Teatinus de Apulia Poteſtas Paduae pro Imperatore Frederico Secundo, & juravit regimen die IIII. exeunte Februario. Eo tempore CC. Milites Paduani captivati in Montefilice, relaxati fuerunt; & Tervixini tunc ſe & ſua Albrici de Romano Dominio ſubdiderunt; & Marchio de Eſt Nuntiis Imperatoris ſe ſubjecit; & D. Jordanus Forzatè Prior Sancti Benedicti captus fuit & Saracenis cuſtodiendus datus eſt, qui ab Imperatore relaxatus, & datus eſt Patriarchae Bertoldo, & ſtetit in quodam Monaſterio collocatus; deinde veniens Venetias ibi defunctus eſt. Et Arnaldus Abbas Sanctae Juſtinae timens capi ab Ezelino fugit, & latuit uſque ad adventum Imperatoris in Lombardiam, ad quem ivit, & duobus Menſibus ejus Curiam fuit ſecutus.

1239.

D. Aldevrandinus Cazaconte de Senis Poteſtas Paduae. Eo tempore praedictus comes Gaboardus de Saxonia reſtituit Abbatem Arnaldum in ſuo Monaſterio, remotis Procuratoribus ibi poſitis per Ezelinum. Et circa medium Menſem Julii Imperator obſedit Brixiam uſque per totum Menſem Septembris, & Civibus viriliter ſe defendentibus confuſus inde receſſit. Et Ezelinus fugato tunc Marchione de finibus Marchiae obſedit Montagnanam, quam habere non potuit. Et paulo poſt Marchio reſumtis viribus occupavit Eſt, & fortiter munivit; & nunc iterum venit Paduam armata manu cum ſuis Amicis in PratoVallis, ſed inordinatè reverſus fuit, fugatus per Ezelinum de Romano.

1240.

D. Thebaldus Franciſcus de Apulia Poteſtas Paduae per Imperatorem conſtitutus. Cum Imperator intraſſet Paduam de menſe Januarii in die Converſionis Sancti Pauli, ſtetit in Monaſterio Sanctae Juſtinae a Dominica ..... Quadrageſimae uſque ad dies XV. poſt Paſcha; cui D. Arnaldus pulchra & magna dona fecit, & etiam Petro de la Vigna, & aliis Proceribus Imperatoris exenia donavit; & Imperatricem filiam Regis Angliae cum ſua Curia Noëntae reſidentem, pulchris honoravit exeniis. Et in Dominica Olivarum Papa Gregorius publice excommunicavit Imperatorem. Quare Imperator convocata concione in Palatio Paduano per os Petri de Vinea querelam fecit de Iaevitie Papae. Et Guecellus de Camino, & Albricus de Romano confoederati Tervixium intraverunt, expulſo Jacobo de Mota, ibi reſidente pro Imperatore. Imperator namque ſequens in omnibus conſilium Ezelini, Marchioni & aliis Proceribus ſemper bona promittebat, tamen eis male faciendo. Nam inter alios obſides acceptos de Padua Raynaldum unicum filium Marchionis mittit in Apuliam, & Adeleitam filiam unicam Albrici de Romano, quae matrimonium contraxerat cum dicto Raynaldo, ſuggeſtione dicti Ezelini accepit. Et circa Paſcha obiit Dominus Jacobus Epiſcopus Paduanus, & menſe Maji Imperator cum exercitu & Carrocio Paduano pluribus diebus obſedit Caſtrumfrancum, quod obtinere non potuit; ſed per Privilegium cum Bulla aurea donavit Paduanis ipſum Caſtrum, & quicquid territorii eſt citra fluvium Sileris uſque

ſque ad mare. Et die III. Junii circa meridiem fuit eclipſis Solis. Et eodem menſe Azo Marchio cum ſuis amicis de comitiva Imperatoris receſſerunt. Tune verò Imperator relicto dicto D. Thebaldo Poteſtate Paduae, & ſuo Vicario in Marchia, ſic tamen ut uteretur conſilio Ezelini, tranſiens cum exercitu in Lombardiam, quaedam Caſtra Bononienſium devaſtavit, & inde in Apuliam ſe contulit.

1241.

D. Thebaldus praedictus Poteſtas Paduae. Eo tempore circa feſtum Sancti Pauli Cometes apparuit versùs Occidena, & vir magnanimus Philippus Epiſcopus Ferrarienſis rebellis contra Salinguerram pro Eccleſia, Bragantinum & Bondenum viriliter occupavit, & Veneti cum magno exercitu, Bononienſes, Mantuani, & multi milites Mediolanenſes cum Domino Gregorio de Montelongo Apoſtolicae Sedis Legato, obſederunt Ferrariam in auxilium Marchionis, quam ſub doloſa ſpecie compoſitionis poſt quatuor menſes, capto Salinguerra quaſi decrepito, & ducto in cuſtodiam Venetorum, uſque dum vixit, per D. Jacobum Teopolum Ducem Venetiarum obtinuerunt. Et menſe Auguſti ſequenti audiens Imperator, Paulum Traverſarium amicum Marchionis intimum eſſe mortuum, veniens de Apulia cum exercitu obſedit, & cepit Ravennam; deinde obſedit Faventiam per octo menſes. Et praedictus Poteſtas cepit Dominum Jacobum de Carraria in Caſtro Agnae, & Ugolinum Advocatum in Caſtro Brentae, & illos decapitari fecit in foro publico, ubi venditur bladum, tanquam proditores perfidiſſimos.

1242.

D. Thebaldus praedictus Poteſtas Paduae. Eo tempore Imperator obtinuit Faventiam per longam obſidionem. Et Piſani tempore aeſtivo ceperunt duos Cardinales, & multos Praelatos euntes Romam ad Papam per mare Tyrrhenum in navibus Januenſium; & modicum poſt obiit Papa Gregorius Nonus; vacanteque Sede multis diebus, tamdem electus fuit Papa Coeleſtinus de Mediolano, qui vixit diebus XVIII., & non pluribus: Et gens effera Tartarorum totam Ungariam devaſtavit. Unde Rex Bela vix effugiens, applicuit ad maritima Sclavoniae.

1243.

D. Galvanus Lanza de Apulia Poteſtas Paduae. Eo tempore Cardinales poſt multa conſilia elegerunt in Papam Dominum Innocentium Quartum natione Januenſem de Comitibus Lavaniae, qui vocabatur Sinibaldus, & erat tunc Cardinalis. Hic fere quaeſivit duobus annis habere pacem cum Imperatore, ut finem guerris imponeret: quod Imperator recuſavit, videns ſe quaſi totam Italiam poſſidere; intendens penitus Clericorum peſſimam ſuperbiam refrenare. Et menſe Martii Dei judicio Montagnana concremata eſt; quod audiens Ezelinus, & ſubito veniens, eam occupavit. Et menſe Junii fuit exercitus Paduanus ad Pontem Plavis cum Ezelino, & die XVI. Septembris Ezelinus cum exercitu ivit ad Eſt, & devaſtavit eam praeter Rocham; & tranſiens per ramum Ulmi devaſtavit vites & arbores uſque ad Baonem; & combuſſit Burgum, unde itur Cinctum; & deſtruxit Terram, unde itur Montagnanam, & rediit. Et tunc inceptum fuit Caſtrum Sancti Thomaſii de Padua. Et de

menſe Auguſti Leonardus Quirinus, & filius Jacobi Teopoli Ducis Venetiarum cum LX. Galeis iverunt ad Civitatem Polae, & eam ceperunt; deinde iverunt Duracium, & redeuntes acceperunt omnes divitias Polae, & Civitatem combuſſerunt. Et eo anno valuit frumentum in Padua XX. Solidos, & plus: quod reputatum fuit maxima cariſtia.

1244.

D. Galvanus Lanza praedictus Poteſtas Paduae, & Vicarius in Marchia Terviſina pro Imperatore. Eo tempore facta fuit repraeſentatio Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti in Prato Vallis in feſto Paſchatis; & Caſtrum Sancti Bonifatii a Veronenſibus fuit deſtructum. Et Comes de Panego Civis Veronenſis fuit in Padua decollatus, & multi alii Praelati accuſati de proditione Veronae diverſis tormentorum generibus ab Ezelino fuerunt interfecti. Qui tunc ſumſit audaciam, & rabiem homines occidendi, & Caſtrum Hoſtiliae a Mantuanis fundatum, fuit deſtructum. Et die V. Julii ſub Jacobo Teopolo Duce Venetorum Raynerius Zeno Capitaneus Galearum Venetorum violenter cepit Jadram.

1245.

D. Guizardus de Realdeſco de Brixia Poteſtas Paduae. Eo tempore circa feſtum Sancti Johannis Baptiſtae Papa videns ſe deluſum ab Imperatore, finxit ſe velle habere colloquium cum Auguſta, latenterque apud Urbem Veterem Galeam intrans Januam profectus eſt, & tranſiens in Galliam per terras Comitis Savojae properando, circa feſtum Sancti Lucae in Lugduno congregavit Concilium generale. Et Ezelinus ivit Veronam, & ibidem ſtetit per unum annum, & ultra.

D. Guizardus praedictus Poteſtas Paduae. Eo tempore circa feſtum Sancti Johannis Baptiſtae factum fuit Concilium generale Lugduni, ad quod citatus Imperator ire contemſit, unde propter ejus contumaciam & offenſam, de conſenſu totius Concilii depoſitus fuit per ſententiam ipſius Papae. Et tunc veniens cum ſuo filio Conrado Veronam, & cum aliis Principibus, & Baronibus Alemanniae, & Lombardiae etiam partibus ei faventibus, ibi ſolemne Concilium celebravit; quo facto ſimulans ſe velle ire ad Concilium cum Conrado filio ſuo ivit uſque ad Taurinum, ubi primo audivit contra ſe fore latam ſententiam. Revertenteſque Cremonam, ibique Imperii negotiis ordinatis ivit in Apuliam, & Conradus ejus filius ivit in Alemanniam. Et Papa tunc miſit Legatos in Alemanniam, monendo Principes habentes vocem eligendi Regem Romanorum, quod aliquem excellentem virum eligerent. Qui convenientes elegerunt Lantgravium Ducem de Turingia aſſentientem electioni, & ſuſcipientem contra potentiſſimum Fredericum Imperatorem alacriter & audaćter Regni Alemanniae Diadema. Et die VIII. exeunte Julio quaedam Stella ardens & ignea viſa eſt in Veſperis ante Solis occaſum confurgere ab Oriente, & volans quaſi ſcindendo Coelum concurrere ad partes Occidentales. Et Guillielmus de Campo Sancti Petri furtive cepit Caſtrum Franchum, & militem ibi exiſtentem pro Alberico de Romano Poteſtate vulneravit cum ſuis; & die Veneris primo Julii captus fuit Pons Plavis.

1246.

D. Guizardus praedictus Poteſtas Paduae, qui non complevit Regimen.

men. Eo tempore Lantgravius Rex Alemanniae; congregato exercitu contra Conradum filium Frederici Imperatoris eum delevit, quem niſi Dux Bavariae immemor patris ſui a Frederico interfecti ſuſcepiſſet, mortem non evaſiſſet. In quo bello fuit Philippua Epiſcopus Ferrarienſis tunc Apoſtolicae Sedis Legatus.

1247.

D. Guezeli de Prata Poteſtas Paduae, & juravit Regimen ultimo die Maji. Eo tempore menſe Februarii Johannea de Stavarola captus pro proditione Veronae, & ductus ante tribunal Domini Henrici de Hygna Poteſtatis Veronae filii ſororia Ezelini, & audiens ſub ipſo Henrico, quod impoſſibile erat ipſum evadere, ſtatim latenter accepit cultellum, & ſubito percuſſit ter in caput dicti Henrici, qui obiit circa dies XIII. poſt praedictas percuſſiones. Satellitea ſtatim dictum Johannem occiderunt de mandato Jacobini Comitis de Schinellis. Et Imperator de menſe Maji veniens de Apulia in Lombardiam cum maximo apparatu ivit verſus Taurinum, & Rex Hentiua ejus filius naturalis cum exercitu Cremonenſium obſedit Quintianam Caſtrum Brixiae, & quodam die Dominico circa medium Junii interfecto Vicario Imperatoria Parma rediit ad partem Eccleſiae, per exercitum Bernardi Rubei de Parma compatris Imperatoris. In favore autem Parmenſium erat Gregorius de Montelongo Apoſtolicae Sedis Legatus, Marchio Eſtenſia, Comes Sancti Bonifacii cum Mantuania, Biachinus de Camino, & Albricus de Romano. Et Imperator cum eſſet Cremonae, cum exercitu obſedit Parmam, & die VI. exeunte Junio Ezelino eunte in ſervitio Imperatoris cum quingentia Militibus in Villa Gazolti Marchio de Eſt cum Mantuania obviavit, ſed nihil ei nocuit; immo Ezelinua ivit, & cepit Briſellum, & Guaſtallam, poſtmodum acceſſit ad Imperatorem, & ibidem ſtetit, donec placuit Imperatori. Et de menſe Julii eum Rege Hentio filio naturali Imperatoris eum quingentia militibus Ezelinus ivit Regium, & vicit Comitem Veronae, & Parmenſea exiſtentes ibidem eum MD. militibua. Et Imperator aliam Civitatem nomine Victoriam in contrarium Parmae ante portas Civitatis aedificavit. Et de menſe Auguſti viſa ſuit quaedam Stella eadere de partibus Septemtrionis. Et Lantgravius Dux Turingiae, & Rex Alemanniae obiit, electus Imperator poſt excommunicationem, ſive depoſitionem Frederici Secundi Imperatoris.

1248.

D. Guezeli de Prata Poteſtas Paduae. Eo tempore Papa Innocentiua mittens Legatum in Alemanniam mandavit Principibua habentibus vocem Electionis, quod eligerent novum Regem & idoneum. Unde ipſi elegerunt Guilielmum Comitem de Holandia in Regem Alemanniae, & futurum Imperatorem. Et die VI. Madii Rex Hentiua filius naturalis Frederici Imperatoris captus fuit in bello a Bononienſibua, & ductus Bononiam, & ibidem vitam in vinculis terminavit. Et Ludovicua Rex Franciae tranafretavit, ſed habuit laetum principium, & triſtem exitum, lucrando Terram Sanctam. Cepit Damiatam, & poſtea fuit captus, & Deo volente reſtitutus.

1249.

D. Guezeli de Prata Poteſtas Paduae, & non finivit Poteſtariam. Anxediſius de Guidonis de Tervixio

incepit ſuam Poteſtariam de menſe Auguſti. Eo tempore die X. exeunte Junio Ezelinus habuit Caſtrum Montiſilicis, exiſtente quodam de Apulia Capitaneo ipſius Loci pro Imperatore, cum homines dicti loci juſſu Ezelini iviſſent invadere Solexinum hora mediae noctis, & in veſperis rediiſſent. Et menſe Julii Ezelinus carceravit Gumbertum Artuxinellum, & Ubertellum fratres quondam Jacobi de Daleſmaninis occaſione proditionis, quam fecerat Ferrariae, eorum ſoror Palmeria uxor quondam Marchionis de Cavalcabò de Cremona, cui Ezelinus conceſſerat ſuum Caſtrum nomine Monteſauro in ipſius Dominae cuſtodia, & Matthaei Judicis Ugonis de Almerode de Padua, quem jamdiu fratres miſerant pro Capitaneo dicti Caſtri, & dicta Domina Palmeria, unà cum dicto Capitaneo dediſſent dictum Caſtrum Rizardo Comiti Sancti Bonifacii, pro eo quod dictus Comes juraverat in uxorem accipere Palmeriam praedictam, & fratres praedictae Dominae fuiſſent conſcii dicti matrimonii, quamvis ipſum matrimonium effectum aliquem non habuerit. Et tunc cum praefatus Matthaeus veniſſet Paduam, & fugere vellet Venetias, captus fuit in Villa Stratae, & tormentatus manifeſtavit totum factum proditionis Caſtri, & literas, quas ipſa Domina Palmeria miſerat ſuis fratribus antedictis, propter quod fuit decapitatus in platea Communis Paduae.

1250.

D. Anxedifius de Guidonis de Tervixio filius ſororis Ezelini, Vicarius Generalis pro Imperatore in Marchia Terviſina a flumine Lolii uſque Tridentum, & Poteſtas Paduae intravit, & juravit Poteſtariam Paduae menſe Auguſti. Eo tempore Ludovicus Rex Francorum cum ſuo exercitu properans verſus Babiloniam a Saracenis concluſus, ut neque procedere, neque retrocedere valeret, Soldano ſe tradidit, amiſſo primò in bello Comite Ruberto fratre ſuo cum Magiſtro Templi, & maxima militum quantitate, & pro ſua redemtione Damiatam reddidit Soldano in Syriam rediens, & prius reaedificatâ Caeſareâ Palaeſtinae rediit in Franciam cum ignominia ſuae gentis & Populi Chriſtiani. Conſiderans verò Soldanus tam praeterita, quam futura, Damiatam funditus fecit everti, ne de cetero eſſet receptaculum proeliorum.

1251.

D. Anxedifius Poteſtas Paduae. Eo tempore Innocentius Papa, mortuo Federico, & ordinatis factis Alemanniae cum Principibus, exiens de Lugduno venit Januam, cui occurrerunt omnes Magnates Lombardiae: deinde venit Mediolanum, & recuperata Civitate Laudenſi, per Lombardiam tranſiens ivit Peruſium, & tunc Populus Placentinus caeco furore contra ſuos milites concitatus auxilium Cremonenſium imploravit, expulſiſque militibus Ubertum Pelavicinum in ſuum Dominum & Rectorem elegerunt. Et Conradus filius Frederici Imperatoris de Alemannia veniens Veronam de menſe Decembris, cum auxilio Ezelini mare intravit in Portu Liteſanae, & navigans in Apuliam, eam cum Inſula Siciliae ſibi ſubjugavit. Et Raynaldus filius Marchionis de Eſt obiit in Apulia, quem Imperator pro obſide tenebat, relictis uno ſuo filio Obizone, & una filia Conſtantia, quos habuit de quadam Domicella Nobili de Apulia, dum in carcere curialiter teneretur; & Marchio procuravit dictos ſuos Nepotes de Apulia ſibi deferri,

ſerri, & legitimos fieri per Papam, & per Guilelmum Romanorum Regem. Et capti ſuerunt Domini Petrus & Johannes, fratres de Peraga fortè occaſione ſororis ſuae Gardionelae uxoris quondam Tyſonis de Campo Sancti Petri, quae fuit mater Tyſonis Novelli, ſed dicebatur potius occaſione proditionis. Et Ezelinus de Romano ivit cum exercitu verſus Mantuam, omnia deſtruendo, & poſtmodum rediit Veronam. Et Mediolanenſes in die Aſſumtionis Beatae Virginis Civitatem Laudae obſederunt, & de menſe Septembris eam habuerunt, & domum redierunt. Et quidam de Conſilve nomine Tavella, dum eſſet detentus in Sala Poteſtatis, volens fugere, ſe per feneſtram projecit in terram, & ſtatim obiit. Et cum Jacobus de Guidonis frater Anxediſii eſſet Capitaneus Maroſticae, occaſione proditionis decapitari fecit Gerardum Schacum de Ofredutiis; & illa de cauſa capti fuerunt in Padua Henricus Archidiaconus & Canonicus Paduanus, Henricus Abbas Carrariа, & multi alii; & tunc factus fuit mortalis career in Cittadella nominatus *la Malta*, in quo poſiti fuerunt milites circa LXX. ſine compedibus, & cum compedibus circa centum & quinque.

1252.

D. * Anxedius praedictus Poteſtas Paduae. Eo tempore Dominus Gregorius de Montelongo ordinatus fuit Patriarcha Aquilegienſis a Papa Innocentio, & intravit Patriarchatum de menſe Januarii; & ſequenti menſe Februarii obiit Rizardus Comes Sancti Bonifacii in Brixia, ibique honorificè ſepultus per Brixianos, & ei ſucceſſit ejus filius Ludovicus.

1253.

D. Anxediſius praedictus Poteſtas Paduae. Eo tempore menſe Februarii. Quidam nuntius Fratris Albertini de Ordine Minorum accepit epiſtolam Otti Vulpi Notarii, in qua continebatur quod Frater Otto de Ordine Minorum erat electus Epiſcopus in partibus Romaniae, & quod guerra non duraret tribus annis, & quod Ezelinus erit mortuus cum ſuis, ideo ſibi provideat. Quam literam Ziramons habuit, & fratri ſuo Ezelino detulit; qui cum ſciret veritatem, ſtatim dictum Ortonem detineri fecit cum omnibus ſuis amicis, & illos mori fecit; & multos alios capi fecit, inter quos fuit quidam Proſdocimus Notarius de Cavo, & miſſus Cittadellam, in cujus domo inventa fuit quaedam caldaria plena Ducatorum Venetorum groſſorum, & erat capax bene duorum Stariorum, & ultra. Et Ubertus a Vado tractus fuit per totam Terram Veronae, & poſtea combuſtus, & multi Fratres Minores, Eremitae, & Praedicatores, & alii ſimiliter fuerunt capti, & horribiliter cruciati.

1254.

D. Anxediſius praedictus Poteſtas Paduae. Eo tempore obiit Rex Conradus pater Conradini, & filius Frederici Imperatoris in Apulia XII. exeunte Madio, & Innocentius Papa in manu valida hoſtium intrans Apuliam ſedit in Neapolim, ad quem Principes omnes Apuliae, & Manfredus filius naturalis quondam Frederici Princeps Tarantì venientes, eidem Papae ſubjectionem cum reverentia obtulerunt. Sed in tanto potentiae culmine dictus Papa ibidem migravit X. Decembris, cui ſucceſſit Alexander Quartus Epiſcopus Oſtienſis. Et tunc factae ſunt magnae ſtra-

ges

ges hominum per Ezelinum de Romano, ſeu ejus juſſu in Padua, Vicentia, & Verona. Et praedictus Manfredus dominium Apoſtolicae Sedis impatiens, aegrotante Innocentio Papa rebellis effectus magnam ſtragem de militibus Eccleſiae apud Fozam fecit, & deinde audacter viribus fretus recuperavit Terras Apuliae. Alexander verò Papa exiens de Neapoli cum ſuo Exercitu ad partes Capuae properavit. Sed Manfredus verſutiis, armis, & muneribus ita exercitum debellavit, donec de Regno turpiter exire coëgit; ſicque totius Regni obtinuit Principatum; ita quod Papa Anno primo ſui Pontificatus dimiſit Regnum, & venit Ananiam; & ſic dictus Manfredus occupavit univerſum Regnum, tamquam Vicarius Conradini nepotis ſui. Qui etiam Manfredus poſt paucos ſui Vicariatus annos confidens, & putans dictum Conradinum mortuum, fecit ſe in Regem Siciliae coronari; & ſic uſurpato Regno, & Regis nomine excommunicatur a dicto Papa, qui etiam miſit exercitum contra eum, ſed nihil profecit. Et Conradinus poſt pauca tempora videns malitiam ipſius Manfredi, miſit Ambaxiatores ſolemnes ad Papam cum literis Magnatum de Alemannia, ſuis & ipſius Conradini ſigillis pendentibus, quae ſtrenuè fuerunt praeſentatae ante ſores Beatae Mariae de Anania, exiſtente Papa in ſolemnitate, in quibus perhibebatur teſtimonium, quod dictus Conradinus vivebat, tunc nihil penitus profuturum eidem. Hic Papa canonizavit Ananiae Sanctam Claram, quae fuit Ordinis Beati Franciſci. Hujus tempore Principes Alemanniae Electores elegerunt in diſcordia Imperatorem; alii Alphonſum Regem Caſtellae, quidam Richardum fratrem Henrici Regis Angliae ditiſſimum Comitem Cornubiae. Et cum Alphonſus Rex Caſtellae ſuam electionem proſequeretur in Romana Curia, dictus Gomes Richardus ſimiliter ſuam ibidem proſequens, intravit Alemanniam, ubi apud Aquiſgrani de Capella fuit ab Archiepiſcopo Colonienſi diademate Regio coronatus, & obtinuit Regnum Alemanniae pro majori parte. Qui Richardus captus fuit ab Anglicis cum fratre ſuo Henrico Rege, & nepote Richardo. Hujus tempore Eccleſia Sancti Leonardi, & Eccleſia Sancti Stephani de Mantua fuerunt conſecratae.

1255.

D. Anxediſius Poteſtas Paduae, de qua fuit expulſus in menſe Junii Anni ſequentis die XX. per Legatum Romanae Eccleſiae, & Paduanos Extrinſecos fugiens de Padua cum damno & vituperio ad Civitatem Vicentiae, deinde Veronam, ſe praeſentavit avunculo ſuo Ezelino, qui eum in carceribus juſſit poni, & ibi deceſſit ante annum. Eo tempore circa principium Aprilis Tridentini debellaverunt Ezelinum, ad quos expugnandos miſit exercitum per Vallem Suganam deſtruentem omnes Villas. Et tunc Ezelinus fratrem ſuum naturalem Ziramontem, & Ezelinum de Higna nepotem ſuum, & ſuae ſororis filium juſſit carcerari; & Dominus Arnaldus Abbas Sanctae Juſtinae die X. Februarii praeteriti, qui fuit primus dies Quadrageſimae, migravit ad Dominum in carcere Aſilli, ubi ſteterat vinctus annos octo, & menſes tres circa aetatis ſuae Annum ſeptuageſimum. Fuit enim vir bonae & magnae famae, & virgo, ut credebatur, & Martyr, qui ſepultus fuit in Eccleſia Sanctae Juſtinae de

Padua

Padua in archa una in angulo a latere meridiei, ubi depictus eſt Ezelinus cum ſatellitibus ſuis. Et tunc Brixia civili diſcordiâ perturbata eſt, inſtigante Ezelino. Pars Ezelini contra Partem Eccleſiae obtinuit. Verumtamen Ezelinum ingredi non permiſerunt, perſuadentes eidem, qui jam cum exercitu ſuo venerat ad Montem Clarum, quod Veronam rediret, & Griſonellum Civem ſuum Patriae amatorem ad Brixiae regimen elegerunt. Et menſe Maji ſequentis Ezelinus Bontraverſium ſocerum ſuum cum maſnadis capi fecit, & in carcere mori cœgit. Eodem tempore praedicata fuit Crux contra Ezelinum per Dominum Philippum Archiepiſcopum Ravennae tunc Apoſtolicae Sedis Legatum.

1256.

D. Marcus Quirinus de Venetiis Poteſtas Paduae electus per Paduanos Extrinſecos in exercitu intravit Civitatem Paduae, & juravit ſuum regimen die Martis XX. Junii. Eo tempore Alexander Papa commiſit Legationis officium in Marchia & Lombardia contra Ezelinum Domino Philippo Archiepiſcopo de Ravenna, qui Crucem fecit praedicari contra eum, & congregavit exercitum de Marchianis exulibus, & Baliſtreriis cum navibus Venetorum, & quingentis peditibus Ferrariae.

1257.

D. Johannes Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore Brixienſes reconciliati fuerunt ad partem Eccleſiae, mediante Fratre Heverardo Ordinis Praedicatorum, de quo turbati fuerunt Ezelinus, & Pelavicinus. Et tunc etiam Papienſes primo, & deinde Placentini jugum Pelavicini a ſuis cervicibus excuſſerunt. Tunc ſuadente provido viro Boxone de Dovaria Cive Cremonenſi, relicto Ezelino, a quo ſaepe offenſi fuerunt, Eſtenſi Marchioni confoederantur, & tunc implacabilis Mediolanenſium, & Cremonenſium diſcordia ſedata eſt.

1258.

D. Matthaeus de Corrigia de Parma Poteſtas Paduae. Eo tempore inceptus fuit murus ſpaldi a Saraxiniſco, & die III. exeunte Julio milites Paduani in campeſtribus Baxiani Theotonicos equites Ezelini viriliter debellaverunt, de quibus magnam praedam habuerunt; & Veneti magnam victoriam habuerunt, contra Januenſes in Civitate Acon. Et Brixienſes partis Eccleſiae conſilio & auxilio Legati, & Marchionis, ſuos contrarios amicos Ezelini & Pelavicini poſuerunt in conflictum; & Crema, quae diu ſub jugo Mediolanenſium fuerat, tunc expulſa parte eorum, ad manus Cremonenſium pervenit. Eo Anno militia Mantuanorum, & Brixianorum devicti fuerunt per Dominum Ezelinum, in quo proelio Philippus Archiepiſcopus Ravennae tunc Apoſtolicae Sedis Legatus cum multis Mantuanis captus fuit ab Ezelino, & ducti fuerunt in carceribus Veronae, & tunc Civitas Brixiae capta fuit ab Ezelino in loco Gambariae.

1259.

D. Guido de Monte Fojano de Regio Poteſtas Paduae. Eo tempore Florentini, & Lucani miſerabilē habuerunt eventum; nam confiſi de ſua multitudine, cum iviſſent verſus Civitatem Senenſem, & Senenſes exiviſſent ad bellum forte auxilio Manfredi Regis Siciliae, Florentinos, & Lucanos viriliter debellaverunt, & in tantum, quod dicebatur de Florentinis, & Lucanis inter mortuos & captos pluſquam ſex millia homi-

num corruiſſe. Et hoc Anno captus fuit Ezelinus de Romano.

1260.

D. Marcus Quirinus de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore homines Marchiae, & Lombardiae communiter tam de die quam de nocte, ante latis Crucibus proceſſionaliter ibant ſe verberando, Deo laudes canentes, & rogantes pacem; & tunc magnae inimicitiae pacificatae ſunt per omnes Civitates. Et quidam Nobiles Paduani, qui exſtiterant cum Ezelino poſt ipſius Civitatis captionem uſque ad ejus obitum, & conſilium dederant Ezelino, ut capi faceret omnes Paduanos, reducti fuerunt ad gratiam Communis Paduae. Et Comes Veronenſis cum parte ſua fuit expulſus de Verona; & Stephanus Rex Ungariae tertius filius Regis Bellae Regem Bohemiae Octacharum aggreſſus fuit, habens in exercitu ſuo diverſarum Orientalium Nationum CCLX. millia equitum. Cui Rex Octhacarus occurrit cum CLX. millibus equitum, & dicebatur habere VII. millia equorum coopertorum de ferro ad reſiſtendum cuique in confinibus Regnorum. Cumque bellum fuiſſet inchoatum, & collectione equorum & hominum, tanta pulvis de terra ſurrexit, ut media die vix homo hominem cognoſceret. Tamdem Rege Stephano vulnerato, Ungari terga verterunt, & cum fugere feſtinarent, in fluvio Recha profundiſſimo, quem tranſire credebant, praeter alios occiſos, XIIII. millium hominum dicebantur fuiſſe ſubmerſi. Tunc Rex Bohemiae habitâ victoriâ intravit Ungariam. Stephanus Rex Ungariae pacem quaerit, & Terras ablatas, quae erant cauſa diſcordiae, reſtituit, & futuram amicitiam mediante matrimonio confirmavit. Alter ſcribitur, quod deinde Stephanus Rex Ungariae ipſum Octhacarum Regem Bohemiae cum Bohemis Auſtralibus, Brandiburgenſibus, & aliis potenter repulit, Civitatem Budae ſibi ſubjecit, & ſimiliter Dominum Bulgaronum. Et hoc Anno inceptum fuit Baptiſterium in Padua in Vigilia Sancti Martini.

1261.

D. Johannes Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore die VII. exeunte Majo Alexander Papa Quartus obiit in Viterbio, cui ſucceſſit Urbanus Quartus natione Gallicus, qui ampliavit numerum Cardinalium, de quorum numero fuit Dominus Simon de Monteſilice. Et quidam Graecus Palaeologus nomine, & Imperator Graecorum, obtinuit Conſtantinopolim contra Imperatorem, & Venetos. Manfredus filius naturalis quondam Imperatoris Frederici miſit Saracenorum copiam contra Urbanum Quartum manentem apud Urbem Veterem, qui per Crucefignatos celeriter expulſi ſunt.

1262.

D. Gibertus de la Gente de Parma Poteſtas Paduae. Eo tempore in Vigilia Omnium Sanctorum ortum fuit incendium in domo Fratris Gualmachi in contrata Scrignariorum, per quod fere tota Civitas fuit combuſta, & maxime circa Sanctam Luciam. Et ſub eodem Poteſtate in ſequenti Milleſimo in Octava Paſchae fuit translatum Corpus Beati Antonii Confeſſoris de Ordine Minorum. Eo tempore obiit Azo Marchio Eſtenſis, cui ſucceſſit Obizo ejus nepos filius quondam Raynaldi defuncti in Apulia, qui fuit datus obſes Imperatori Frederico.

1263.

D. Matthaeus de Corrigia de Parma Poteſtas Paduae. Eo tempore Urbanus Papa Quartus contulit Regnum Siciliae Carolo Comiti Andegavenſi, & Provinciae contra Manfredum filium Frederici. Hic per Clementem Quartum Anno 1265. Romae coronatus eſt, quo de Marſilia cum XX. Galeis venerat. Alium verò exercitum tranſmiſit per terram, & Senator Urbis factus eſt. Leges autem regendi Regnum juxta ſcita Regis Guilielmi ſibi traditae ſunt. Et tunc inceptus eſt murus, ubi prius erant tantum Spaldi verſus Occidentis partem in Padua.

1264.

D. Laurentius Teopolo de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore Urbanus Papa Quartus Regnum Siciliae, quod Manfredus detinebat violenter, contulit Carolo Comiti Provinciae fratri Regis Franciae Ludovici, ut a Manfredo eriperet. Et Cometes tam notabilis apparuit, qualem tunc nullus vivens ante vidit: Ab Oriente enim cum magno fulgore ſurgens uſque ad medium Emiſpherii noſtri exſurgens, verſus Occidentem comam perlucidam tenebat; & licet in diverſis Mundi partibus diverſa ſignificaverit, hoc tamen unum pro certo compertum fuit, ut pluſquam per tres menſes duraverit. Ipſo prius apparente, Papa Urbanus coepit infirmari, & ea nocte, qua Papa obiit, expiravit & Cometes.

1265.

D. Gerardinus Longus de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore Carolus Comes Provinciae, qui pro recuperatione Regni Siciliae per Papam Urbanum Quartum vocatus fuerat, navigio Romam venit, & ibi tunc in Senatorem eligitur; deinde Apuliam intrans bello campeſtri habito Manfredum ſibi violenter detenentem Regnum, vitâ & dominio dicti Regni privavit. Eo tempore deciſus fuit Dominus Guilielmus del Soza de Ungarellis per Dominum Bartholomaeum Macharuffum, qua de cauſa magna turbatio fuit in Civitate Paduae; ſed vigore Poteſtatis bene ſedata fuit; quoniam cum Antianorum conſilio convocato Populo ſubito per ſonum campanae magnae ad martellum, capti fuerunt homicidae, qui erant in domo magna apud Sanctam Luciam, & ultimo ſupplicio puniti ſunt. Tranſit ergo Carolus per Sanctum Germanum, & Montem Caſſinum acies dirigit in Manfredum, qui ſe in Beneventum receperat, & oblato per Carolum bello, pugnatur utrinque in Campo florido in planitie Beneventi. Tamdem poſt pugnam acerrimam pulſa acie Manfredi, ipſe gladio occubuit.

1266.

D. Jacopinus Rubeus de Parma Poteſtas Paduae. Eo tempore Paduani cum magno exercitu obſederunt Caſtrum Leonici Vicentinorum, detentum a Veronenſibus tenentibus dictum Caſtrum bene munitum ad ſui defenſionem; & Menſe Octobris dictum Caſtrum habuerunt. Et poſtea Vicentini dederunt Paduanis ſuae Civitatis claves, & eorum Poteſtati, & ſuo dominio ſe ſubdiderunt. Et tunc Paduani elegerunt Dominum Henrigetum de Capite Vaccae in Poteſtatem, & Rectorem Communis Vicentiae. Et die Dominico XXIIII. Octobris obiit Dominus Ubertus de Deleſmaninis. Et die penultimo Menſis Januarii Beatus Antonius Peregrinus de Padua migravit ad Dominum, qui jacet ante Eccleſiam Sanctae Mariae de Porcilia. Et Paduani in-

novaverunt ſuum Carrocium; & obiit Dominus Tyſo de Campo Sancti Petri die ultimo Menſis Januarii.

1267.

D. Bonifacius de Canoxa de Regio Poteſtas Paduae.

1268.

D. Rolandinus de Canoxa de Regio Poteſtas Paduae. Eo tempore die XXIIII. Decembris multi Veronenſes audientes, quod Vicentini erant apud Sanctum Bonifacium, iverunt contra ipſos, & ceperunt de ipſis circa XXX. & ſequenti die iverunt Rivoltam, & eam ceperunt. Et die IIII. Maji Veronenſes expugnaverunt Villam Francham, de quibus multi fuerunt vulnerati, & ibidem Dominus Bucha de la Scala fuit occiſus. Carolus Rex Siciliae, Ducatus Apuliae, Principatus Capuae, Almae Urbis Senator, Andegaviae, Provinciae, & Folcacherii Comes miſit literas Poteſtati & Communi Paduae per quemdam curſorem Marchionis de Eſt; quae latae fuerunt in Palatio Communis Paduae in pleno Populo die Mercurii XXIX. Menſis Auguſti, quorum tenor talis erat.

Carolus Dei gratia Rex Siciliae, Ducatus Apuliae, Principatus Capuae, Almae Urbis Senator, Andegaviī, Provinciae, & Folcbacherii Comes, Poteſtati, Conſilio, & Communi Paduano amicis meis ſalutem, & omne bonum. Expectatam, & deſideratam a cunctis Fidelibus Eccleſiae Romanae laetitiam vobis tenore praeſentium intimantes, ſcire vos volumus, quod manu Dei, quae noſtrae tutrix eſt & patrona juſtitiae, noſtros feliciter & ſalubriter dirigente, ac proſequente, poſtquam Conradinus, & Dominus Henricus Urbis Senator complices & fautores, tam ingenti Teotonicorum, quam Lombardorum, Tuſcorumque, & Hiſpanorum exercitu congregato, Regni Noſtri finibus appropinquarunt, quaerentes foramina, per quae ſine ullo noſtrarum virium obice poſſent ingredi, ſeque conjungere Saracenis, nos eos de paſſu in paſſum per quatuor dies & noctes totidem inſequentes, & etiam perſequentes, tamdem percepto, quod dicti hoſtes per Sculculae partes ingreſſi, ſperabant libere pertranſiti viâ rectâ deſcendere, & pervenire Sulmonam, & exinde ire Luceriam, quique inter Sculculae, & Taucii Montes ſua infelicia taſtra locaverunt, die Mercurii XXII. Menſis Auguſti praeſentis in octava Aſſumtionis Beatae Virginis, de cujus potiſſimè ſperabamus auxilio, de pratis Ovinuli ſecus ripam lacus Fluvii, & Villam Anzanii aciebus inſtructis, maturis greſſibus procedentes, demum ad quemdam collem prope Albam, qui per duo parva milliaria diſtabat ab hoſtibus, ex quo Pallentinus Campus ſe explicat, Deo duce perveninus, & caſtra proſpicientes hoſtium, quia gens noſtra, & praeſertim equi erant prae labore nimio fatigati, juſſimus deliberato conſilio in eodem colle caſtra noſtra defigi. Hoſtes verò videntes vexilla noſtra caſtrorum ſuorum finibus propinquare, noſtrum noſtraeque gentis formidantes ingreſſum, de caſtris ſuis in campum cum omnibus eorum copiis exiverunt, & intuentes noſtros ad bellum praeparatos, cum magna confuſione ad loca, de quibus exiverant, noſtris poſt eos clamantibus, ſunt reverſi. Sequenti autem die Jovis orto jam Sole, quia praefati hoſtes de praedictis locis ſubito recedentes coeperunt proſequi ultra Fluvium, qui inter utrumque diſcurrebat exercitum infauſtis eorum auſpiciis iter ſuum. Nos ſtatim in praedicti campi Pallentini planicie cum toto noſtro praeparato exercitu, aciebus diſtrictis & ordinatis ad proelium,

lium, in Divini nominis virtute deſcendimus, procedentes planis, ut decebat, motibus verſus illos. Cumque crederemus eos ulterius proceſſuros, ipſi ſuper ripam dicti Fluminis prope Villam Puncium caſtra ſua, eorum tamen aciebus nullatenus diſſolutis, ſubito poſuerunt. Et videntes, quod noſter ſimiliter incitabatur exercitus ex adverſo, protinus dictum Fluvium tranſierunt. Nos verò de divino confiſi praeſidio, invocato Chriſti Nomine irruimus celeriter & viriliter in eoſdem. Et poſtquam acerrimè fuit utrinque pugnatum, boſtibus pro majori parte in ore gladii truſidatis, ipſorum reliqui ſuſtinere noſtri molem exercitus non valentes, ſe ad fugae remedium converterunt; quos noſtri feſtinis greſſibus & continuis aggreſſibus inſequentes, magnam eorum partem per Montes & nemora peremerunt. Facta eſt itaque noſtrorum boſtium tanta ſtrages, quod qnae in campo Beneventano de aliis perſecutoribus Eccleſiae facta fuit, hujus reſpectu valde modica reputatur. De Conradino verò, & Domino Henrico utrum in bello ceciderint, an per fugam evaſerint, nulla in confectione praeſentium, quae ſtatim poſt victoriam conſcriptae fuerunt, haberi potuit certitudo. Verumtamen equus, cui D. Henricus inſeſſiſſe dicitur, a noſtris cum per campum abſque inſeſſore curreret, eſt inventus. Capti ſunt inſuper Conradus de Antiochia, & Thomas de Aquino, & plures alii proditores noſtri, qui excepto Conrado de Antiochia propter deteſtabilem proditionem, quam contra Majeſtatem noſtram commiſerant, jam capitali Sententia ſunt damnati. Quae omnia vobis ſignificamus ad gaudium, ut quilibet veſtrum per exhibitionem veſtrae ſinceae devotionis partem non nimiam pertuliſtis, ſitis & participes triumphorum. Vos ergo ad gravandum omnes hoſtes vobis in vicino morantes, aſſumto ex hoc ſpiritu majoris vigoris & fortitudinis, viriliter procedentes, faciatis ſtratas, & etiam paſſus, & tranſitus veſtri Diſtrictus ſic cum omni cautela & diligentia cuſtodiri, quod ſi dictus Conradinus, & alii profugi de gente ſua exinde tranſierint, capiantur. Data in Campo Pallentino prope Albam XXIV. Auguſti XI. Indictione, Regni verò noſtri Anno IV.

1269.

D. Matthaeus de Corrigia de Parma Poteſtas Paduae.

1270.

D. Thomaſinus Juſtiniano de Venetiis Poteſtas Paduae. Hoc Anno murus ſpaldi Communis Paduae ſupradictus totaliter fuit perfectus.

1271.

D. Bartholomaeus Soppo de Pergamo Poteſtas Paduae. Hic Poteſtas ſecum Chronicam de omnibus Scripturis negotiorum factorum in Marchia Tervixina ab Annis LXXXVII. huc uſque, detulit & portavit.

1272.

D. Michaël Dauro de Venetiis Poteſtas Paduae.

1273.

D. Jacopinus Rubeus Bernardi Rolandi Rubei de Parma Poteſtas Paduae. Hoc Anno Rodulfus de Vivario Vicentinus tempore noctis cum quibuſdam ſatellitibus occupavit Caſtrum Angarani, quod cuſtodiebatur per Commune Paduae. Ideoque ſtatim Poteſtas praedictus cum exercitu magno ivit, & obſedit Angaranum, & deficientibus ſibi victualibus de nocte Rodulfus aufugit. Sed XXIV. de ſuis capti, & ibi ſuſpenſi fuerunt.

1274.

D. Gutifredus de la Turre Poteſtas Paduae electus Secundo Martii. Eo tempore univerſa fere Nobilitas Padua-

duanorum affociavit Dominum Raymundum de la Turri Patriarcham Aquilegienſem patruum Poteſtatis, cum primo iret ad intrandum tenutam ſui Patriarchatus: Et inventus fuit theſaurus magnus in metallis auri optimi in horto Hoſpitalis Domus Dei de Padua valoris, ut dicebatur, librarum pluris XXX. millium: quod male diſtinctum fuit, ut dicitur primo per inventores, deinde per Epiſcopum, & per Poteſtatem, & ſuos Officiales, ita quod in utilitatem Hoſpitalis fere quarta pars fuit converſa in emendis poſſeſſionibus pro Hoſpitali.

1275.

D. Robertus de Robertis de Regio Poteſtas Paduae. Eo tempore in nocte Nativitatis Domini fuerunt magna & mirabilia tonitrua, & coruſcationes, & grandines.

1276.

D. Guido de Robertia de Regio Poteſtas Paduae. Eo tempore fuit magna Fames per univerſam Marchiam Terviſinam, & Lombardiam; & Dominus Simon de Monteſilice migravit in Domino, qui fuerat Cardinalis magnus & potens.

1277.

D. Marcus Quirinus de Venetiis Poteſtas Paduae.

1278.

D. Martinus Vallareſe de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore in die Sancti Thomae Caſtrum Coloniae redditum fuit Communi Paduae ſalvis perſonis Veronenſibus, quae in eo erant. Et guerra magna facta fuit inter Paduanos, & Veronenſes. Et Menſe Julii ſequenti Dominus Epiſcopus, & Populus Vicentinus dederunt Civitatem & Diſtrictum Tridenti Communi Paduae, ad cujus Regimen miſſus fuit Poteſtas D. Marſilius de Pertenopeo cum equitibus, & peditibus ſoldatis, qui aliquas Villas inobedientes combuſſerunt. Sed modico tempore Paduani tenuerunt Tridentum, quia Caſtellani, & qui ſubditi eſſe debebant, rebellabant cum favore Domini Alberti de la Scala Domini Veronae: propter quod orta fuit guerra inter Paduanos, & Veronenſes, quae duravit duobus annis vel circa.

1279.

D. Jacobus Domini Gonzolini de Offemo Poteſtas Paduae. Die XIX. Junii intravit Regimen, & aſcendit Palatium, & ſtetit in Regimine quinque Menſes tantum. Et de Menſe Novembris eodem Anno Dominus Matthaeus de Corrigia de Parma fuit electus Capitaneus Populi Paduani, & poſt ipſos quinque menſes ipſe Dominus Matthaeus fuit electus in Poteſtatem, & ab inde uſque ad Calendas Januarii ad unum annum. Et ab inde mutatum fuit tempus Regiminum Paduae ad Kalendas Januarii. Dictus Dominus Jacobus Domini Gonzolini Paduam venit, oſtendens faſtum & maximam ſuperbiae promtitudinem, habens majorem partem fave * quam dicunt Eccleſiae. Hic fecit creari Milites de novo in Padua, & multos minus divites, ut oneribus gravarentur, qui partia Imperialis, vel Imperialium amici dicebantur. Eo tempore Menſe Auguſti tractaverunt Bartholomaeus, & Anxedifius de Schinellis cum Veronenſibus accipere Vicentiam de fortia Paduanorum. Simul adjutores, ut dicebatur, habebant Pacem filium Domini Bernardini de Montenario exiſtentis Capitanei Caſtri Sancti Petri, & Raynaldum, & Henricum de Collo de Vicentia, & Curvanum de Maroſtica, & forſan alios. Et die ſtatu-

ſtatuta jam venerant equites Veronenſes uſque ad Burgos Vicentiae. Sed tractatibus his delectis & manifeſtis, Bartholomaeus de Schinellis, & Anxediſius cum filio Bernardini, & Raynaldo, & Henrico de Collo fugerunt, & etiam Veronenſes per viam aliam fugerunt. Et tunc magnus tumultus exortus fuit in Padua, ita quod Poteſtas cum militibus equitavit Vicentiam, & ibi cepit Paeem Judicem filium Bernardini, Aſſeſſorem D. Guertii de Vicoageris, qui culpabilis credebatur, Guilielmum de Malaflamma ſuggeſtu Bernardi Epiſcopi Vicentini, Florium Falcerium, Artuſium de Vivaro, Vertium de Pithoco, Jacobum Theotonem, Artuſium de Maroſtica, & alios multos, magis zelo partis, quam culpâ creditâ; & ducti ſunt captivi Paduam, & ibi graviter torti & afflicti, in tantum quod Jacobus Theotonus exſpiravit in tormentis; & erat maximus clamor, quod penitus occiderentur. Sed tamen eis non confitentibus, & culpâ non repertâ, relaxati ſunt, & ad mandata relegati. Pars Eccleſiae in Padua, quae ſequebatur voluntatem D. Guidonis de Lotio, & Martini de Guidotto, quia Poteſtas non occidit illos habuit eumdem Poteſtatem odio, & etiam quia CC. milites electi non fuerunt miſſi verſus Epiſcopum Feltrenſem, ſive ad habendum Tervixium, ut dicebatur. Quare tractaverunt Guelfi, ut die nona Decembria repudiaret dictus D. Jacobus Domini Gonzolini Poteſtatis Regimen, Et Dominus Matthaeus de Corrigia, qui venerat paucis ante pro Capitaneo, etiam electus eſt Poteſtas, & die X. Decembris intravit regimen. Hoc Anno menſe Auguſti Epiſcopus & Populus Tridentinus ſubtraxerunt Tridentum de fortia Paduanorum, licentiato curialiter Domino Marſilio ſuo Poteſtate pro Communi Paduae.

1280.

D. Matthaeus de Corrigia de Parma Poteſtas Paduae. Eo tempore mutatum fuit Regimen Civitatis ad Kalendas Januarii, quod antea longiſſimis temporibus mutari conſueverat ultima die Junii. Et Menſe Jsnuarii Petrus de Daulis Nobilis Civis Paduae Capitaneus equitum ſoldatorum Communis Paduae occiſus fuit apud Coloniam per Veronenſes, & capti fuerunt Oliverius de Linguavaccae, Gerardus de Viguntia miles Domini Beleboni de Guarnarinis Poteſtatis Vicentiae, Capellus de Malcapellis, Galvanus Notarius de Andrea. Propterquod Paduani indignati aſſenſerunt illis, qui contra Veronenſes movere exercitum voluerunt; & die primo Madii ante Nonam extractum fuit Carrocium Paduae extra Eccleſiam; occaſione procedendi contra hoſtes. Et die Dominico XII. Menſis Madii, movit Carrocium, & exercitus magnus Paduae verſus Veronam, & ivit Vicentiam, ubi ſtetit tribus diebus; & die Jovis XVI. Maji applicuit & fixit caſtra ſua in Villanova Veronenſia Diſtrictus ſuper Alponem cum plauſtris, & guaſtatoribus, depopulando ſegetes, arbores, & Villas. Et tunc combuſtae fuerunt Villae Calderiae, Colognae, & Illaxi, & juxta planitiem Sancti Martini Bonalbergi, Trinagi, Blondae, Turris Vagia, & domus multarum aliarum Villarum Veronenſis Diſtrictus. Et ſtetit ibidem exercitus XIV. diebus. Et de Menſe Auguſti facta & celebrata fuit pax & concordia perpetua inter Paduanos, & Veronenſes de partium voluntate. Eodem Anno Turriani de Mediolano pel-

pelluntur, & Vicecomites dominium tenuerunt uſque 1303.

1281.

D. Henricus Dauro de Venetiis Poteſtas Paduae, qui incepit in Calendis Januarii Regimen ſuum. Eo tempore die VI. exeunte Februario Regina Clementia venit Paduam filia Rodulphi Romani Regis, tranſiens cum Baronibus ad Regem Carolum in Apulia, ut Sponſa, & uxor filii, vel nepotis dicti Regis Caroli, & quaedam neptis ipſius Regis Romani ſponſa, & uxor filii unius de Fleſco de Janua proficiſcentes ad ſuas nuptias. Et ſteterunt Paduae per duos dies, & Commune Paduae fecit eiſdem Dominabus, & totae eorum comitivae in Padua & Diſtrictu honorifice & affluenter expenſas; quae expenſae fuerunt duo millia librarum parvorum. Et de Menſe Madii gens Patriarchae Raymundi Aquilegienſis devicta a Mediolanenſibus, & Dominus Caxonus de la Turri mortuus fuit in conflictu, & infiniti fuerunt mortui, & capti. Et die III. exeunte Majo in ſero duo fratres Galvanus, & Melius de Pigotiis, qui olim occiderant Dominum Maſtinum de la Scala fratrem D. Alberti de la Scala in Verona, interfecti fuerunt in Platea Curiae Domini Guidonis de Lotio in Padua a Maſcharono Becharío, & aliis Veronenſibus circa duodecim, & occiſores fugerunt ad domum Zagi de Porcilia, & ipſe cum eis receſſit tota nocte; & die ſequenti capti fuerunt in nemore Vicentino, & ducti Paduam, & duriter tormentati confeſſi ſunt. Tunc murmura exorta per Urbem, & rumores per partem Domini Guidonis de Lotio, quod Cives Paduani erant conſcii, & factum fuit per iſtigationem quorumdam, quod Maſcharonus manifeſtavit D. Guecilem de Deleſmaninis, & quemdam ſuum famulum nomine Richentafe, qui fugit, & D. Johannem de Forzatè, & Petrum Bechum ejus famulum, & poſtea redicendo negavit. Quare fecerunt ſecuritatem M. Marcharum pro quolibet & miſſi fuerunt ad villas ſuas, & D. Guido de Lotio, & D. Nicolsus de Caſtronovo ſimiliter ad ſuas Villas miſſi fuerunt. Et die Mercurii IV. Junii circa Tertiam in Arenga Paduae judicati fuerunt ad mortem, & Maſcharonus praedictus, & duo alii poſiti in carrectis vincti, & tenaglati per Civitatem, & alii quinque tracti ad caudas equorum, & omnes iſti octo ſuſpenſi in furchis ſuper Brentellam. Zago autem praedicto fuit pes unus abſciſſus, & unus oculus erutus. Numquam autem homines meminere, ut ferebatur, tam crudele judicium, nec tam abhorrendum factum fuiſſe Paduae. Hoc tempore fortificata, & facta fuerunt multa & gravia Statuta contra Nobiles, & Potentes, & male ablatos. Et facta fuit domus Poteſtatis, ſub qua ſunt Stationes Ferrariorum.

1282.

D. Bertus de Friſchobaldis de Florentia Poteſtas Paduae. Eo tempore multae & infinitae querelae, & petitiones datae fuerunt contra Magnates de Padua per Populares vigore Statuti de male ablatis, quae his temporibus fuerant fortificata, pro quibus querelis, & petitionibus condemnati fuerunt dicti Magnates fere omnes, & forbanniti. Quare credebant prudentes, maximum ſcandalum in Civitate Paduae exoriri. Et quidam Francigena Comes Romandiolae pro Eccleſia cum ſuis equitibus, & Francigenis, & illis de Faventia obti-

obtinuit & occupavit Forlivium, & multos in introitu Civitatis utriusque sexus occidit. Sed tamdem Guidonis Comitis de Monteferetro, & Anxedisii de Schinellis Civis Paduani, & aliorum suorum equitum audatiâ & valore, praedictus D. Comes Romandiolae, & Thebaldus de Faventia, & quasi omnes Francigenae, caesi & interfecti fuerunt; & sic Furlivienses illa die tristem & laetam habuerunt Victoriam. Et die Mercurii ante Tertiam, V. Mensis Augusti fuit Eclipsis Solis. Et die Dominico quarto Octobris fuerunt solemnes nuptiae in Ferraria celebratae Domini Azonis Marchionis de Est cum Domina Johanna filia D. Zentilis de Ursinis de Roma. Et multi Presbyteri, Clerici, & Religiosi fuerunt occisi in Padua, & Paduano Districtu, quoniam tunc fuit per Commune Paduae stabilitum, & scriptum in quodam parvo Volumine, quod vocabatur Donatellus, quod pro homicidio commisso in persona alicujus Ecclesiasticae personae, condemnari debeat homicida in uno solo Denario Veneto Grosso. Quod Statutum factum fuit propter multa, & enormia scelera, quae committebantur per Clericos, de quibus nulla fiebat Justitia, per Episcopum Paduanum. Et dicitur, quod in Regno Siciliae Panormitani subcensâ rabie Gallicos, qui ibi commorabantur tam mares, quam foeminas, tam senes, quam juvenes in contemptum Regis occiderunt; & quod detestabilibus fuit mulieres Latinas praegnantes, quae dicebantur a Gallicis concepisse, occidebant antequam parerent.

1283.

D. Veri de Circulis de Florentia Potestas Paduae. Die Mercurii III. Martii, qui fuit primus dies Quadragesimae, Civitas Paduae cum tota Dioecesi per Dominum Patriarcham fuit ab omni Officio Ecclesiastico interdicta propter Statuta facta contra Ecclesiasticam libertatem. Verum tamen Religiosi de Ordine Paupertatis interdicto non obstante continue Officium coram omni Populo celebrabant. Et die Dominico XXV. Aprilis Comes Veronae in Regii Civitate migravit, relicto ejus filio Vinciguerra in protectione Civitatis Paduae, Vicentiae, Parmae, & Marchionis de Est. Et Mense Augusti in Antiania Domini Patavini de Gambarariis Judicis Dominorum Antianorum Civitatis Paduae firmatum, & factum fuit Statutum de emendo Jurisdictionem Lendenariae pro Communi Paduae a Cattanеis Lendenariae, & a quibuscumque aliis habentibus partem in Jurisdictione Lendenariae. Et tunc Dominus Antonius, & Rizardus Cattanei de Lendenaria, & Dominus Badoarius de Venetiis, qui jus habebat pro Domina Amabilia ejus Uxore in dicta Jurisdictione Lendenariae, vendiderunt Communi Paduae suas partes. Dominus autem Obizo Marchio de Est, qui aliquam partem Jurisdictionis Lendenariae retinebat, per Ambasciatores Communis Paduae requisitus, quod eam partem Jurisdictionis Lendenariae, quam tenebat, vellet vendere Communi Paduae, sicut alii consortes jam fecerant, dixit, quod per suos Ambasciatores in Paduano Consilio responderet. Sed quia eos mittere differebat, iterum Dominus Gerardus de Camino, & Ambasciatores Paduani missi fuerunt ad eum pro eodem facto, qui tunc usque ad Festum Sancti Michaëlis accepit terminum respondendi. Et Dominus Gerardus de Camino fuit factus Capitaneus & Dominus Civitatis Tervixii.

1284.

D. Fantonus de Rubeis de Florentia Poteſtas Paduae. Eo tempore facta fuit domus inter Turrim rubeam, & Ferrarias, ſuper ejus Sala ſuperiori fit Conſilium majus.

1285.

D. Fantonus praedictus Poteſtas Paduae. Eo tempore ad Feſtum Nativitatis Domini omnes captivi, qui erant in carceribus Maleficiorum, fuerunt relaxati libere amore Dei per Commune Paduae ſecundùm reformationem majoris Conſilii.

1286.

D. Guilelmus Malaſpina de Luca Poteſtas Paduae. Eo tempore fuit facta domus Antianorum de Padua, & factus fuit Pons lapideus Sancti Johannis a navibus.

1287.

D. Baronus de Manzatoribus de Sancto Miniate Poteſtas Paduae. Eo tempore fixi fuerunt termini de Menſe Julii circa Civitatem Paduae ſuper omnibus ſtratis magnis, diſtantes a Palatio Communis per duo milliaria. Et in dicto Menſe fuerunt in Civitate Paduae ſolemnes Nuptiae celebratae Nobilis viri, & poſtmodum militis Domini Nicolai de Lozo cum Domina Agnete nata Domini Gerardi de Camino; ad quas nuptias honorandi causâ Paduam venit Dominus Obizo Marchio de Eſte, & facta fuit Curia ſuper majori Palatio Communis Paduae. Hoc Anno inceptus fuit Pons Tadorum lapideus.

1288.

D. Curſius de Donatis de Florentia vir ſtrenuus & laudabilis, Poteſtas Paduae.

1289.

D. Ottolinus de Mandello de Mediolano Poteſtas Paduae, & ſapienter exercuit Regimen ſuum. Eo tempore

A Civitas Tripolis in Syria capta fuit a Saracenis, & compoſitio facta fuit inter Commune Paduae, & Clerum mediante Fratre Bonaventura Ordinis Minorum Archiepiſcopo Raguſino Apoſtolicae Sedis Legato, deſtructis omnibus Statutis conditis contra Eccleſiaſticam Libertatem, & nunquam renovandis, vel conſimilibus faciendis. Et
B Dominus Obizo Eſtenſis Marchio accepit in Uxorem filiam Domini Alberti de la Scala Domini Veronae, & ſecum magnam concordiam, & ligam fecit.

1290.

D. Percevallus de Mandello frater dicti Domini Ottolini Poteſtas Paduae. Eo tempore die ultimo fui regiminis fuit incendium in domibus
C Scrignariorum in Padua in hora Veſperarum, per quod fere quarta pars intra Civitatem fuit combuſta. Et Dominus Poteſtas tempore ſui Syndicatus furtive receſſit timore malorum, quae fecerat in Civitate, & propterea fuit condemnatus, & perpetuo forbannitus de Padua, quod nec ipſe, nec aliquis de ejus Domo
D unquam poſſint ad Civitatis Paduae regimen pervenire. Eodem tempore Dominus Guilielmus Novellus quondam Domini Frizerini de Monte Silice fuit extractus de bando, in quo erat pro homicidio probato.

1291.

D. Tomaſius Quirinus de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore facta
E fuerunt Extima Civitatis Paduae, & facta fuit Impoſitio in Villis Paduani Diſtrictus, & Impoſita Datia, & omnibus fuit emendatum dsmnum; & ideo fuit Civitas de melioribus aedificiis reformata. Eo tempore magna concordia fuit facta inter Commune Paduae, Vicentiae, & Dominum Patriarcham Aquilegienſem, & Commune Tergeſti ex una parte, & Com-

mune

mune Venetiarum ex altera, mediantibus Domino Bernardo Epiſcopo, & Ambaſciatoribus Paduanis. Et D. Comes Beroardus Vicentinus captus fuit & interſectus pro proditione Vicentiae.

1292.

D. Lambertutius de Freſcobaldis de Florentia Poteſtas Paduae. Eo tempore aedificatum fuit per Commune Paduae fortiſſimum Caſtrum ſuper Aticem, quod dicitur Caſtrum Baldum pro defenſione Civitatis Paduae, & Comitatus ejuſdem contra voluntatem Marchionis de Eſt, & Dominorum de la Scala. Et factum eſt Concilium Generale, in quo ordinatum fuit, quod fieri deberet Paſſagium pro acquirenda Terra Sancta; & facta fuit fraternitas, & liga inter Commune Paduae, & Dominum Bardilionem de Bonacolſis Capitaneum, & Commune Mantuae. Et praedicto 1292. Indictione V. die XXIX. Octobris Paduae in Eccleſia Sancti Martini Dominus Bernardus Abbas Monaſterii de Vangaditia inveſtivit Bonifacium Domini Peucii Syndicum, & Syndicatorio nomine Communis Paduae ad Feudum de quinque manſis terrae ſterilis poſitis ultra Atheſim ex oppoſito Caſtri Baldi, quibus correſpondet a Meridie Flumen Atheſis, a Septemtrione Palus, pro quibus dictus Syndicus promiſit dare ei annuatim unam libram caerae in die Beatae Virginis de Septembri. Et ſunt longitudinis unius milliarii, & latitudinis unius turne, & XL. perticarum. Et hoc Anno exercitus Paduanus ivit Vicentiam, quia Dominus Jordanus de Seratico frater uxoris ſupradicti Domini Bernardi cum quibuſdam ſuis ſequacibus quadam nocte armatà manu inſultavit in milites Paduanos, qui pro euſtodienda ipſa Civitate manebant, eam volens ex ipſorum manibus extirpare: quod ei ad effectum pervenire non valuit, virtute & audaciâ nobilis, & probi Pauli de Doto; quare dictus D. Jordanus captus fuit, & poſtea omnes fuerunt in Platea Communis Vicentiae decollati.

1293.

D. Paulus Quirinus de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore Dominus Obizo Eſtenſis Marchio eſt viam univerſae earnis ingreſſus. Et hoc Anno quidam Caſtellani de Vicentia forbanniti aſcenderunt Caſtrum Valdagni, volentes eum contra honorem Communis Paduae, & Vicentiae detinere. Unde exercitus Vicentinus dictum Caſtrum obſedit, & eum per vim obtinuit; & omnes, qui in dicto Caſtro manebant, ſunt capti, & Vicentiam ducti; & poſtea in ipſius Campo Martio per amiſſionem capitis ſunt in mortem damnati. Et hoc Anno completum fuit laborerium Caſtri Baldi.

1294.

D. Gerardus de Joſano de Cremona Poteſtas Paduae. Hoe Anno Domini Azo, & Franciſchinus, filii quondam Obizonis Marchionis Eſtenſis, Dominum Aldrevandinum ejus fratrem de Ferraria, & de illius bonis omnibus expulerunt. Qui quidem Dominus Aldrevandinus, videns ſe a ſuo ſanguine derelictum, cum uxore, & ſuis filiis ivit Bononiam, & ſe in ſuis manibus totaliter tradidit, qui eum minime receperunt. Qua de re ipſe Dominus Aldrevandinus videns ſe ab omnibus, quos ſibi putabat amicos, in integrum derelictum, venit Paduam, tamquam ſibi ad portum refugii & ſalutis, & ſe, & uxorem, & ſuos filios, & bona ſua omnia, quae habebat in manibus dedit Paduanorum, qui eum alacriter, & voluntariè receperunt. Propter quod

inter Paduanos, & Dominos Azonem, & Franciſchinum fratres Marchiones Eſtenſes guerra maxima orta eſt. Et exercitus Paduanus obſedit Caſtra Cerri, & Calaonis, & capta ſunt, & in totum omnibus fundamentis dirupta. Dejecta fuit in terram, & tota deſtructa etiam Rocha de Eſte: quae omnia Caſtra erant Domus Eſtenſis, & ſita in territorio Pedevendae Paduani diſtrictus. Et hoc etiam Anno firmata fuit pax & concordia & fraternitas inter Commune Paduae ex una parte, & Dominum Albertum de la Scala & Commune Veronae ex altera. Et Anno praeſenti quaelibet Fratalea Paduani Communis fecit ſuum Confalonem ſingulariter, in quo erat picta Armatura Communantiae Paduae, & cujuslibet Frataleae; & per Pontem Paduae cuilibet Gaſtaldioni Frataleae fuit conſignatum Vexillum Frataleae ad eum pertinentis; & Vexillum Communantiae fuit traditum Judici tunc temporis Antianorum; & ſic per conſequens Judicibus, & Gaſtaldionibus omnibus factum fuit tempore procedente in principio cujuslibet regiminis in Padua venientis. Et in praeſenti regimine Populus Paduanus cum omnibus ſuis amicis oſtiliter obſedit Marchiones Eſtenſes ſuper flumen Aticis, & fixit ſua tentoria ultra flumen circa Caſtrum de Veneze. Et ibi exercitu Paduano manente, Reverendus Pater Raymundus Aquilegienſis Patriarcha cum quibuſdam Religioſis de Ordine Minorum inter Commune Paduae, & ſupradictos Marchiones tractavit pacem & concordiam hoc modo. Videlicet, quia ipſi Domini Azo, & Franciſchinus Fratres Marchiones in gratiam Communis Paduae ſunt recepti, & libere dederunt Communi Paduae Abbatiam, tertiam partem Lendenariae, Luziam, Gaſtrum de Veneze, & ejus Curiam, Terras Burbuli, & generaliter omnes juriſdictiones, bona, & jura ad ipſam Abbatiam pertinentia in integrum. Ut * ipſum poſſit omnia ſupradicta taliter tractare, quemadmodum tractat Civitatem Paduae, & Diſtrictum. Et quod ipſi Marchiones Eſtenſes, & omnes venturi numquam poſſint, neque debeant in ſummitatibus montium Cerri, & Calaonis, & Rochae conſtruere aliquod aedificium; ſed ſummitates ſemper liberae in Commune Paduae permaneant. Et omnia bona, poſſeſſiones, & jura, quae ipſi Marchiones in Paduano Diſtrictu habebant, ſunt eis in totum liberaliter reſtituta. In principio autem praeſentis guerrae eodem Rectore manente, per Conſilium & Commune Paduae electi fuerunt XII. Sapientes, qui *Sapientes a Credentia* dicebantur, & in guerra iſta habebant merum & mixtum imperium, & generaliter omnem Juriſdictionem, & tantum XV. diebus in dicto Offitio manebant. Et peractis XV. diebus proponebatur ad majus Conſilium Communis Paduae, utrum praedicti Sapientes deberent XV. diebus ſequentibus in praedicto Offitio permanere, an ipſis permutatis alii de novo eligerentur; & ſi confirmabantur, eodem modo dominabantur ut prius. Si vero caſſabantur quilibet Antianus tunc temporis in Antianatus Offitio exiſtens, ſuum Sapientem a Credentia eligebat; & ipſis per Antianos taliter electis, ſingulariter approbabatur in majori Conſilio, utrum eſſent ad dictum Offitium idonei, nec ne. In hoc eodem Anno per Commune Paduae fuit ſtatutum, quod omnes Poteſtates & Rectores venturi ad Regimen Paduae tantùm per ſex menſes in ipſo Regimine debeant permanere, & habere

Li-

Libras quatuor millia pro ſuo ſalario, & quod omnes Cives Paduae deinceps ituri ad Regimen Civitatis Vicentiae, ſimiliter tantum per ſex menſes ibi regere debeant, & pro ſuo ſalario habere Libras duo millia, & omnia ſupraſcripta in praedicto Milleſimo facta ſunt, ac etiam praedicto Rectore manente.

1295.

D. Nicolaus Maurecinus de Venetiis Poteſtas Paduae a feſto Santi Petri de Junio, uſque ad feſtum Circumciſionis. Eo tempore elevata fuit Turris vetus Communis Paduae, ſed non completa, quae Turris eſt apud aliam Turrim, & domum Antianorum. Eodem Anno Dominus Azo Eſtenſis Marchio volens ſuum propoſitum adimplere, ſcilicet habere dominium totius patrimonii de Ferraria, expudit alium fratrem ſuum Dominum Franciſcum, prius tamen contracto matrimonio eum nobili Domina de progenie Regis Franciae. Qui eum Domino Alberto de la Scala, & cum Mantuanis fecit ſocietatem contra fratrem, amodo aſſerens, manifeſte velle partem Imperii ſuſtinere. Duobus ſuis fratribus ſic expulſis, multum gloriatur Dominus Azo, ſed extrema gaudii luctus occupat. Nam poſt haec Veronenſes, & Mantuani eum Domino Franciſco venerunt hoſtiliter contra Ferrariam, qui Azonem Marchionem adeo terruerunt, quod cogitavit exire Ferrariam, ſed hortatu ſuorum militum deſtitit a propoſito. Tamdem pax convenit.

1296.

D. Conradus de Montagnano de Piſtorio Poteſtas Paduae a feſto Circumciſionis Domini uſque ad feſtum Sancti Petri de Junio. Eo tempore quaelibet Fratalea Communis Paduae ſtatuit inter ſe, quod Gaſtaldiones omnium Fratalearum omni prima die Dominica cujuslibet menſis deberent in Eccleſia Palatii Communis Paduae convenire, & ibi ad honorem Dei, & Beati Proſdocimi primo Miſſam ſolemniter facere celebrari, & completâ Miſſâ, Gaſtaldiones ſolummodo in Eccleſia remanere deberent, & inter ſe propoſitionem facere generalem, quid ſupra ſtatum Civitatis ſit plenarie faciendum. Hoc Anno etiam completa fuit Turris, quae eſt prope domum Antianorum, & ſuper eam poſita quaedam campana, quae olim inventa fuit in Rocha de Heſte, quae diruebatur tempore Regiminis Domini Gerardi de Joſano Poteſtatis Paduae. Hoc Anno etiam facta fuit Turris, quae eſt ultra flumen Aticia in oppoſito Caſtribaldi.

1297.

D. Fantonus de Rubeis de Florentia Poteſtas Paduae.

1298.

D. Conradus Novellus de Montemsgno de Piſtorio Poteſtas Paduae. Eo tempore aedificatum fuit Caſtrum Pizonis de Abbatia cum Turribus ab utraque parte fluminis per Commune Paduae.

D. Brunetus de Brunaleſchis de Florentia Poteſtas Paduae.

D. Blaxius de Tholomeis de Senis Poteſtas Paduae.

D. Franciſcus de Cremonenſibus de Piſtorio Poteſtas Paduae.

D. Ungarus de Odis de Peruſio Poteſtas Paduae.

D. Bertoldus Domini Malpilei de Malpileis de Sancto Miniate Poteſtas Paduae. Eo tempore die VII. Septembris in Vigilia Nativitatis Beatae Virginis Januenſes conflixerunt Venetos in mari in contrata Scorcolae, & duxerunt captivos bene VII. millia & ultra cum multis Galeis.

D. Ga-

D. Carolus de Cancis de Piſtorio Poteſtas Paduae. Eo tempore facta fuit pax & concordia inter Januenſes & Venetos ſub arbitrio Maphaei Vicecomitis de Mediolano, & practita cautione & fidejuſſione per utramque partem. Et tunc Paduani fuerunt fidejuſſores pro Venetis.

D. Neri de Bardis de Florentia Poteſtas Paduae. Eo tempore menſe Januarii apparuit Cometes, & Dominus Bottexella de Bonacoſſis de Mantua obtinuit dominium ipſius Civitatis, expulſis patruis ejus.

1300.

D. Nicolaus de Bonſignoribus de Senis Poteſtas Paduae. Eo tempore facta fuit Curia ſolemniſſima Militum, & Popularium in Padua, & Haſtiludiis, & Choreis de menſe Februarii. Et fuit maxima lues beſtiarum bovinarum.

D. Nicola de Circulis de Florentia Poteſtas Paduae.

D. Bertolinus de Maciis de Brixia Poteſtas Paduae. Iſte vir prudentiſſimus multos ſceleratiſſimos aſſaſſinos & malefactores trucidavit, & Baligantem Clericum homicidam poſitum menſe Januarii in cabbia ferri appenſa in ſummitate Turris rubeae Communis Paduae mori fecit.

D. Brondaglus de Saxoſerrato Poteſtas Paduae. Eo tempore apparuit Cometes, & progenies de Circulis de Florentia receſſit. Et menſe Septembri Dominus Albertus de la Scala obiit, Dominus Veronae, relictis filiis ſuis Capitaneo Bartholomaeo, Alboino, & Cane Grande.

1302.

D. Beſonzonus de Appignano Poteſtas Paduae. Eo tempore Domini de la Turre intraverunt Mediolanum, expulſo Capitaneo.

D. Florinus de Pontecarali de Brixia Poteſtas Paduae.

1303.

D. Marinus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore fuit maxima ſterilitas bladi in Padua, in tantum quod oportuit Paduanos petere & accipere a Venetis frumentum in maxima quantitate.

B D. Andreas Vallareſſe de Venetiis Poteſtas Paduae.

1304.

D. Rubeus de Caſtello Poteſtas Paduae. Eo tempore menſe Martii incepit guerra inter Communia Paduae, & Venetiarum, occaſione Caſtri, & Salinarum conſtructarum per Commune Paduae in Inſula * Caltinariae.

C D. Montanus de Marinis de Civitate Januae Poteſtas Paduae. Eo tempore exiſtente guerra inter Paduanos & Venetos apud Salinas, Dominus Ottobonus Patriarcha Aquilegienſis, Marchio Eſtenſis, & illi de Camino fuerunt cum Venetis contra Paduanos.

D 1305.

D. Pax de Pacibus de Bononia Poteſtas Paduae.

D. Tarabotus de Tarabotis de Ancona Poteſtas Paduae. Eo tempore Azo Marchio de Eſt, qui expulerat fratres ſuos Dominos Aldrevandinum, & Franciſcum, poſtea perdidit Civitates Mutinae & Regii de tractatu Bononienſium & Veronenſium.

E 1306.

D. Poncinus de Pizonardis de Cremona Poteſtas Paduae. Eo tempore menſe Martii fuit inceptum laborerium levandi Palatium magnum Communis Paduae, & cooperiendi de plumbo.

D. Baxanus de Fixiraga de Laude Poteſtas Paduae. Eo tempore Domini

mini Aldrevandinus, & Franciſcus Marchiones de Eſte dederunt Juriſdictionem Lendenariae, & ſuae Guriae Communi Paduae.

1307.

D. Federicus Ponzonus de Cremona Poteſtas Paduae.

D. Ungarus de Odis de Cremona Poteſtas Paduae. Eodem Anno captus eſt Dulcinus Haereſiarcha de Novaria, & Margarita Tridentina, & alii circa CL. Mortui autem fuerunt in Montibus ex ſectatoribus frigore, fame, & gladio ultra CCCC. qui Libertatis ſpeciem praedicabant; Margarita autem ante Dulcinum in fruſta conciſa eſt conſors ejus in pertinaci errore; poſtea ipſe cum multis aliis ultimo pariter combuſti.

1308.

D. Franciſcus de Bitinio Epiſcopus Aſſiſii Poteſtas Paduae. Eo tempore obiit Dominus Azo Eſtenſis Marchio, cui ſucceſſit Dominus Freſchus ejus filius naturalis, qui dedit Ferrariam Venetis. Et die ... Menſis ..... Dominus Franciſcus Marchio de Eſt frater ſupradicti Domini Azonis, & Domini Aldrevandini, qui Dominus Aldrevandinus habuit filios tres, videlicet Raynaldum, Obizum, & Nicolaum, vendidit Rodigium Paduanis pro Libris X. millibus. Et expulſi fuerunt Veneti de Ferraria. Et die XVIII. Februarii fuit firmatum in majori Conſilio per modum arengandi per Antianiam, quod mitterentur Ambaſciatores pro Communi Paduae pro Dominis Franciſco, & Raynaldo ejus nepotibus, qui tunc erant in Rodigio, quod ſtatim venirent Paduam, & quod dicant Domino Venetico, & omni genti ſuae, & genti Domini Freſchi, quod ſtatim diſcedant de contrata Arquadae, & Fratae, & circumſtantium Locorum, & quod non dent aliquod damnum in Terris Rodigii, & ſui Comitatus, & totius Policinis, cum ſint Communis Paduae: & ſic factum fuit.

D. Pinus de Vernatiis de Cremona Poteſtas Paduae.

1309.

D. Mannus de la Branca de Gubio Poteſtas Paduae. Eo tempore Bernardus Clericus de Eſt poſitus fuit in cabbia ferri, & inceptae fuerunt ſtationes circa Palatium, & coopertae ſunt ſcalae Palatii. Eodem Anno obiit Carolus Secundus Rex Siciliae die V. Maji, relinquens hos filios Carolum primum, qui fuit Rex Ungariae, ſecundum Sanctum Ludovicum Epiſcopum Tholoſanum, tertium Robertum Regem Siciliae, quartum Philippum Principem Taranti, quintum Raymundum Berengarium, ſextum Stephanum, ſeptimum Johannem Principem Achajae, octavum Petrum, Beatricem Marchixanam Eſtenſem, & Beatricem virginem, Margaritam uxorem Caroli Sine-terra, Blancam Reginam Aragoniae.

D. Franciſcus de Cremonenſibus de Piſtorio Poteſtas Paduae. Hoc Anno Clemens Papa Quintus magnum proceſſum fecit contra Venetos, quia Ferrariam Urbem Eccleſiae indebitè occupaverunt.

1310.

D. Gentilis de Philippenſibus de Urbe veteri Poteſtas Paduae. Eo tempore in feſto Aſcenſionis Domini Hoſpitalarii ceperunt Civitatem Rhodi caput totius Inſulae.

D. Tholoneus de Cortexiis de Cremona Poteſtas Paduae. Eo tempore menſe Septembris Imperator Henricus Comes de Lucemburg intravit Lombardiam, & in ſequenti Epiphania fuit coronatus in Mediolano.

1311.

1311.

D. Albertus Domini Ugucionis de Caſtello Poteſtas Paduae. Eo tempore die Jovis XV. Aprilis Epiſcopus Genuenſis Vicarius Domini Imperatoris Henrici VII. occultè Paduanis Vicentiam occupavit, auxilio & tractatu quorumdam Vicentinorum, & Domini Cania Vicarii dicti Imperatoris in Verona, qui multos Paduanos tunc ibidem exiſtentes pro cuſtodibus captivos conduci fecit Veronam, quorum aliqui pecunia redemti fuerunt, & relaxati de menſe Junii, quo menſe Paduani obedierunt Imperatori. Et de dicta occupatione fuit inculpatus Dominus Antonius de Curterodulo, qui tunc erat ſocius Domini Jobannis Layci Militis de Viguntia Poteſtatis Vicentiae.

D. Rodulphus de Malpileis de Sancto Miniate Poteſtas Paduae. Hic ſtetit ſolum per duos menſes in Poteſtaria, quia Paduani coeperunt obedire praedicto Imperatori ſub certis pactis eligendi & recipiendi Vicarium ab eodem, & in menſe Auguſti ipſum Vicarium receperunt.

1312.

D. Gerardus de Inzola de Parma Vicarius ab Auguſto, uſque ad menſem Februarii, & Poteſtas Paduae uſque ad Calendas Julii, quia Paduani noluerunt amplius obedire Imperatori, non obſervanti Paduanis pacta per eum promiſſa.

1313.

D. Jacobus de Rubeis de Florentia Poteſtas Psduae. Eo tempore ſeditiones & conſpirationes ortae fuerunt in Padua, pro quibus fuerunt alii banniti, alii confinati, & alii occiſi. Et menſe Auguſti incepit guerra inter Commune Paduae & Dominum Canem Grandem de la Scala pro Sacro Romano Imperio Civitatem Veronae & Vicentiae Vicarium Generalem, quae pacificata fuit MCCCXIIII. die XI. Septembris Poteſtate D. Domino de Ponzonibus de Cremona.

D. Bornius de Samaritanis de Bononia Poteſtas Paduae. Eo tempore die XVI. menſis Maji Henricus Imperator Anno Regni Sui Quinto, Imperii verò Primo in Aula Palatii habitationis ſuae in Civitate Piſarum tulit ſententiam gravem contra Commune, & ſingulares Cives Paduae ſpecialiter nominatos & generaliter omnes, tamquam contra rebelles ſuos, & Imperii, privando eos omnibus dignitatibus & Privilegiis, & ipſos banniendo de toto ſuo Imperio, & condemnando eos in decem millibus Libris auri.

1314.

D. Nicolaus de Calbulo de Forlivio Poteſtas Paduae.

D. Rivus de Arimino Poteſtas Paduae. Eo tempore menſe Aprilis orta fuit quaedam diſſenſio in Civitate Paduae, in qua occiſi fuerunt Petrus Judex de Altichino cum filiis in platea Communia Paduae a telis & filo per Populum, & confiſcatis ſuis bonis, banniti fuerunt in quartam generationem.

1314. & 1315.

D. Ponzinus de Ponzonibus de Cremona Poteſtas Paduae. Hic cum exercitu Paduanorum de menſe Septembris movens ſubito de Padua, equitavit hora Veſperarum verſus Vicentiam per totam noctem, & in aurora Paduani intraverunt Burgum Sancti Petri de Vicentia, & ipſum totum depredari fecerunt. Sed eadem die poſt Nonam ſuperveniens de Verona Dominus Canis de la Scala, eos incautè manentes conflixit, & multos captivos in Vicentiam duxit,

inter

inter quos nobilem virum Dominum Jacobum de Carraria. Pax tamen cito ſubſecuta, quae paucis duravit annis.

1315.

D. Franciſcus de Calbulo de Forlivio Poteſtas Paduae.

1316.

D. Ugolinus de Liazariis de Bononia Poteſtas Paduae.

D. Merullus de Pardaninis de Aſſiſio Poteſtas Paduae.

D. Ubertus de Cancellariis de Piſtorio Poteſtas Paduae.

1317.

D. Beraldus de Cornio de Peruſio Poteſtas Paduae in Calendis Decembris, & uſque ad Calendas Januarii.

D. Opizo de Opizingis de Piſis in Calendis Junii.

D. Raynerius de Canoxa de Regio Poteſtas Paduae in Calend. Decembris. Hic ſtetit in Regimine ſolum per duos Menſes, & habito ſuo ſalario, ſponte receſſit. Eo enim tempore in feſto Sancti Thomae Apoſtoli Dominus Canis de la Scala movena ſe poſt Veſperas cum ſuo exercitu de Vicentia in Vigilia dicti feſti equitavit per noctem, & tractatu habito cum aliquibus de monte Scilice ante auroram illuc venit, & habuit liberè Terram Montis Scilicis; & deinde Caſtrum, quod eſt in ſummitate montis, infra paucos dies; & deinde per vim debellavit & obtinuit Terram Eſt; & deinde Terram Montagnanae, quam habuit ſine aliqua pugna. Et de Menſe Januarii ſequenti tranſitum fecit in Terras Plebatus Sacci, & caſtramentavit ad Pontem Sancti Nicolai, donec pax facta fuit inter partes; tractatu facto per Venetos. Tuncque Paduani confinati, & expulſi de Padua occaſione guerrae, fuerunt ad gratiam reſtituti.

1318.

D. Petrus de la Parte de Tervixio Poteſtas Paduae.

1318.

D. Johannes de Molino de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore in feſto Sancti Jacobi de Menſe Julii D. Jacobus quondam Domini Marſilii de Carraria ſine ſtrepitu & furore aliquo, per Conſilia & reformationes factas per Commune Paduae, factus fuit Capitaneus, & Dominus Generalis Civitatis Paduae.

1319.

D. Marcus Gradanico de Venetiis Poteſtas Paduae. Eo tempore 1319. die V. Menſis Auguſti Dominus Canis de la Scala cum magno exercitu ſuo caſtramentatus fuit ad Pontem Baxanelli, ubi Caſtrum unum conſtituit, & obſedit graviter Civitatem Paduae ultra annum.

D. Altinerius de Azonibus de Tervixio Poteſtas Paduae. Eo tempore in feſto Sanctorum Hermacorae & Fortunati, die XII. Julii, fuit ſconfictus Dominus Simon Philippus Capitaneus in Caſtro Baxanelli, & captus per Paduanos, qui vocabatur Poteſtas Paduanorum Extrinſecorum cum multis bonis equitibus & peditibus Domini Canis, ſuper Stratam de Pontecurvo, & hoc fuit initium caſus ipſius Domini Canis.

1320.

D. Nigrexolus de Aaſoldis de Cremona Poteſtas Paduae, & fuit Doctor Legum. Eo tempore 1320. die XVI. Auguſti debellatus & fugatus fuit Dominus Canis cum omnibus ſuis per gentes Dominorum Comitis Goritiae, & Henrici de Valſe, & Paduanos; & deſtructum fuit Caſtrum Baxanelli, & ſtetit Dominus Nigrexolus tamquam Vicarius Domini de Valſe uſque ad Calendas

Novembris, & poſtea fuit Poteſtas per ſex Menſes.

1321.

D. Gerardus de la Macla de Tervixio Poteſtas Paduae.

1322.

D. Thebaldus de Caſtronovo de Peruſio Poteſtas Paduae, & ſtetit in Regimine per annum unum.

1323.

D. Altinerius de Azonibus de Tervixio Poteſtas Paduae.

1324.

D. Raynaldus de Zineis de Caeſena Poteſtas Paduae. Eo tempore Henricus Carintiae Dux, & Comes Goritiae, & Vicarius Paduae Domini Frederici Ducis Auſtriae, & Romani Regis, venit Paduam cum potenti exercitu, & obſedit Terram Montis Scilicis multis diebus meſſis, & treugâ firmatâ eum Domino Cane, rediit in Carintiam.

D. Bernardus de Caxerio Poteſtas Paduae.

1325.

D. Pulio de Bechadellis de Bononia Poteſtas Paduae. Hic tractatu facto eum Jacomatio Socio & milite ſuo, Domino Abbate Sancte Juſtinae de Padua, Domino Johanne de Bronzola de Plebe Sancti Proſdocimi, qui ſe nominabat de Domo Campi Sancti Petri, Paulum Dentem de Lemiciis filium naturalem D. Vitaliani cum Sequacibus ſuis circa centum, induxit inſultare plateas Communis ad deſtructionem omnium illorum de Carraria, & ſuorum Amicorum: quod perficere non valuit. Nobilis Miles Dominus Nicolaus de Carraria cucurrit ad domum Nobilis Militis D. Schinellae de Dotis, & ipſe D. Schinella fecit eum aſcendere ſuper uno de ſuis Dextrariis, & poſtea cum Familia ſua, & omnibus illorum de Dotis ipſum ad plateas aſſociavit. Qui Paulus venit ad plateam Communis, ubi venditur bladum, & ex altera parte illi de Carraria cum ſuis. Paulus urgens equum ſuum, percuſſit Dominum Henrigetum de Capitevaccae, & ipſum cum lancea ſtravit in terram; deinde percuſſit Ubizonem de Papaſabis eum enſe in capite, ita quod dentes de ore perdidit; & in ipſo rumore fuit Dominus Marſilius de Carraria projectus ad terram, cecidit enim inter pedes in locum mirabiliter impeditum, ſed auxilio providi viri Benvenuti de Abano filii Magiſtri Petri, & aliorum ſuorum ſurrexit, jam a Lemizone Spurio fratre Pauli vulneratus in coxa; & tamen equum ſuum aſcendit ipſo Lemizone contradicente. Praedictus Dominus Schinella fuit in facie acriter vulneratus, taliter quod quatuor dentes amiſit. Nobilis & providus Miles Dominus Nicolaus de Carraria fuit lethaliter vulneratus; & volens recedere de plateis, ei providus & valens Jacobus ejus filius: *Si de Plateis receditis, numquam reverſus eritis. Revertamur ad plateas.* Et ſic reverſi fuerunt, & auxilio Jacobini de Peraga, & ſuorum peditum habuerunt victoriam. Unde urgente neceſſitate Paulus Lemizo, & Jacomatius cum ſuis terga dederunt, & iverunt extra Civitatem, & multos interfectos ex ambabus partibus dimiſerunt. Et haec fuit cauſa, quia Paulus inſultavit plateam, quoniam Dominus Ubertinus de Carraria, & Jacobus Tartarus de Lendenaria occiderant Guillielmum Dentem legitimum fratrem ipſius Pauli, qua de cauſa erant forbanniti, & habitabant Clugiam. Qui venientes Paduam, die ..... Septembris ipſum Poteſtatem, & Vicarium occiderunt in furore Populi; & tunc

tunc ferè libri Cancellariae Communis forbannitorum & condemnatorum, & de Communi Palatio, fuerunt dilaniati.

D. Conradinus de Buchis de Brixia Poteſtas Paduae in Calend. Octobris.

1326.

D. Bonacurſius de Rugleriis de Parma Poteſtas Paduae in Calendis Maji.

D. Thebaldus de Caſtronovo de Perufio Poteſtas Paduae in medio Novembris.

1327.

D. Paxinus de Griſis Poteſtas Paduae loco Domini Johannis patrui ſui de Griſis, qui ſolum XII. diebus ſteterat in Regimine, & ſponte receſſit; ita quod dictus D. Paxinus incepit die XII. Maji, & ſtetit uſque ad Calendas Novembris.

D. Gerardus Maurozeno de Venetiis Poteſtas Paduae in Calendis Novembris, & poſtea confirmatus incepit ſecundum Regimen in Calend. Maji, quod non finivit, quia in Menſe Auguſti fingens ſe ire ad pauſandum, per Portam Savonarolae receſſit, dimiſſis ſuis Judicibus, & aliquibus de ſociis & arneſiis ſuis, & ivit Venetias, nullâ prorſus causâ cognitâ; cui tamen reſtitutae fuerunt arnexiae, & datum ſalarium debitum, facta ſolutione creditoribus ſuis.

1328.

D. Grayf de Villandres de Alemannia Poteſtas Paduae paucis diebus Auguſti, & Septembris, quia Dominus Marſilius de Carraria nepos Domini Jacobi, ſubito de communi voluntate Populi vocatus fuit Capitaneus, & Dominus Paduae. Qui tunc poſuit Dominum Petrum de Rubeis de Parma in Poteſtatem loco D. Grayf, quem curialiter licentiavit de Padua cum omni gente ſua.

D. Petrus de Rubeis de Parma Poteſtas Paduae. Eo tempore die VIII. Septembris in majori Conſilio Paduae reformatum & factum fuit Statutum, quod Dominus Canis de la Scala Vicarius Generalis pro Imperio Veronae, & Vicentiae vocaretur, & eſſet etiam Vicarius Paduae pro Imperio, & Dominus Generalis. Qui ſtatim die Sabbati X. dicti Menſis Septembris veniens cum ſua gente cum gaudio & honore maximo receptus, circa Tertiam intravit Civitatem.

D. Bernardus de Fruariis primo in Menſe Octobris fuit Poteſtas pro Domino Cane, qui multum bene ſuum Officium exercuit, & juſtitiam omnibus communiter fecit, & nulla gravamina imponi permiſit in Civitate, vel Diſtrictu; nam hoc receperat in Mandatis a Domino ſuo Cane, quia ipſe Dominus palam dicebat, & aperte monſtrabat, quod intendebat omnino Paduam reſtituere, & facere bonam Terram toto ſuo poſſe.

D. Bernardus praedictus ſecundò in Menſe Aprilis confirmatus ſtetit uſque ad Calendas Novembris. Eo tempore Menſe Julii Dominus Canis de la Scala cum magno exercitu ivit ad obſidendum Tervixium; ſed tractatu habito cum Domino Guezeli Avogadro, & cum aliis Intrinſecis Civitatem pacificè intravit & obtinuit, & in triduo migravit ad Dominum die Sabbati X. Auguſti in Feſto Sanctae Mariae Madgalenae. Et tunc veniens ſubito in Paduam Dominus Marſilius de Carraria, congregari fecit Conſilium Civium magnum, in quo fuerunt firmati Domini Paduae, Domini Albertus, & Martinus fratres, & nepotes dicti Domini Canis, & filii olim Domini Alboyni de la Scala. Dominavit Dominus Canis in Padua Menſes XI. & ſuper tota Marchia

D. Galeottus de Madiis de Brixia Poteſtas Paduae de Menſe Novembris. Iſte non finivit ſex menſes, ſed licentiatus fuit per Dominum Albertum de Menſe Aprilis propter Proceſſum quemdam, quod facere voluit contra ſtipendiarium quemdam Theotonicum inventum ire de nocte.

1330.

D. Baylardinus de Nogarolis Poteſtas Paduae in Kalend. Maji.

D. Baylardinus praedictus Poteſtas Paduae in Calend. Novembris.

D. Baylardinus praedictus Poteſtas Paduae in Calend. Maji.

D. Baylardinus praedictus Poteſtas Paduae in Calend. Novembris.

D. Thadaeus de Ubertis de Florentia Poteſtas Paduae in Calend. Maji.

D. Petrus del Meſſa de Verona Poteſtas Paduae in Calend. Novembris. Eo tempore Legatus veniens de Curia Domini Papae, obtinuit Ariminum, Caeſenam, Furlivium, Furlimpopulum, Faventiam, & Bononiam, Ravennam, & .... Deinde volens ſubjugare Ferrariam; miſit exercitum magnum valde, & caſtramentari fecit in Burgo Sancti Georgii, erat enim Princeps exercitus Dominus Comes de Romagnach, & cum eo Dominus Sanxatus de Villa, Dominus Malateſta de Arimino, Dominus Galeotus ejus frater, & Dominus Malateſtinus ejus conſanguineus, Dominus Oſtaxius de Polenta, Dominus Franciſcus de Ordelaffis.

D. Petrus praedictus del Meſſa Poteſtas Paduae. Eo tempore de Menſe Aprilis die Lunae in Feſto Reſurrectionis fuit debellatus exercitus Domini Legati, qui erat in Burgo Ferrariae. Miſerant enim Domini Raynaldus, & Obizo Marchiones fratres nuntios ſuos ad Commune Florentiae, qui miſerunt Dominum Pinellam probum militem cum multitudine equitum. Mantuani miſerunt Dominum Boratium Comitem de Gangalandi. Dominus Azo Vicecomes de Mediolano miſit Dominum..... qui praeerat genti ſuae. Dominus Maſtinus de la Scala miſit Dominum Bonetum de Belaviña militem ſuum; & ſic omnes intraverunt Ferrariam. Et in die Lunae ſupradicti feſti aciebus eorum inſtructis, & ordinatis, videlicet in prima Florentini cum Vexillo ſuo, in ſecunda Dominus Bonetus, in tertia Mediolanenſes, & Mantuani, & ſic inchoatum eſt proelium, & mortuus fuit D. Sanxatus de Villa ab uno enſe, & vulneratus in brachio dextro. Dominus Comes fuit captus, & Domini Malateſta, Galeotus, Malateſtinus, Oſtaxius de Polenta, & Franciſcus de Ordelaphis, & alii quamplures; & magna praeda, & ſpolia habuerunt Ferrarienſes; erat enim tunc in cuſtodia Legati nobilis vir Dominus Nicolaus Marchio frater praedictorum Raynaldi, & Obizonis, qui relaxatus fuit pro ipſo Domino Comite de Romagnach.

D. Petrus praedictus Poteſtas Paduae in Calend. Novembris.

D. Petrus praedictus Poteſtas Paduae in Calend. Maji.

D. Federicus de Ubertis de Florentia Poteſtas Paduae in Calend. Novembris.

D. Baylardinus ſupradictus Poteſtas Paduae in Calendis Maji, & confirmatus eodem Milleſimo in Calend. Novembris.

1336.

D. Federicus ab Equis de Verona Poteſtas Paduae in Calend. Maji, & confirmatus eodem Milleſimo in Calend. Novembris, in cujus primo regimine incepit guerra inter Commune Venetiarum, & Dominos Alber-

bertum, & Maſtinum fratres de la Scala, tunc Dominos Veronae, Vicentiae, & Paduae, Tervixii . . . . . Feltri, & Cividalis Belluni, Parmae, & Brixiae, & Lucae, & Diſtrictuum harum Civitatum, occaſione Caſtri Salinarum poſiti olim in Inſula * Calcinariae, quod reficere inceperunt praedicti Domini contra voluntatem Venetorum, quae demum pacificata fuit per tractatus habitos plures inter partes.

D. Guido Ruccius de Regio Poteſtas Paduae in ſecundo ſuo regimine. Die 3. Auguſti Dominus Marſilius de Carraria accepit Civitatem Paduae de manibus illorum de la Scala cum gente Venetiarum, & Florentinorum, exiſtente Capitaneo Domino Petro de Rubeis de Parma. Et captus fuit Dominus Albertus de la Scala per Dominos de Carraria, & poſitus in cuſtodia Commnnis Venetiarum, ubi ſtetit per annum, & dimidium, & relaxatus fuit tempore Pacis. Sed in eodem Menſe Auguſti nobilis Miles Dominus Petrus de Rubeis cum gente ſua equitavit ad Caſtrum Montiſfilicis, & ipſum obſedit; & quadam die incepta fuit Scaramucia, in qua Parmenſes aliquantulum fuerunt ſuperati. Audiens hoc praedictus Dominus Petrus bene munitus aſcendit ſuper equum, & ivit verſus Caſtrum, & quando fuit juxta reſoſſum Caſtri, deſcendit de equo, & evsginato gladio coepit aſcendere ſuper reſoſſum; & ſic aſcendendo, & tenendo unum pedem altum, & alterum verò baſſum, percuſſus fuit ex pluribus lanceis; una earum dirupit loricam ejus, & ipſum lethsliter vulneravit, & ſic alio die migravit ad Dominum. Et deinde Dominus Ubertinus tenuit obſidium Caſtro, donec ipſum habuit excepta Rocha, quam tenuit Dominus Florinus; ſed tempore proceden-

A

B

C

D

E

te reddita fuit Rocha, & Dominus Florinus fuit ſuſpenſus per gulam ad furcas, eoquia volebat fraudolenter detinere ipſam Rocham. Dominaverunt ergo Domini Albertus, & Maſtinus fratres in Marchia Tervixina ſuper omnibus Civitatibus Annos VII. Menſes XI. & diebus XXIII.

D. Marcus Cornerius de Venetiis Poteſtas Paduae in Calend. Septembris, & ſtetit ſex Menſes.

1338.

D. Marinus Faletro de Venetiis Poteſtas Paduae in Calend. Martii, & ſtetit unum Annum. Eodem Anno obiit nobilis Miles Dominus Marſilius de Carraria Dominus Paduae die XI. Menſis Martii. Dominavit enim Dominus Marſilius menſes VII. diebus VIII. Et tunc cepit dominium Dominus Ubertinus de Carraria.

D. Zaninus Cantareno de Venetiis Poteſtas Paduae ſtetit ſex menſes, & incepit in Calend. Martii.

D. Petrus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduae in Calend. Septembris.

D. Johannes Sanù de Venetiis Poteſtas Paduae in Calend. Martii.

D. Petrus Zeno de Venetiis Poteſtas Paduae incepit Regimen in Calend. Septembris.

D. Petrus Zeno praedictus Poteſtas Paduae incepit ſecundum ſuum Regimen in Calend. Martii.

D. Petrus Zeno de Venetiis praedictus Poteſtas Paduae incepit Regimen ſuum tertium in Calend. Septembris.

D. Johannes Gradanico de Venetiis Poteſtas Paduae in Calend. Martii.

D. Johannes praedictus incepit ſecundum ſuum regimen in Calend. Septembris.

D. Johannes Gradanico praedictus incepit tertium regimen in Calend. Martii.

1344.

D. Petrus Zeno de Venetiis Poteſtas Paduae in Calend. Septembris confirmatus in Calend. Martii in regimine, uſque ad Calend. Octobris 1344. Verumtamen ipſe perſonaliter non ſtetit in Padua, quia per ſuum Commune fuit factus Capitaneus, & miſſus contra Turchos cum X. Galeis. Sed Dominus Lomo de Gandolfis de Arimino ejus vices gerens in omnibus pro eo Regimine fecit, & bene ſe geſſit, qui poſtmodum fuit interfectus. Et Venerabilis Patriarcha Conſtantinopolitanus pro Eccleſia Romana, & multi Chriſtiani in proelio Mireneo a multa multitudine Turchorum in ipſo proelio ceciderunt.

1345.

D. Bernardus Juſtinianus de Venetiis Poteſtas Paduae in Calend. Octobris demum confirmatus in Kalend. Aprilis 1345. Dominus Ubertinus de Carraria Dominus Paduae, ſentiens ſe in extremis laborare, conſtitui fecit loco ſui per Conſilium majus Civium Paduanorum D. Marſilietum Papafava Capitaneum, & Dominum Civitatis Paduae die XXVII. Martii, & die XXIX. ejuſdem Menſis ipſe D. Ubertinus deceſſit. Die autem Veneris VI. Menſis Maii Jacobus de Carraria habito tractatu cum aliquibus familiaribus dicti Domini Marſilieti, eum in camera noctis tempore interfecit; & die ſequenti congregato Conſilio Civitatis Paduae, ipſe Jacobus eligitur Capitaneus, & Dominus Paduae. Dominavit ergo Dominus Ubertinus poſt D. Marſilium Grandem Annis VII. diebus XVII. & Dominus Marſilietus Papafava diebus XLI. Eodem Anno Henricus, Nicolaus, & Franciſcus fratres de Lucio tractatum habuerunt cum quibuſdam Civibus Paduanis contra Dominum Jacobum de Carraria inſurgere, & ſe Dominos Paduae facere; quare capti fuerunt dicti Henricus, & Franciſcus cum multis aliis; Nicolaus autem aufugit. Et in die Sancti Nicolai de Menſe Decembris fuerunt decapitati ſuper Palatio Communis Paduae verſus Plateam Bladi praedicti Henricus, & Franciſcus; multi vero alii eorum ſequaces fuerunt diverſimode interfecti.

D. Guido de Cardinalibus de Penſauro * Juriſpetitus, gerens vices Poteſtatis pro dicto Domino Jacobo de Carraria exercuit Offitium & Regimen Cancellariae a Calendis Octobris dicti 1345. uſque ad Calendas Martii ſequentis 1346.

D. Johannes Dandulo de Venetiis Poteſtas Paduae in Calendis Martii, & demum confirmatus in Calend. Septembris uſque ad Calend. ſequentis Menſis Martii ſub 1347. Eodem Anno fuit Fames valida. Et 1347. Ludovicus Ungarorum Rex tranſiens per Cittadellam, Vicentiam, & Veronam, inde ivit Furlivium, & Riminum, & viriliter incepit invadere totam Apuliam, & Regnum cepiſſet, niſi maxima Mortalitas, prout inferius continetur, fuiſſet.

D. Petrus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduae in Calend. Martii. Eodem Anno die Veneris XXV. Menſis Januarii, in quo eſt feſtum Converſionis Sancti Pauli, circa Veſperas fuit Terraemotus magnus per totum Orbem, cunctis videntibus, & trementibus. Et die Jovis VII. Februarii veniendo ad diem Veneris circa horam primi ſomni, ſive Galli cantus, fuit Terraemotus magnus valde, & in illa die fuerunt tria Terraemota, & diebus praedictorum Terraemotuum fuit alius Terraemotus, in quo Anno mirabilia apparuerunt in aëre, terra, & mari

tam

tam in partibus Chriſtianorum, quam & aliarum Nationum non credentium Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum Crucifixum.

D. Petrus Badoarius praedictus Poteſtas Paduae. IX. Menſis Septembris fuit Terraemotus magnus in Paduano Diſtrictu. Ludovicus Rex reverſus eſt in Apuliam, & ex inimicis facta magnà vindictà tranſiens per Veronam, & Vicentiam, & Cittadellam, ivit in partibus ſuis.

D. Zanninus Contarenus de Venetiis Poteſtas Paduae in Calend. Menſis Septembris de 1349. uſque ad Calend. Martii de 1350.

1350.

D. Maphaeus Contarenus de Venetiis Poteſtas Paduae in Calend. Menſis Martii de 1350. uſque in Calend. Menſis Septembris dicti Milleſimi. Eodem Anno Dominus Guido de Bononia ſuper Mare Alemanniae, ſive Flandriae Presbiter Cardinalis Sanctae Ceciliae, Apoſtolicae Sedis Legatus, fuit in Padua, Venetiis, & Tervixio, & inde tranſiens, ivit in Ungariam, & reverſus Paduam de Menſe Madii, Corpus Beati Antonii Confeſſoris de Ordine Minorum de loco, in quo erat, amovit, & in eo loco, in quo ad praeſens eſt cum Archa ſua, honorabiliter recondidit. Inde ad Curiam Domini Papae ad Avinionem ivit.

D. Marinus Faletro de Venetiis Poteſtas Paduae de Menſe Septembris in Calendis de 1350. pro duobus Regiminibus uſque ad Calendas Septembris de 1351. Eodem Anno ſcilicet 1350. die Dominico XIX. Menſis Decembris, Nobilis & egregius Dominus Dominus Jacobus de Carraria quondam Nobilis Militis Domini Nicolai de Carraria poſt prandium ſtando in camera ſua, quae vocatur Camera Neronis, ad ignem, & tenendo manum ad caminum, & calefaciendo pedem unum, a crudeliſſimo & nequiſſimo cane Guilielmo naturali, & ſpurio filio Domini Jacobi magni de Carraria fuit cum uno cultello percuſſus, & mortuus.

D. Zaninus Foſchari de Venetiis Poteſtas Paduae in Calendis Septembris. Eodem Anno migravit Dominus Maſtinus de la Scala, & reliquit filios ſuos Dominum Canem Grandem, Canem Signorem, & Paulum Alboinum, ex Domina Thaddaea olim filia Domini Jacobi Magni de Carraria, legitimos, & Frignanum Militem naturalem.

D. Zaninus praedictus Poteſtas Paduae in Calend. Martii pro duobus Regiminibus uſque ad Calendas Martii de 1353. Eodem Milleſimo videlicet 1352. de Menſe Martii migravit Dominus Obizo Marchio de Eſte in Ferraria.

D. Omnebonum de Judicibus de Mantua V. Poteſtas in Calend. Martii de 1352. uſque in Calend. Menſis Septembris dicti Milleſimi.

D. Petrus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduae in Calend. Septembris dicti Milleſimi uſque in Calend. Martii de 1354. Facta fuit magna Liga Venetorum, Dominorum Paduae, D. Canis Grandis de la Scala, D. Aldrevandini Marchionis Eſtenſis Domini Ferriarae, & Mutinae, & datum, & reſtitutum fuit D. Cani Caſtrum de Brendolis, quod tenebatur per Dominos Paduae; & Caſtrum Vigizoli, quod tenebatur per dictum Marchionem, reſtitutum fuit Dominis Paduae.

D. Maphaeus Contarenus de Venetiis Poteſtas Paduae pro uno Regimine.

D. Mar-

D. Marcus Contareno Cornario Poteſtas Paduae pro duobus Regiminibus.

D. Marinus Mauroceno Poteſtas Paduae pro quinque Menſibus.

D. Johannes de Manfredis de Regio Poteſtas Paduae pro VIIII. Regiminibus.

D. Johannes de Salgardis V. Poteſtas pro novem menſibus.

1362.

D. Guelfus de Girardinis de Florentia Poteſtas Paduae pro tribus Regiminibus.

D. Johannes Salgardus de Feltro Vice-Poteſtas Paduae pro III. Menſibus.

D. Simon de Lupis Poteſtas Paduae pro VII. Regiminibus.

D. Anxediſius de Lojano Poteſtas Paduae pro duobus Regiminibus.

D. Scolaro de Gavalcantibus de Florentia Poteſtas Paduae pro tribus Regiminibus.

D. Federicus de Lavalonga de Brixia Poteſtas Paduae pro IV. Regiminibus.

D. Corteſius de Lambertinis Vice-Poteſtas Paduae de Menſe Septembris uſque ad V. Novembris.

D. Jacobus de Rangonibus de Mutina Poteſtas Paduae pro III. Regiminibus.

D. Rizardus Comes de Sancto Bonifacio Poteſtas Paduae pro IV. Regiminibus.

D. Rubertus de Eſculo Poteſtas Paduae pro duobus Regiminibus, inceptis VI. Maii.

1384.

D. Marinus Memo de Venetiis Poteſtas Paduae pro III. Regiminibus. Incepit VI. Maii.

D. Simon Lupus, & D. Valeranus Vice-Poteſtates Paduae pro uno Regimine. Inceperunt VI. Novembris. Qui Dominus Simon obiit in ſuo Regimine.

D. Andreas de Bitonio Poteſtas Paduae pro II. Regiminibus. Incepit XIV. Maii.

D. Ugolinus de Presbyteris de Bononia Poteſtas Paduae pro duobus Regiminibus. Incepit XIV. Maii.

1387.

D. Jacobus de Azonibus de Tervixio Poteſtas Paduae. Incepit XV. Maii.

D. Jacobus de Azonibus de Tervixio Poteſtas Paduae pro duobus Regiminibus. Hoc Anno Dominus Antonius de la Scala, qui dominabatur Veronae, & Vicentiae, perdidit Statum ſuum XVIII. Octobris.

1388.

D. Ugolinus de Presbyteris de Bononia Poteſtas Paduae pro uno Regimine. Hoc Anno Dominus Franciſcus de Carraria, qui dominabatur Paduae, Tervixii, Feltrae, & Civitati Belluni, perdidit Statum ſuum XXV. die Novembris.

D. Ubertus de Vicecomitibus de Mediolano Poteſtas Paduae pro uno Regimine, & XXV. diebus. Incepit XXIV. Decembris.

D. Guilielmus de Soardis de Pergamo Poteſtas Paduae pro uno Regimine, & menſibus quinque. Incepit Menſe Julii die XX. de 1389., & finivit XIX. Junii de 1390. Hoc Anno & ſupradicta die XIX. Junii Dominus Franciſcus Junior de Carraria viriliter recuperavit Paduam cum toto Paduano Diſtrictu, excepto Baſſiano.

1390., & 91.

D. Rizardus de Sancto Bonifacio Poteſtas Paduae pro tribus Regiminibus. Incepit X. Auguſti.

D. Jacobus Gradonico de Venetiis Poteſtas Paduae pro III. Regiminibus. Incepit VI. Aprilis.

D. Ma-

D. Mapheus Memo de Venetiis Poteſtas Paduae pro III. Regiminibus. Incepit ultimo Novembris.

D. Petrus Piſano de Venetiis Poteſtas Paduae pro VIII. Regiminibus. Incepit XVIII. Maii.

1399.

Poteſtate Domino Jacobo Gradenigo de Venetiis, in partibus Hiberniae, ubi dicebatur Beatam Mariam apparuiſſe cuidam Ruſtico aranti, & recepiſſe ſic fieri debere ad evitandum Peſtilentias & Guerras, quae tunc plurimum imminebant, incepit quaedam Devotio, quod homines & mulieres induebantur pannis lineis albis & longis uſque in terram, ac incedebant terni & terni capitibus & faciebus cum faciolis honeſtiſſimè coopertis. Mulieres verò ut cognoſcerentur a maſculis, portabant ſuper capite unam Crucem de panno rubeo. Regula vero eorum talis erat. Primo quod quilibet deberet devotè integrè confiteri; & ſi alicui offendiſſet, debebat ei petere veniam; & ſi ab aliquo fuiſſet offenſus, debebat ei parcere; & reſtituere male ablatum, ſi poſſet, & ſi non poſſet, habere ſaltem bonam voluntatem. Et per novem dies ibant taliter induti inſimul per Civitates, Caſtra, & Villas, intrando Eccleſias ad minus tres in die, cantando alta voce Devotiones devotiſſimas in honorem Crucifixi, & Beatae Mariae. Et quando attingebant ad aliquam Eccleſiam, vel ad aliquam viam, omnes ſe projiciebant in terra, & alta voce clamabant, *Miſericordia*, *Miſericordia*, *Miſericordia*. Similiter quando Corpus Domini per Presbyterum elevabatur, clamabant ter *Miſericordia*. Ac etiam ſupradictis novem diebus faciebant vitam Quadrageſimalem, & non debebant dormire in lecto, nec expoliare die ac nocte ſupradictum habitum. Multi etiam ibant pedibus excalceatis. Expletis autem novem diebus, mittebant Ambaxiatores aliquos ex eis ſic indutos ad Civitates eis proximiores, rogando ex parte Beatae Virginis, & Societatis Albae, quod vellent facere ſupradictam Devotionem; & numquam auditum fuit, quod in aliquo loco habuerint repulſam. Immo ubique benigne recipiebantur, & rogabantur, quod ibi permanerent ad eos docendum Regulam & modum ſervandum: excepto in Venetiis, ubi turpiter fuerunt licentiati. Supradicta autem Devotio de Hibernia venit ad Angliam, deinde in Franciam, poſtea in Pedemontium, deinde Januam, & in Lombardiam, in Tuſciam, Romam, Ducatum Apuliae, Marchiam Anconitanam, in Romandiolam, Bononiam, Ferrariam. Et in omnibus ſupradictis locis factae fuerunt infinitae Paces & Concordiae, & praecipuè inter Guelfos & Gibellinos, & inter multos alios mortales inimicos, qui ſibi ad invicem occiderunt patres, fratres, & filios, ac etiam alios propinquos; ex quo omnes clara voce dicebant illud proceſſiſſe ex divina voluntate. Die autem XXIV. Septembris ſupradicti Milleſimi Oratores dictae Albae Societatis venientes de Ferraria, cum Dei auxilio Paduam applicuerunt; quibus obviam uſque ad Baxanellum extra Portam Sanctae Crucis iverunt totus Clerus, & quaſi totus Populus Paduanus, & cum maxima devotione introducti fuerunt, ipſis cantantibus unam Orationem, quae incipit: *Stabat Mater doloroſa &c.* Die verò ſequenti, & ſucceſſivè omnibus diebus praedicabant, aut ſuper Platea Domini, aut ſuper Palatio Communis Paduae, ubi

ubi redditur jus, Inſtruendo Populum de ſupradicta Regula, & de multis Miraculis, quae quotidie apparebant in multis locis Italiae, dum ſupradictae Proceſſiones fierent. Nam verè multa miracula etiam in Padua tunc temporis apparuerunt, quae ſcribere nimis longum eſſet. Interim autem ita placuit Civibus Paduanis dicta Societas Alba, quod in paucis diebus intraverunt eam omnes Militea, omnes Nobiles, omnes Mercatores, & quaſi totus Populus Paduanus, & quaſi omnes Dominae, ac etiam Epiſcopus cum Clero Paduano cum maxima devotione. Et die penultima Septembris incepta fuit fieri Proceſſio per Civitatem, & extra. Homines vero ibant ſeparati a Mulieribus cum tanto ordine ac humilitate, quod per illos novem dies non fuit auditum, quod facta fuerit una inhoneſtitas, nec una rixa. Et multi pueri aetatis anni unius, & ab inde infra, ad ipſas Proceſſiones portabantur induti de Albo, quorum nullus umquam auditus fuit plorare, donec Proceſſiones fiebant. Et durabant ipſae Proceſſiones communiter ab Aurora diei uſque ad duas horas poſt Nonam. Intravit etiam hanc Regulam Magnificus Dominus Franciſcus de Garraria cum ejus filiis & uxore, qui tunc dominabatur Paduae & Paduano Diſtrictui. In ſumma tot intraverunt, quod numerati fuerunt viginti tria millia & ſex centum. Finitis novem diebus, unus Magiſter in ſacra Pagina praedicavit ſuper Prato Vallis, ubi mirabile videbatur videre tot de Albo uno eodem habitu indutos. Effectus Praedicationis fuit hortari homines & Dominas de devotione, quam fecerant, & rogare eos, quod pro tempore futuro vel-

A lent a peccatis abſtinere. Similis devotio poſtea facta fuit per Caſtra omnia, & per omnes Villas Paduani Diſtrictus, & in tantum placuit omnibus iſta devotio, & talis habitus, quod in Padua factae fuerunt ſex Frataleae de dicto habitu, quarum quaelibet unâ Dominicâ ibat per Paduam intrando omnes Eccleſias; &
B aliâ Dominicâ alia Fratalea, & ſic ſucceſſivè. Multi fuerunt, qui dum viderunt ſe in caſu mortis, ordinabant dum mortui forent, ſe portari indutos de Albo, & ab de Albo indutis; quod quidem erat maxima compaſſio ad videndum. Et multi etiam fuerunt, qui ipſum Habitum portaverunt ultra menſem unum, in-
C trando quotidie Eccleſias in Padua, & in Paduano Diſtrictu; & praecipuè ad Sanctam Mariam de Lugo omnes illo anno cum maxima devotione ibant.

MCCCLXXV.

Terrae infraſcriptae erant ſubditae Romanae Eccleſiae; omnes infra unum menſem voce populi ſpontanea
D rebellaverunt dictae Eccleſiae: quod omnibus mirabile viſum fuit. Primo Viterbum, Toſchanella, Amelia, Urbſvetus, Bagnum Regium, Cornetum, Orti, Monteflaſcho, Aquapendente, Radicoſani, Civitas Caſtellae, Eugubium, Nuceria, Gualdum, Cagli, Orbinum, Caſtrumdurans, Sanctum Angelum in Vado, Marchatel-
E lum, & omnes aliae Terrae de Maſſa Trebara, Fabrianum, Saxumferratum, Narni, Perufium cum toto Comitatu, Cluxium, Caſtrum Plebis, Rontana, Calamelium, Mudiliana, Fornazanum, Forlivium, Meldula, Brexegella, Caſtiglionum, tota Provincia Galiadae cum multis Caſtris, Cexena, Bononia, Firmum.

FINIS.

INSTRUMENTUM PACIS

A FRATRE JOHANNE VICENTINO

ORD. PRAED.

INITAE IN AGRO VERONENSI

INTER

GUELFOS ET GUIBELLINOS

CORAM POPULIS COMPLURIUM CIVITATUM,

ANNO CH. MCCXXXIII.

INSTRUMENTUM PACIS
INTER
GUELFOS, ET GUIBELLINOS.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti a Nativitate ejuſdem Milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio, Indictione Sexta: Domino Friderico Imperatore regnante, die Lunae quarto Kalendas Septembris: in Campanea Veronae verſus Mantuam, juxta fluvium Ateſis longe a civitate Veronae per tria miliaria vel circa: Ubi namque aderant civitates Veronae, Mantuae, Brixiae, Paduae, & Vincentiae cum Carociis, & Tarviſiani, Veneti, Bononienſes, Ferrarienſes, & de diverſis partibus in maxima quantitate gentium cum Inſigniis & Vexillis, praeſentibus teſtibus Dominis Jacobo Veronenſi, Fratre Gualla Brixienſi, Guidotto Mantuano, Henrico Bononienſe, Guillielmo Murinenſe, Nicolao Regienſe, Tiſio Tarviſino, Manfredo Vincentino, & Nicolao Padoano, Epiſcopis: Tancredo Bononienſe Archidiacono, Fratre Bartholomeo Priore Fratrum Praedicatorum de Verona, Fratre Jacobo de Bononia, Fratre Guidone de Parma, Fratre Suſinello de Padua ejuſdem Ordinis: Dominis Uberto Vicecomite Bononienſe, Petro Aluſerii Tarviſino, Arditione Advocato Paduano, Henrico Becaldi de Rivolis Vincentino, Jacobo de Terzago Brixienſe, & Joanne Bochax Ferrarienſe, Poteſtatibus: Domino Jordino Sancti Benedicti de Padua, & Girardo de Gananſis de Padua. Cum quaeſtio & diſcordia verteretur de multis, & guerra fuiſſet hactenus a multis retro temporibus inter Dominum Rizardum Comitem de Sancto Bonifatio, & partem ejus ex una parte, & quatuor viginti, & Monticulos ex parte altera, & cum utraque Pars compromiſiſſet in me Fratrem Joannem Vincentinum de Ordine Fratrum Praedicatorum tamquam in Arbitrum, Arbitratorem, & amicabilem Compoſitorem, & meis mandatis in omnibus ſtare juraſſent, Compromiſſo, ſeu promiſſione vallata ſub poena mille Marcharum auri pro Parte & pro quolibet Principe, & ſub poena mille Marcharum argenti pro quolibet Milite, ſicut apparet Inſtromento facto per Girardum de Tramonte, Notarium Paduanum: Ego Frater Joannes Vincentinus de Ordine Fratrum Praedicatorum, primo Divina

vina Gratia invocata ex parte Redemptoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, & auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domini Gregorii Papae excommunico, maledico, & anathematizo & trado Diabolo Sathanae omnes contradictores & violatores Pacis, quam ſuper praedictis, & inter praedictos promulgavero & pronuntiavero. Et ſequenter pronuntio & promulgo, arbitror, & ſentio ſicut Arbiter, Arbitrator, & amicabilis Compoſitor plenariam remiſſionem de omnibus damnis datis, injuriis & contumeliis, tam in perſonis, quam in rebus & juribus, ut ita loquar ab una parte in aliam, & e converſo, ab una perſona vel pluribus in * unum perſonam alterius partis, vel plures, vel in * unam jus alterius partis, vel plura: & de his omnibus & conſimilibus pronuntio, arbitror, & ſtatuo firmam pacem inter omnes fieri, eſſe, & in perpetuum inviolabiliter obſervari, & ut ipſi per ſuos ita faciant obſervari & conſervari, nec aliquo modo, vel ingenio, ſeu fraude facient, vel procurent, aut ſuo poſſe permittant ut alia pars offendatur, vel aliquis alterius partis, vel favore ipſius partis in rebus ſive perſonis, vel alio quovis modo occaſione praedictae Guerrae: Item volo & mando, ut Comes cum ſua parte, tam de Civitate, quam de Villis ad ſua loca revertantur libere ac ſecure, de quibus propter guerram exiverunt, ſive de Civitate ſive de diſtrictu: Item praecipio ſub poena Sacramenti, quod illi qui ſteterunt in Civitate & in Villis nullam injuriam inferant illis, qui revertentur, ſed tamquam fratres eos benigne ac pacifice recipiant, atque tractent: Item praecipio per aſperſionem Sanguinis Domini mei Jeſu Chriſti ſub atteſtatione Divini Judicii, & ſub ejus maledictione atque mea, utramque Partem, & ſingulos de ipſa, & in remiſſionem omnium peccatorum injungo, ut omnem injuriam ſibi ad invicem factam verbo vel facto, de puro corde remittant, omne odium & omnem rancorem de ſuis cordibus expellentes: Quae quidem partes incontinenti ſibi invicem remiſerunt omnia ſupradicta, ut dictum eſt, ſtipulatione praemiſſa: Item decerno, volo, & diſtricte praecipiendo mando, ut quicumque de Parte alterutra in Civitate vel extra occaſione hujus guerrae poſſeſſionem ſuam vel quaſi dimiſit: Item ſi rem quamcumque mobilem, vel ſe moventem ad ipſum abſque difficultate & contradictione alicujus revertantur, & ipſam rem habeant cum effectu: Ita tamen quod nulli ex hoc in petitorio, vel poſſeſſorio praejuditium generetur, non obſtante occupatione, adjudicatione, ſive deſignatione per quamcumque Perſonam privatam, ſeu publicam, ſive per Commune tempore guerrae factam, ſalvis omnibus actionibus & juribus utrique Parti nunc competentibus in omnibus poſſeſſionibus aliis vendicandis, ſive procernendis, quas aliquo tempore perdiderunt: De damnis vero ab utraque parte factis & datis poſt Treguam meam ſub debito juramenti diſtricte praecipiendo praecipio ut reſtituatur hinc inde, tamen ab alterutra partium nulla propter hoc fumatur vindicta, ſed pro reſtitutione obtinenda recurratur ad illos, quos ſuper hoc duxero deputandos: De damnis tempore guerrarum datis nihil definio ad praeſens, ſed meae poteſtati & arbitrio reſervo: Item dico & praecipio de debitis pecuniariis ex cauſa mutui

tui vel quaſi mutui factis non fiat jus, vel reddatur, niſi prout ego meo conſilio diſpoſuero plus vel minus ſecundum meam voluntatem: Item volo & jubeo, quod omnea condemnationes non exactae vel ſolutae, & banna uſque ad tempus treguae meae, quocumque tempore, ante etiam a centum annis facta, irrita penitus ſint & caſſa, & ipſa infringo & caſſo; & praecipio quod omnes banniti de libro bannitorum extrahantur, qui poſiti ſunt ante tempus treguae praedictae: De damnis autem datis Epiſcopatui Veronenſi & aliis Eccleſiis ab utraque parte, meo arbitrio reſervo: Item laudo & praecipio, quod omnes Daiae, Collectae, atque Taleae hactenus impoſitae, quae exactae non ſunt, caſſae ſint, & hactenus non exigantur ſine mea licentia ſpeciali, vel ejus cui delaxavero: Item colligationes & conjurationes huic Paci contrarias ab utraque parte factas & faciendas caſſo penitus & damno, pronuntians illos, qui ſe talibus Sacramentis aſtrinxerunt aliquatenus, non teneri, & pronuntio ut ad invicem ſe abſolvant: Et haec omnia laudo pronuntio atque praecipio in perpetuum in ſingulis capitulis obſervari ſub poena & in poena mille Marcharum auri & ſub maledictione Domini mei Jeſu Chriſti, atque meâ factâ contra violatores pacis & contradictores mandatorum meorum. Ut autem Pax iſta Deo auctore promota ipſo adjuvante remaneat inconcuſſa, pro ipſa fulcienda poenas duxi contra violatores, & perturbatores ipſi merito apponendas: Ex parte igitur Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Apoſtolorum Petri & Pauli maledico, excommunico, anathematizo illam partem, vel illos, ſive illum de alterutra partium, qui hanc pacem non ſuſceperint, & mandata mea, & pro ea factis non paruerint, vel non ſervaverint, vel dictam pacem violaverint, aut turbaverint, ſeu quovis modo contravenerint, partem aliquam, vel aliquem de ipſa in rebus vel perſonis per dolum vel violentiam graviter offendendo: cui ſententiae volo ſubjacere omnes, qui violatoribus & turbatoribus hujus pacis dederint in hoc auxilium, conſilium, vel favorem, in qua ſententia volo etiam comprehendi circumvicinarum Poteſtates, & Conſilia Civitatum..... vel in unam alterius partis vel plures..... ſed ſit res in eo ſtatu, quo erat ante per octo dies, quod occaſione praedicta eam taliter dimiſiſſet.

Ego Bonifatius Regalis Aulae Notarius qu. Aſpectati filius Mutinenſis Civis, & nunc Notarius dicti Fratris, praedictis omnibus interfui una cum Griardo de Tramonte Paduano, & Jacobino Gratioli de Bononia Notariis, & juſſu praedicti Fratris ejuſdem tenoris cum eidem plura Inſtrumenta ſcripſi, & ſuperius correxi, & emendavi, vel in unam ac etiam, & alibi, ſed ſic res eſt.

Ego Bonriprandus de Spitiariis Notarius D. Regis Federici auctentieum hujus exempli vidi, & legi, & ut in eo continebatur, ita in hoc legitur exemplo, nihil per me juncto, nec diminuto praeter litteras vel ſillabas, ſeu ſigna, pro quo ſenſum vel ſententiam mutet in aliquo, rogatus ſcripſi.

FINIS.

DE CHRISTIANORUM VENERATIONE ERGA SANCTOS POST DECLINATIONEM ROMANI IMPERII.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMAOCTAVA.

DISSERTATIO

QUINQUAGESIMAOCTAVA.

NOn eſt hujus loci oſtendere, quanta antiquitate, & quam ſolidis rationibus, & auctoritate ac Traditione Sanctorum Patrum, nitatur Chriſtianus cultus erga Beatorum animas, quas nempe ſingularis virtus & morum ſanctitas ſervata in terris, ad aeternam felicitatem, beatamque Immortalitatem, in Coelis paratam, evexit. Ad Theologos hocce argumentum pertinet. Innumeri vero e Catholicis heic ſeſe jamdiu exercuerunt; & apud nos exploratum eſt, nihil repugnare ſummo illi cultui & honori, quem ſupremo Rerum Domino Deo quaecumque creatura ratione praedita debet, venerationem quoque impendere Sanctis; neque enim illos putamus Deos, neque ut Deos, ſed ut Dei Servos colimus; neque ab iis veluti rerum in Coelo arbitris beneficia poſcimus aut ſperamus; ſed quidem ad eos ſi lubet, confugimus, ut ab unico bonorum omnium largitore Deo per merita Chriſti ejus filii nobis impetrent, quod nos tam facile ex noſtris precibus ſperare nequaquam auderemus. Itaque hoc unum ego perſequar, videlicet edifſeram, quei ſe gererent Italici Populi in Sanctorum veneratione rudibus iis Seculis, A de quibus eſt mihi ſermo. Duo potiſſimùm Populos Chriſtianam Religionem profeſſos incitabant ad amorem Sanctorum, & ad eos ſibi demerendos: ſcilicet primo beneficiorum tam ſpiritualium quàm temporalium per eos ſpes, tum mundanae laudis, dicam etiam utilitatis cupiditas. Quod eſt ad primum, ubi perſuaſum Populo erat, Eccleſiâ quapiam probante B atque teſtante, aliquem ſive virum, ſive feminam, ſanctitatis gloriâ in terris excelluiſſe, receptumque in Caelis multa poſſe apud Deum: continuo fidelium affectus & fiducia erga illum excitabantur, & praecipue ſi multus Miraculorum & curationum rumor ejus Vitam illuſtrabat, aut obitum conſequebatur. Proinde apud Deum C patrocinio atque interceſſioni iſtorum ſenſim commendabant ſeſe homines viventes, prout fama virtutum ac prodigiorum increbreſcebat. Sed quum prodigia iſta, morborumque curationes plerumque non alibi fierent, quàm ad Sanctorum tumulos, aut ubi eorum ſacra Lipſana adſervata publico D cultui exponebantur: hinc altera cupiditas emergebat habendi apud ſe aut plura, aut unum ſaltem e Sanctorum Corporibus; & quoties id impetrari non poterat, eorum ſaltem Reliquiae incredibili ſtudio procurabantur. Summae gloriae ſibi ducebat quaelibet Civitas, quaelibet Baſilica,

ſive religioſum Collegium, exuviis tum pretioſis ac ſalutiferis potiri; eiſque abundare, maximum felicitatis augmentum videbatur. Praecipue vero ſibi plaudebant, & de ſe fortunam benemeritam arbitrabantur, quibus contingebat Sancti alicujus eximii, ac percelebris Corpus, & Sepulcrum apud ſe habere, eoque magis ſi Miraculorum glorià is excellebat. Undique enim devoti animi cauſsà, aut ſpe recuperandae valetudinis, confluebant illuc populi, & ex ipſis longinquis regionibus turmatim peregrini advolabant. Hinc Urbi tam fortunatae, aut Monaſterio, aut Baſilicae tantum pignus adſervanti, gloria nominis augebatur, dona & oblationes uberrimè accedebant, aliique non tam privati quàm publici proventus multiplicabantur in dies. Contra ſibi iratos paene Superos, aut ingloriam, aut parum illuſtrem ſuam ſedem reputabat is populus, qui aut nullum protuliſſet egregium ex ſanctitate hominem, & in patrio ſolo ſepeliſſet, aut aliunde ſacra illius offa in ſinum ſuum non advexiſſet. Ejuſmodi erant majorum noſtrorum opiniones, conſilia, ac vota, a quibus noſtra quoque tempora parum abeſſe deprehendimus, niſi quod olim in permultas anomalias, varioſque exceſſus a ſolida pietate Chriſtiana minime probatos, & infra mihi innuendos, hic ardor deflectebat, quibus Eccleſiaſticae tandem leges, & prudentia poſteriorum Seculorum finem fecere, aut certe frenum impoſuere, non ſine laude Pontificum, ac univerſae Catholicae Eccleſiae.

Itaque vel ipſo Seculo poſt Chriſtum natum Quarto Eccleſiaſtica Hiſtoria nos docet, quanta celebritate Natales dies Sanctorum agerentur a Chriſtiano populo iis in locis, ubi ſacra eorum Corpora condebantur. Ad piam illius diei renovationem interdum non tantum univerſa Civitas commovebatur, ſed & ipſa ſuburbanarum & conterminarum gentium agmina illuc certatim properabant. Quo autem latius Caelitis alicujus fama ſonabat, eo major fiebat populorum concurſus. Notiſſima ſunt, quae Sanctus Paulinus in Natali Tertio, hoc eſt Anno Chriſti CCCXCVI. cecinit de feſto Sancti Felicis Nolani, celeberrimi eo tempore Chriſti Confeſſoris & Martyris.

Stipatam multis unam jurat Urbibus Urbem
Cernere, totque uno compulſa examina voto.
Lucani coëunt Populi, coit Appula pubes,
Et Calabri &c.
Ipſaque caeleſtum ſacris Procerum monumentis
Roma Petro Pauloque potens, rareſcere gaudet
Hujus honore die, portaeque ex ore Capenae
Millia profundens ad amicae moenia Nolae,
Dimittit duadena decem per millia denſo
Agmine: confertis longe latet Appia turbis.

Tum alios enumerare Populos pergit Nolam confluentes, & in haec verba definit:

Una dies cunctos vocat, una & Nola receptat,
Totaque plena ſuis, ſpatioſaque limina cunctis;
Credas innumeris ut moenia dilatari
Hoſpitibus: ſic Nola aſſurgit imagine Romae.

Ingentem quoque pii Populi concurſum ad Sancti Hippolyti Martyris

ſe-

feſtum in agro Romano celebratum, teſtatus eſt circiter ea tempora Prudentius in Hymno de Sancto Hippolyto. Per totum verò annum, nedum Natali die, indefeſſa peregrinorum pietas ad viſitanda Romae ſacra pignora Apoſtolorum ſeſe conferebat. Ita & alibi per Italiam factum, ex quo Chriſtianae Fidei nomen dedere Romanorum Imperatores. Pium hunc ergo morem barbaris quoque ſubſequutis Saeculis religioſiſſime ſervatum quiſque coniicere, vel me tacente poteſt. Multis ego inſiſtere poſſem exemplis; ſed juvat, unum e Patria mea adferre, ut oſtendam, quanto in honore olim foret Sancti Geminiani Mutinenſis Epiſcopi ſepulcrum. Ejus Vitam publici juris fecit Cl. V. Johannes Bollandus e Soc. Jeſu, in Actis Sanctor. ad diem XXXI. Januarii. Ego vero Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 687. laciniam ejuſdem Vitae, nondum, ut putabam, editam producens, deprehendi illius Auctorem floruiſſe circiter Annum DCCCCXX. Accipe nunc, quid ille habeat de Sancto hoc viro Mutinenſium patrono. *In loco ergo*, ſcribit is, *ubi Beatus Geminianus ſepultus eſt, Corpus ejus quotidianis virtutibus, favente Chriſto veneratur, & colitur, atque a fidelibus aſſidue frequentatur. Siquidem ab ejus mauſoleo*

Liquor exundat olei:
Sanantur ibi languidi
A quocumque diſcrimine.

Vota praeſtantur congrua,
Reorum cadunt vincula,
Effugantur Daemonia,
Declarantur judicia.

Quibus poſtremis verbis indicantur *Judicia Dei* ad dignoſcendos divinâ virtute innocentes & reos, de quibus ego Diſſertationem XXXVIII. inſtituí. Infra idem Auctor ſcribit: *Omni devotione ad ejus ſepulcrum plebs urbana & ruſtica quotidianis miraculis celebrata ardentiſſime confluebat. Interea revolvente anni orbitâ, die ſancti ejus funeris anniverſariâ, Infinita Populorum ad Eccleſiam convenit caterva &c.* Animadvertiſti e Sancti Geminiani tumulo manaſſe *Oleum*, quo aegri delibuti valetudinem recipiebant. Idem contigiſſe olim ad aliorum complurium Sanctorum tum Orientis tum Occidentis, narrant eorum Hiſtoriae apud Surium, Bollandianos, Ughellium &c. *Manna* quoque inde collectum, ac paris ad curandos aegros virtutis, eaedem referunt Hiſtoriae. Saepe mecum recogitavi, cur plerique ex hiſce ſacris Tumulis temporibus noſtris ab ejuſmodi emanatione ceſſarint; id autem factum, vel quia debilitata ſit pia populorum perſuaſio, quae tot olim ex ipſis oleis, ſive liquoribus miracula impetravit; vel quia nonnulla, quae prodigii loco rudibus Saeculis habebantur, naturales effectus aëris, ac marmoris fuerint; ſi quis contendat, quod lubet ſentiat. Ego tempora noſtra cautiora, nihilque praeteritis pietate & fide concedere, immo & antecellere puto. Raſponus in Lib. I. de Baſilica Lateranenſi animadvertit, ex marmoreo ſepulcro *Silveſtri Secundi Papae*, quamquam humido in loco nequaquam ſito, manaſſe aquas guttatim vel ipſo ſereno caelo, non ſine complurium admiratione. Inter Magos, uti ſtultum vulgus ſenſit, aut mentitus eſt Benno Cardinalis, Silveſtrum ego non referam, qui antea Gerbertus; at certe ne inter Sanctos quidem computandum quiſquam arbitrabitur. Exemplum domeſticum par eſt mihi

mihi in marmorea tabula, quam paries internus Eccleſiae Pompoſianae, cui ſervio, adſervat. Attamen de Sepulcro Beatae Beatricis II. Eſtenſis apud Ferrarienſes, unde liquor manat certis tantummodo anni diebus, ea narrantur, quae ſi vera ſunt, ſupranaturalem virtutem indicare videntur. Verùm ad alia progrediamur.

Quod Mutinenſi Civitati olim accidiſſe vidimus, *infinitâ Populorum catervâ* illuc confluente venerationis cauſſâ erga Sanctum Geminianum, id unaquaeque alia, ut ſibi contingeret, optabat; atque ut hujſmodi ſacrorum Corporum poſſeſſionem ſibi compararet, nihil intentatum relinquebat, illorum praecipue, ad quorum tumulos plura miracula Deus operaretur. Quare cum Reges, ac Principes, tum Epiſcopi, & Abbates ſoliciti ultra modum erant in exquirendis, & impetrandis Caelitum Reliquiis; eoque ardentius eorum integris Corporibus, rati ſe incredibile decus conſequuturos, & ſuae Patriae, aut Baſilicae raram gloriam atque utilitatem collaturos, ſi Sanctorum, praeſertim celebriorum, pignora illuc inferrent. Celebratiſſimum eſt, & cunctis notum, quod Liutprandus Langobardorum Rex circiter Annum Chriſti DCCXXII. egit. Nimirum *quòd Sarraceni depopulatâ Sardiniâ, etiam loca illa, ubi oſſa Auguſtini Epiſcopi* (celeberrimi Eccleſiae Doctoris) *propter vaſtationem Barbarorum olim translata, & honorifice fuerant condita, foedarent, miſit eo, & dato magno pretio accepit, & tranſtulit ea in Urbem Ticinenſem.* Haec Paulus Warnefridi in Hiſtor. Langobardorum. Simili ratione Aiſtulphus eorumdem Langobardorum Rex, quum Anno DCCLIII. conditurus eſſet inſigne Monaſterium Nonantulanum in agro Mutinenſi, impetravit a Stephano II. Romano Pontifice *Corpus Sancti Silveſtri Papae*, ibique colendum repoſuit. Vide Opuſculum de Fundatione ejuſdem Coenobii Part. II. Tom. I. Rer. Italicar. pag. 189. Regem hunc imitatus Ludovicus II. Imperator, quum Gafaurienſe Monaſterium in Aprutio a ſe conditum illuſtrare quantâ poſſet ſedulitate cuperet, ab Hadriano II. Romano Pontifice circiter Annum DCCCLXXII. & ipſe petiit *Corpus Sancti Clementis Papae*, quod Romam Anno DCCCLXVI. e Taurica Cherſoneſo advectum fuerat; atque ab eo impetratum tranſtulit ad idem Coenobium. Conſule Chronicon ejuſdem Monaſterii, Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 765. Sic eodem Seculo Everardus Fori Julii Dux Ciſonienſe Monaſterium aedificaturus a Romana Sede impetravit *Corpus Sancti Calliſti Papae*, ut auctor eſt Frodoardus Lib. IV. Cap. I. Hiſtor. Remen. Reliqua bene multa paris ſtudii exempla praetereo. Illud tantùm commemorare juvat, uſque ab ipſo Quarto Chriſtianae Aerae Seculo, quo Chriſti fidelibus tutò denique licuit Baſilicas & publica Templa aedificare, ibique nullo contradicente ſacris operari, coepta ſunt Templa conſtrui, ac nomen habere a Sanctis Apoſtolis atque Martyribus, & reliquis deinde Sanctis. Qui mos perdurat, quum fere omnia Templa ab aliquo Sancto, aut a pluribus titulum nunc ſuum deſumant. Verùm ſumma in veneratione apud Catholicos ſemper fuere, ſemperque recolenda ſunt, verba Sancti Auguſtini Lib. 8. Cap. 27. de Civitate Dei, ſcribentis: *Nec tamen nos eiſdem Martyribus Templa, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus.* Hoc ergo nobis ſtatuendum,

dum, Catholicorum Templa, uni ſemper Deo dicata fuiſſe, atque dicari in memoriam & honorem Sanctorum. Certiſſimum eſt hoc, & Theologo cuique notum Eccleſiae Catholicae Dogma, cui nihil officit ignorantia interdum & inerudita vulgi credulitas, aut alicujus popularis Scriptoris male conſuta oratio. Praeterea quum fere unaquaeque Eccleſia, & pleraque Monaſteria unum quempiam e Sanctis in Patronum ſibi praecipuum olim adſciverint, accidit, ut in Epiſcopatus atque in Coenobia ipſa pertranſiret, ibique ſtabilis deinde foret eadem appellatio. Ita ſub nomine *Epiſcopii Sancti Zenonis* Eccleſia Veronenſis; *Sancti Apollinaris* Ravennas; *Sancti Ambroſii* Mediolanenſis; *Sancti Geminiani* Mutinenſis &c. deſignabantur. Idem quoque erat, dona offerre *Beato Petro*, ac Baſilicae Vaticanae; *Sancto Benedicto*, ac Monaſterio Caſinenſi; *Sancto Silveſtro*, ae Monaſterio Nonantulano; *Sancto Vincentio* ac Coenobio Vulturnenſi &c. Quo tempore invaluerit eiuſmodi conſuetudo, non facile decernas. Vel ipſo Seculo vulgaris Epochae Sexto illius veſtigia quidem ſublncere videntur. Praeſertim vero poſt Annum Aerae Chriſtianae Milleſimum, & poſtquam in libertatem ſe vendicarunt pleraeque Civitatum Italicarum, unaquaeque Patrono ſuo tutelari quantos potuit honores enixiſſime procuravit. Hiſtorici Florentini memoriae prodidere, quae decreta fuerint a Republica Florentina, ut feſta dies Sancti Johannis Baptiſtae, Patroni Urbia, magnificentius in poſterum celebraretur. Ravennates vero mirum eſt, quantâ magnificentiâ feſtum diem Sancti Apollinaris Epiſcopi & Martyris olim celebrarint. Praeter alia Comprovinciales Epiſcopi eâ die convenire Ravennam jubebantur, niſi infirmitate aut aliâ Canonicâ excuſatione impedirentur. Atque ad id obſequii praeſtandum Archiepiſcopo ſeſe obligabant, quo die ab ipſo Epiſcopalem conſecrationem recipiebant, uti Rubeus animadvertit ad Annum MCCLXIII. in Hiſt. Ravenn. Equorum curſus ad bravium non minùs Florentiae, quàm Ravennae, ſolemni illâ die peragebatur. Praeterea ne Mutinenſes quidem ſegniores fuere in ornando Feſto Sancti Geminiani Epiſcopi ac Patroni ſui. In Statutis MStis Reipublicae Mutinenſis Anno MCCCXXVII. confectis, & in ejus Archivo adſervatis, habetur Lib. 6. Rubric. primâ decretum iſtud: *De qualibet familia omnium habitantium a Serra de Legorzano inferius veniat unus ad Feſtum Sancti Geminiani in Vigilia, & apportet unum cereum in manibus, & ſtet in Civitate Mutinae in ſequenti die uſque ad Tertiam. Et Poteſtas Mutinae in Vigilia Beati Geminiani poſt Nonam teneatur facere venire Communia Villarum & Locorum diſtrictus Mutinae a Serra de Legorzano inferius, ſcilicet quodlibet Caſtrum & quamlibet Villam per ſe ſub ſuo Vexillo cum hominibus ſuae Villae vel Caſtri, ſecundum quod placuerit Conſilio Generali. Et omnes homines Civitatis Mutinae & Burgorum teneantur in dicta Vigilia Sancti Geminiani ire ad Feſtum cum reverentia & devotione cum cereis & dupleriis in propriis manibus, cum vicinis poſt Conſanonum ſuae Societatis. Et debeant omnes intrare per Rezam majorem de Leonibus* (ideſt *per Regiam*, quo nomine olim portae majores Templorum donabantur. Adhuc autem apud Populum Mutinenſem ea appellatio perdurat) *in dictam Eccleſiam. Et omnes Conſanoni vicinantium dimittantur in dicta Eccleſia uſque ad Octavam Sancti Gemi-*

Geminiani. Anno quoque MCCCVI. decretum fuerat, *Quod in Feſto Sancti Geminiani quodlibet Caput Domus Civitatis Mutinae & Burgorum teneatur venire ad offerendum unum Cereum ad dictum Feſtum, ſub Vexillo ſuae Societatis.* Nundinae quoque in Civitate habebantur trea dies ante, & totidem poſt Feſtum. Ita Ferrarienſes in Statutis MStis Anno MCCLXVIII. exaratis haec ſtatuerunt: *Omnis homo de Civitate Ferrariae habens in valentia centum Libras Imperialium, & a centum ſupra, teneatur apportare vel apportari facere in Vigilia Beati Georgii ad honorem Dei & Beatae Virginis Mariae, & ipſius Martyris, unum Cereum ad Matutinum. Et omnes ordines Civitatis Ferrariae, ſinguli per ſe, teneantur ſimiliter de Communitate ſua mittere ad Eccleſiam praedictam unum Cereum de duabus libris cerae.* Ex hiſce oblationibus, quantum proficeret Eccleſia, omnes intelligunt.

Explicari autem non poteſt, quantâ magnificentiâ, quantâque religioſitate peragerentur olim Tranſlationes ſacrorum Corporum. Tunc enim finitimarum Urbium Populi & Epiſcopi effuſiſſime in unum locum confluebant, certantibus cunctis Sanctorum pretioſas exuvias cernere, venerari: quorum videlicet ope unuſquiſque a Deo aliquid ſe impetraturum ſperabat. Surius, & Bollandiſtae ex his plurima exempla miniſtrant. Ego quoque inluſtre exemplum protuli Tomo VI. Rer. Italicar. in Translatione Corporis Sancti Geminiani Mutinenſium Patroni. Et haec ſane ſecundùm verae pietatis normam. Accedo nunc ad alios eorum temporum mores, quos excuſare fortaſſe poſſis, laudare difficile velis. Erant Urbes, erant Monaſteria, quibus nihil obtigerat Reliquiarum inſignium, ideſt illud

A deerat, quod ea tempeſtate veluti ornamentum ac praeſidium omnium pretioſiſſimum habebatur, ſummamque invidiam in eo carentibus quotidie commovebat. Quod ergo precibus impetrare non licebat, multi fraudibus, furto, nundinatione, vi, aliiſque artibus ſibi conquirendum duxere. Pium, Deoque probatum cenſebant quidquid in hanc rem molirentur, dum ſui voti compotes fierent. Quincto ipſo Eccleſiae Seculo non deſunt informia huius ardoris exempla, qui progrediente tempore in piam, ſi licet dicere, inſaniam uſque excrevit. Exploratiſſimum eſt, circiter Annum Chriſti DCLIII. Floriacenſes Monachos e Gallia ſe ad Montem Caſinum contuliſſe, atque inde revelatione confictâ furtim ſuſtuliſſe ſacra Corpora, ſive oſſa Sancti Benedicti, Monaſtici Ordinis in Occidente inſtitutoris, & Sanctae Scholaſticae ejus Sororis, illaque in Galliam ad ſuum Coenobium advexiſſe. Excuſandum tamen facinus, quum Italici Monachi ſacrum locum a Langobardis antea exciſum negligerent, neque ex ruinis venerandas Patriarchae ſui exuvias efferrent. Equidem novi recentiores Caſinenſium ad fabulas amandare hujuſmodi Tranſlationem. Sed uti animadvertebam Part. I. Tomi II. pag. 348. Rer. Italicar. ſtat contra ineluctabilia auctoritas & teſtimonium Pauli Diaconi, Caſinenſia Monachi, praeter tot alia antiquitatis monumenta. Id ergo unum contendere fas eſt, ſacra videlicet pignora Sancti Benedicti reſtituta demum fuiſſe Caſinatibus: quam ſententiam & ego validis rationibus niti oſtendebam in loco ſupra memorato. Quod eſt ad potentes viros, Aiſtulphus Langobardorum Rex dum Romam gravi obſidione premeret Anno DCCLV.

multa

multa Corpora Sanctorum, effodiens eorum coemeteria, ad magnum animae ſuae detrimentum abſtulit, ut habet Anaſtaſius in vita Stephani II. ſeu III. Papae. Non abſimili ratione Sico Princeps Beneventanus armis & vi uſus eſt ad ſuam Urbem ditandam Sanctorum ſpoliis. Nam circiter Annum DCCCXXXII. Neapolim durâ obſidione cingens, ad pacta Cives adegit, & *Januarii Sancti Martyris Corpus de Baſilica, ubi per longa temporum ſpatia requievit, elevans, cum magno tripudio Beneventum regreditur*. Haec Anonymus Salernitanus Part. I. Tom. II. Rer. Italicar. pag. 290. Neque ſegnius ad haſce opes conquirendas exarſit Sichardus Princeps ejus filius: nam ipſo Anonymo teſte Cap. 47. Paralipomen. Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 209. Neapolitanos & ipſe afflixit, & Corpora *Sanctorum effodiens, eorum ſacra myſteria abſtulit*. Infra, Cap. 58. addit idem Scriptor de eodem Principe: *Factum eſt, ut Tyrrheni aequoris inſulas, Auſoniaeque univerſa loca idem Princeps circuiret, ut Corpora Sanctorum, quotquot invenire poſſet, Beneventum cum debito honore deferret. Atque per idem tempus ex Inſula Liparitana Bartholomaei Beati Apoſtoli Corpus Beneventum cum magno gaudio deferri juſſit*. Amalfitanis etiam eripuit Corpus Sanctae Martyris Triphomenis, & Beneventum adduxit. Ita Civitas illa alienis ſpoliis gloriabatur, piumque arbitrata eſt triumphum Templa finitimorum expilare, ut ſua ditaret. Subſequenti Saeculo Henricus I. Auceps Germaniae Rex non diſpari cupiditate, & prope eſt ut dicam furore, agitatus eſt. Audiens enim, Lancea e clavis Cruci Dominicae olim affixis confectam dono datam fuiſſe Rodulfo Burgundionum Regi, *tam inaeſtimabile donum caeleſte* praemiis propoſitis, ut ſibi compararet, enixiſſime ſtuduit. Recuſante Rodulfo, *Rex Henricus, quia hunc mollire muneribus non potuit, minis terrere magnopere curavit. Omne quippe regnum ejus caede atque incendiis ſe depopulaturum eſſe promiſit*. Tantam procellam minime expectandam ratus Burgundio, Lanceam tradidit. Haec narrat Liutprandus Ticinenſis Lib. 4. Cap. 12. Hiſtor. Tom. II. Rer. Italicarum. Ita Mediolanenſi Urbe per Fridericum I. Imperatorem eversâ, inde in Germaniam aliquot Sanctorum Corpora a victoribus asportata fuere: non tamen Gervaſii, & Protaſii Martyrum, uti evicit Libro in hanc rem edito Cl. V. Joſeph Antonius Saxius Ambroſianae Bibliothecae Praefectus. Innumera congerere poſſem id genus exempla; ſed me contineo.

Erat ergo ferreris illis Saeculis incredibilis ſacrarum Reliquiarum aviditas; atque inde ſaepe ae ſaepius manabant furta illa atque rapinae: ſibique arridere fortunam putabat, quiſquis aut bello eripere hoſti, aut fraude ſurripere incautis ſacra hujuſmodi pignora poterat. Prae ceteris verò certare conſueverunt Epiſcopi, ac potiſſimum Germaniae, in quorum regionem invecta ſerius Chriſti Religio nullos dederat Martyres, ut quiſque ſuam Patriam ac Templa ornarent pretioſis ejuſmodi ſpoliis. Quam in rem auctoritate Principum, precibus, pecuniâ, violentia, ceteriſque artibus utebantur. Celebrem eâ de cauſâ ſe praebuit olim Theodericus metenſis Epiſcopus, ut reliquos omittam. Erat is Ottoni Magno Auguſto arctâ affinitate conjunctus, utpote illius conſobrinus, eique inter paucos carus, atque una cum illo *in Italica expeditione per triennium mili-*

litavit, uti Sigebertus ad Annum DCCCLXIX. ſcribit. Tantam fortunam ſuam deſidem jacere minime ille eſt paſſus. Nam teſte eodem Sigeberto, *Corpora & pignora multa Sanctorum de diverſis Italiae locis, Quocumque Modo Potuit* (quae verba attente animadvertenda) *collegit. Primùm e Marſia Sanctum Elpidium Confeſſorem, cujus ſocium Eutychium Epiſcopum ipſe Imperator jam ſuſtulerat. Ab Amiternis Eutychetem Martyrem &c. A Sulginis* (Fulginis, ſive Fulginio legendum) *Felicianum Epiſcopum & Martyrem. A Perufio Aſclepiodotum Martyrem. A Spoleto Serenam Martyrem cum Gregorio Spoletano Martyre. A Corduno* (corrupta vox: num *Cerdonia?*) *pignora Vincentii Martyris & Levitae, a Capua illuc deportata. A Mevania alterum Vincentium Epiſcopum & Martyrem. A Vicentia Leontium Epiſcopum & Martyrem. A Florentia Mineatem Martyrem. Ab Urbe Tudertina Fortunatum Epiſcopum & Confeſſorem. A Corſinio Luciam Syracuſanam Virginem & Martyrem* (cujus Corpus aliae Urbes ſibi vendicant.) *A Sabinis partes Corporum Prothi & Hyacinthi Martyrum. Haec omnia cum parte Catenae Sancti Petri Apoſtoli &c. a Papa Johanne ſibi donatâ, cum multis aliis Sanctorum pignoribus Praeſul Theodericus in Galliam hoc Anno tranſtulit.* En quot Sanctorum offa ex unâ Italiâ unus Epiſcopus, *quocumque modo potuit*, per triennium corraſit. Qui verò forent iſti modi, hinc diſce. Dum Romae in comitiva Ottonis Magni verſaretur, atque adeſſet, quum Catena Sancti Petri a Johanne XIII. Papa ad familiarem Imperatoris, ſeſe dentibus diſcerpentem, adhiberetur, *eam Catenam Theodericus metenſis Epiſcopus arripuit, dicens, niſi manu abſciſſâ ſe illam non dimiſſurum. Tandem Imperator ſedato litigio, a Papa Johanne obtinuit, ut annulum hujus Catenae exſectum Epiſcopus mereretur.* Ita idem Sigebertus, & Annaliſta Saxo ab Eccardo editus: ex quo cetera metire. Proinde veterea conſuevere, tempore praeſertim ingruentis belli, & imminentibus hujuſmodi piis praedonibus, Corpora Sanctorum, paucis conſciis, clam effodere, atque alibi occultare: quae cauſſa deinde fuit, cur plura ex iis poſteri ignorarint, & nunc certò indicare illa non liceat. De iſto argumento plura extant in Opuſculo meo, edito Tridenti Anno MDCCXXX., & a me elaborato antequam prodiret Deciſio facta ab Epiſcopo Ticinenſi, & confirmata a Benedicto XIII. Summo Pontifice, cum hoc titulo: *Motivi di credere tuttavia aſcoſo, e non iſcoperto in Pavia l' Anno MDCXCV. il ſacro Corpo di Santo Agoſtino, Dottore della Chieſa**. Alii quoque vim fraude eluſerunt, ſuppoſitis fictis Sanctorum Corporibus, aut veris exhibitis, ſed non iis quae tum quaerebantur, ut aliquâ ratione a violentis hiſce ſacrorum tumulorum graſſatoribus ſeſe expedirent: quod potiſſimùm a Beneventanis peractum tradit Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi Lib. 2. Cap. 24. Petenti enim Ottoni III. Auguſto Corpus Sancti Bartholomaei Apoſtoli, ii negare non audentes, *callide illi pro Corpore Apoſtoli, Corpus beati Paulini Nolani Epiſcopi, quod ſatis decenter apud Epiſcopium ipſius Civitatis erat reconditum, oſtenderunt; & eo ſublato receſſit tali fraude deceptus.*

Et

* Vid. Muratorian. Operum Edit. hujus ipſius Tomi X. Partem II. in qua iſtud retulimus Opuſculum.

Et ſane tanta ſacrarum Reliquiarum adipiſcendarum libido eò etiam declinavit, ut olim incertae, immo & falſae interdum offerrentur, atque a piis, ſed parum cautis amatoribus ſine ulla haeſitatione arriperentur. Quod praecipue pluribus oſtendit Hugo Menardus in Notis ad Concordiam Regularum pag. 124. Neque deerant antiquis temporibus, & vel ipſius Sancti Auguſtini aevo, ſycophantae ac nebulones, qui adulterina Sanctorum pignora nimis credulae genti amicitiae ergo diſtribuebant, & quod gravius eſt, etiam dividebant, impium quaeſtum ex abominanda hujuſmodi nundinatione ſibi procurantes. Vide ad diem XX. Januarii in Act. Sanctor. Translationem Sancti Sebaſtiani Martyris Cap. XV. Exempla alia proſtant apud Johannem Ferrandum e Soc. Jeſu Lib. I. Cap. X. Articul. I. & II. Diſquiſition. Reliquiar. quae delibare ſuperfluum puto. Huic morbo medelam paravere non ſemel Summi Pontifices & Concilia: ſed utinam penitus hujuſmodi peſtem averterint. Accedit quod homines ſupra modum ad hoſce theſauros captandos olim proclives, quidquid occurrebat, Reliquiarum ſpeciem, & nomen Sancti alicujus praeferens, continuo excipiebant, nil penſi habentes, ſi aut errore ducerentur, aut ab aliis in re ſibi grata deciperentur. Lege ſis Chronicon Genuenſe Jacobi de Varagine Tom. IX. Rer. Italicar. atque Annales ejuſdem Urbis a Georgio Stella conſcriptos atque editos in Tom. XVII. earumdem Rer. Italicarum. *Vera Crux Chriſti*, ut ipſi ajunt, Anno MCLXXXV. a quodam Piſano ſurtim ſublata, dum a Saladino ad Graecorum Imperatorem mitteretur, Genuam non ſine prodigio delata eſt. A Et ille quidem Piſanus *ſupradictam Crucem accipiens, & de illius virtute confidens, ſuper mare, tamquam ſuper terram ſolidam, ire coepit.* Praeterea *Crucem Sanctae Helenae* Genuenſis quidam in Venetorum navi capta reperiens, Genuam feliciſſime detulit. *Oſſa* quoque *Sancti Johannis Baptiſtae* Genuam adducta fuere: de quibus B tamen petendum ſemper ſupereſt, cur Caffarus, aliique praecedentes Hiſtorici Genuenſes nullam mentionem fecerint. Ita Barenſes Corpus *Sancti Nicolai Epiſcopi* celeberrimi apud ſe adſervari gloriabantur, & adhuc gloriantur, illuc e Myra Civitate Lyciae delatum. Contra Dandulo teſte in Chronico Venet. circiter Annum MXCVI. Veneti ad eam C ipſam Civitatem progreſſi, nonnullos ex Clericis fugientibus capiunt, & quaeſtioni ſubjiciunt, ut abdita Sanctorum Corpora indicent. Ii nonnulla revelant, aut ſe revelare fingunt. Interim ex Venetis nonnulli ſuſpicione conceptâ, latere in quodam loco *Sancti Nicolai* Corpus, humum effodiunt, ſepulcrum illius & oſſa D atque epigraphen, Graecis literis ſcriptam, reperiunt, teſtantem, illic ejuſdem Sancti viri Corpus jacere. Quod arreptum Venetias ſummo cum gaudio deferunt. Uter ex his Populis aut illudi ſe paſſus fuerit, aut iſta confinxerit, quis nunc mihi explicet? Idem dicendum de ſacro Cor- E pore *Sancti Lucae Evangeliſtae*, quod Venetiarum Civitas, & Monachi Patavini Ordinis Sancti Benedicti, & Genuenſes poſſidere ſe putant, ſingulis rationem prodentibus, qua hujuſmodi Theſauro olim fuere poriti. Innumera ſunt per univerſi Chriſtiani Imperii finea id genus exempla, quum in tot diverſis Urbibus non dicam modicae Reliquiae, ſed Capita &

Corpora ipſa unius ejuſdemque Caelitis habeantur atque colantur. Porro liquet, quoties clam & furto ex antiquis tumulis ſublata fuere Corpora Sanctorum, id contra Canones actum, quum inconſulto Epiſcopo transferre ſacras Reliquias minime liceret, qui veritatem rei agnoſceret, fidemque faceret tum praeſentibus tum poſteris, nihil erroris aut fraudis interceſſiſſe. Atqui ubi furto res agebatur, piis illis furibus duntaxat erat habenda fides. Ad diem II. Junii in Actis Sanctorum Bollandianis, & apud Du-cheſnium in Tom. II. Scriptor. Franc. habetur Hiſtoria Translationis Corporum Sanctorum *Petri & Marcellini*, ab Eginhardo celebri Hiſtorico tunc Selingenſtadienſi Abbate conſcripta. Sacra illa Corpora Romae e Baſilica Sancti Tiburtii furrepta nocturno tempore, *nullo Civium ſentiente*, dicuntur. Equidem ambigere nolo, quin germanas Reliquias Ratleicus Eginhardi Notarius tunc aſportarit. At ſane tumultuarium & periculoſum facinus, obnoxium errori fuiſſe, quiſque fateatur. Quod ſi egregius Scriptor, & Miracula, quae ſubſequuta feruntur, ſat fidei in eo negotio impetrare poſſunt a nobis: num & reliqua ejuſmodi facinora impetrabunt? Immo piis ipſis furibus Reliquiarum *Petri & Marcellini Martyrum* fucum fecere alii ſimiles fures in itinere, teſte eodem Eginhardo, unde inter Monachos Selingenſtadienſes, & Sueſſionenſes Sancti Medardi, de ipſis Reliquiis orta eſt controverſia, & pro Sueſſionenſibus Libellus extat, Saeculo Chriſti Decimo compoſitus ab Odilone Monacho, uti Lectori conſtare poterit ex Actis Sanctorum Bollandianis. Sueſſionem quoque ſimili furto translatum dicitur Corpus *Sancti Gregorii Magni Papae*. Credat qui velit. Ita Reliquiae *Sancti Severi Epiſcopi Ravennatis*, imperante Ludovico Pio, hoc eſt iiſdem temporibus, a Clerico quodam furtive ex Urbe Ravennate ſublatae feruntur, & Moguntiam, ac deinde Erfurtum deductae. Apud illum furem tota rei fides ſtetit. Praeterea *Sancti Valentini Martyris* caput, Romae ſibi traditum ab hoſpite quodam, *Sacerdos quidam ad Gemmeticenſe Galliarum Monaſterium* detulit, ut ad diem XIV. Februarii apud Bollandiſtas Baldricus Epiſcopus Dolenſis narrat. Sicuti etiam habetur in Vitis Antiſtitum Cenomannenſium Cap. 12. in Mabillonii Analectis circiter Annum Chriſti DCXXX. quidam peregrinus *per praedictam Parochiam tranſiens, & Reliquias Sanctae Dei Genitricis Mariae ſecum deferens, in loco qui vocatur Aurion, feſſus pervenit: ibique quadam die ſub aliqua arbore requieſcens, & in ipſa arbore praedictae Sanctae Mariae Reliquias appendens, obdormivit. Surgens autem inde, & ad alia loca properare volens, praedictas Reliquias de jam dicta arbore auferre, neque ſecum deferre valebat. Quod & Dei nutu factum eſſe haud dubium eſt.* an in hac re adhibita ſint ea examina, quae Eccleſia praeſcribit, Hiſtoria non refert. Id praeſumere licet, cùm pietas Hadoindi Epiſcopi, ac Populorum devotio Monaſterium à fundamentis ibidem excitaverint, atque ditaverint. Ceterùm ſunt alia ſine numero ejuſmodi Translationum a diſciplina Eccleſiaſtica minime probatarum exempla. Profectò quin fraus interdum & nimia credulitas in tantam ſacrorum pignorum rapinam, translationem clandeſtinam, & multiplicationem ſeſe ingeſſerit, neminem eſſe puto, qui per ſe non intelligat.

Egre-

Egregius eſt in hanc rem locus Guiberti Novingentenſis Abbatis, qui circiter Annum MCXII. ita ſcribebat: *Conſiderandus etiam ſub hac occaſione plurimus quidem, ſed non perniciosus error, qui Gallicanas praecipue de ſanctorum Corporibus obſedit Eccleſias: iſtis illum, illis eumdem, ſeu Martyrem, ſeu Confeſſorem, ſe habere jactantibus, quum duo loca non valeat occupare integer unus. Quod totum contentionis malum inde ſumſit originem, quod Sancti non permittuntur habere debitae & immutabilis ſepulturae quietem. Et plane ex pietate deſcendiſſe non ambigo, quod eorum Corpora argento cooperiantur & auro. Sed jam evidenti & nimium turpi avaritiae militant & oſſium oſtenſiones, & feretrorum ad pecunias corrogandas circumlationes: quae omnia deſiviſſent, ſi eorum, ut ipſius Domini Jeſu, ſorti oppoſito obice, immobili clauderentur membra ſepulcro.* Ita pius & doctus Abbas. Nemo autem neget, quin temporibus iis cupiditas iſta comparandi ſibi ſacras Reliquias, alioqui commendanda, fuerit pro aevi ignorantiâ expoſita nimium male feriatorum hominum fraudibus. Leone Marſicano teſte Lib. 2. Cap. 33. Chronic. Caſinenſ. *Monachi quidam ab Hieroſolymis venientes particulam lintei, cum quo pedes Diſcipulorum Salvator exterſit, ſecum detulerunt, & ob reverentiam ſancti hujus loci devotiſſime huic obtulerunt. Sed quum a plurimis ſuper hoc nulla fides adhiberetur, illi de fide ſidentes, protinus praedictam particulam in accenſi thuribuli igne deſuper poſuerunt. Quare mox quidem in ignis colorem converſa, poſt paululum verò, amotis carbonibus, ad priſtinam ſpeciem mirabiliter eſt reverſa.* Tum donum hoc eximium collocatum eſt in *loculo mirifico, argento & auro, gemmiſque Anglico opere ſubtiliter ac pulcherrime decorato.* Equidem vereor ego, ne bonis Caſinenſibus ſocus factum fuerit a gyrovagis iis Monachis, oblatâ eis particulâ telae ex lapide *Amianto*, ſive (quod idem eſt) *Aboſto* confectae, quam Phyſici norunt in prunis poſitam igneſcere, exemtam verò ab igne, priſtinum recuperare colorem, & minime comburi. Certe ejuſmodi experimentum non mirarentur, neque prodigii loco exciperent, ſed riderent tempora noſtra, quae ſibi ab impoſturis diligentius cavere conſueverunt. In conjecturam meam confluunt, quae jandiu adnotavit Mathiolus in Lib. V. Dioſcoridis, Cap. 93. ubi de Amianto. *Ceterum*, inquit, *non deſunt Impoſtores (ut auctor eſt Braſavolus Ferrarienſis) qui lapidem Amiantum ſimplicibus mulierculis oſtendant, vendantque ſaepe numero pro Ligno Crucis Servatoris noſtri. Id quod facile credunt, quum ipſe non comburatur.* Quae tamen non eo animo commemoro, quaſi ritus pietatis, aut ſacrorum Corporum poſſeſſores ſim turbaturus: ſed ut veterum aut oſcitantiam aut improbitatem innuam, a quibus nos abhorrere aequum eſt. Nam & in his bona fides, diuturna poſſeſſio, atque praeſcriptio locum habet; neque ex his quidquam detrimenti in ſanctam Religionem defluit, quum illa in Reliquiis credendis nullam a nobis exigat fidem divinam; & nos non terream earum materiem, non incertam illarum originem colamus; ſed quidem veros Sanctos regnantes in Caelis, ſive ut rectius loquar, dona Dei, ipſumque Deum communem Regem noſtrum veneremur in Sanctis. At boni veteres plerumque ſine ullo examine, ſine ulla dubitatione, ambabus, ut ajunt, ulnis excipiebant quidquid ſacri ſpeciem

ciem praeferebat. Quod ſane neque laudandum, neque ferendum quiſque diſciplinae Eccleſiaſticae peritus fatebitur, uti etiam Amulo Archiepiſcopus Lugdunenſis Seculo Chriſti Nono in Epiſtol. Prima animadvertit, Quod etiam uſu venit, quo olim rariora, magiſque videbantur miranda, quae Fidelium venerationi offerebantur, eo major tunc erat ad illa Populorum confluxus. Glabro Rodulpho teſte Lib. 3. Cap. 6. Hiſtor. circiter Annum Chriſti MVIII. *revelata ſunt plurimorum Sanctorum pignora. Haec revelatio primitus in Senonica Galliarum Urbe, apud Eccleſiam beati Martyris Stephani dignoſciteur coepiſſe. Cui etiam praerat Archipraeſul Leotericus, a quo ſcilicet* ADMIRANDA *relatu reperta ſunt ibi antiquorum ſacrorum inſignia.* Quid potiſſimum in admirationem raperit non Gallicam tantummodo gentem, ſed & *univerſam paene Italiam*, accipe. *Quippe* (ita loqui pergit Glaber) *inter cetera perplura, quae latebant, dicitur Virgae Moyſi inveniſſe partem. Ad cujus rei famam convenerunt quippe fideles, non ſolùm ex Gallicanis Provinciis, verùm etiam ex univerſâ paene Italiâ, ac de tranſmarinis regionibus.* Atque cum his conjungenda ſunt fruſtula *Arcae Diluvianae, Pili e barba Aaron* detracti, aliaque ejuſmodi, quae in quarumdam Eccleſiarum ſacrariis conſpexi. Accedat ad iſta, non deſuiſſe olim, qui ut certa apud ſe eſſe ſacra pignora quaepiam Populo perſuaderent, confinxere aut edidere prodigia atque hiſtorias, quibus adjungere fidem cautus quiſque vix velit aut poſſit. Vide, quae de Translatione nuper memoratâ in Gallias Corporis Sancti Benedicti, ejuſque reſtitutione, Floriacenſes Monachi, viciſſim & Caſinates literis prodidere. Vide, quae de Corporibus trium Magorum, ut ajunt, Regum, Mediolanum delatis habet Jordanus Hiſtoricus, in hoc ipſo Opere legendus.

Pertinaciam quoque errori olim adjungebant homines perquam rudes in amplectendis commenticiis Sanctorum lipſanis. Cujus rei exemplum prae ceteris memorandum eſt, ab Hugone Flaviniacenſi ſcriptum in Chronic. Virdunenſ. ad Annum MXXVII. *Tunc temporis* (ita is tradit) *contigit, ignoti oſſa hominis de loco abjectiſſimo a quodam mangone colle&ta, & feretro impoſita, in Monaſterio Sanctae Mariae apud Seuſiam, ſub nomine Juſti Martyris, a Mainfredo Marchione fuiſſe repoſita. Sed licet a Religioſis id vaniſſimum & ſtultiſſimum fuiſſe, multis & probatis documentis demonſtratum ſit, Vulgus tamen injuſtum pro Juſto venerans, in ſuo permanſit errore.* Manfredus iſte Segusii Marchio idem ille eſt, de cujus Genealogia ego diſſerebam Par. I. Cap. 18. Antiquit. Eſtenſium. Quod autem habet Hugo de ementito illo Martyre Juſto, mutuatus omnino videtur a Glabro Lib. 4. Cap. 2. Hiſtoriae. Hic enim rem fuiſſime ante illum deſcripſit, addens, a Marchione Mainfredo ſpuria oſſa illa collocata in Templo fuiſſe, & quamquam *plures ſanae mentis deteſtabile figmentum abominandum clamarent*, vulgus tamen pervicaciſſime in ſuo errore ſtetiſſe. Neque id mirum. Barbaris iis Saeculis nimia facilitate vulgus, interdum ſtulte pium, non ſolùm ad amplexandas quaſcumque obvias Reliquias ferebatur, ſed etiam veluti populari tumultu ruebat ad inferendos in Coelum quoslibet, cum aliqua Sanctitatis ſpecie occumbentes homines. Tulere ea quoque tempora Viros ac Feminas ſpectatiſſimae, omnigenaeque virtutis, quos jure Eccleſia

ſia Sanctorum catalogo adjunxit. Aliorum ſanctitatem Canonizatione Romanà carentium pari gradu exploratam appellare prohibemur. Nam quid de *Guilielmina Bohema* Mediolani, quid de *Armanno Pungilupo* Ferrariae acciderit, infra in Diſſertatione LX. *de Haereſibus* indicabitur. Certe multos adhuc habemus *Beati* aut *Sancti* nomine olim donatos, quos tamen in Caelitum album non intulit circumſpecta ſemper, & in his praecipue difficilis Apoſtolicae Sedis auctoritas & gravitas, ſed aut paucorum Monachorum, aut Plebis unica laudatio atque opinio. Ex his pleroſque credere praeſtat in Coelum a ſuis virtutibus elatos. Sed nemo contendat, immune ſemper ab errore fuiſſe in hiſce Canonizationibus tumultuariis judicium Populi rudis, indocti, atque incauti. Neque alius, ut arbitror, animus fuit Johanni Boccaccio, (1) irreligioſo alioquin Scriptori, quàm exuberantem hanc vulgi pietatem, ſuâ adhuc aetate vigentem, carpere & caſtigare in Fabula (2) *Ser Ciappelletti*, ſceleſtiſſimi hominis, quem inſana Plebecula, a Confeſſario decepto & ipſa decepta, pro Sancto habuiſſe fingitur. Si (3) Scriptori huic, alterum exemplum adferenti, nulla fides adjungenda eſt, (4) Marcellinus quidam Florentinus Tarviſii mentitus ſe membris captum, finxit ſanitatem ſibi redditam ad Corpus (5) *Henrici Laici* peregrini hominis, cui vitâ functo Tarviſinus Populus caeleſtes honores deferebat, & Miracula innumera tribuebat. At in eo ſane fictionis inſimulandus non eſt Boccaccius, ſcilicet dum Henricum illum tradit Tarviſinorum opinione inter Sanctos adnumeratum. Aequalis enim Ferretus Vicentinus in Lib. 7. Hiſtoriae ſui temporis, Tom. IX. Rer. Italicar. pag. 1164. rem iis verbis deſcribit, quae ſibi locum jure heic poſcunt. Itaque narrat ille mores ac obitum *Henrici* iſtius *Eremitae*, quem Beatum adhuc appellant Tarviſini, & quem multis etiam laudibus ornarunt Johannes Bonifacius Lib. 7. Hiſtor. Tarviſinae, Abrahamus Bzovius, Odoricus Raynaldus in Annalib. Eccleſiaſt. ad Annum MCCCXV. quo ſuprema illius dies contigit, aliique Hiſtoriei. *His quidem diebus* (ſunt Ferreti verba Lib. 7. Hiſtor.) *Henricus nomine, de Vandalis*

(1) *Irreligioſi Scriptoris* nota Joanni Boccaccio jure ne ae merito hic inuſta ſit, me non ſatis dignoſcere fateor. Carpſit ille quidem liberius in *Fabulis* nebulonum, hypocritarum, ſceleſtorumque pravos mores & vitia, quibus uiminm tempora ſua redundabant. Ac ſi quando, qui verendi colendique videbantur ex Inſtitutis, eos etiam ſatyrico perſricuit ſale, traduxitque, id illorum, non Scriptoris vitio videor mihi vertendum: malum enim & in Templo, eoque majus eſſe malum ac deteſtabilius, acriorique caſtigatione dignum, quis ignorat? Quae autem a religione diſſonae ſententiae eique adverſantes, quae dicta, effata & adagia minus pia ſunt, ea non ipſe, verum perditiſſimi, quos pro temporum more blateantes & loquentes (non ſatis certe prudenter) inducit effutiebant temerè, inconſulteque in ſermonibus ſuis uſurpabant homines ignari, neque officiorum Juriumque praeceptis ullis obtendentes, & prorſus effraeni. Nunquid ea de re Boccaccius *Scriptor Irreligioſus?* Nonne potius haud ſatis cautus, & a circumſpectione debita ſaepe ſaepius alienatus erat aequius appellandus? Vide etiam, quae in calce col. 132. &c. Diſs. 38. in Editionis hujus Tom. VIII. admotata fuerunt.

(2) *Ser Ciappelletto.*

(3) De veritate ſive falſitate Fabularum a Boccaccio narratarum vide Mannium in Hiſtoria Decameronis Flor. edit. 1742.

(4) Marcellino.

(5) Ideſt *Arrigo*, o *Arrigho*.

dalis ortum trahens, dum ſaepe Occiduas Eoaſque plagas, Urbemque interdum ob venerandos Dei & Sanctorum cultus pro venia, ſuorumque criminum lavacro repetiſſet, denique patrias reverſurus ad aedes, per Tarviſii callem, unde iter directius, progredi deſtinat. Tum narrare pergit, peregrinum iſtum conſediſſe Tarviſii, & poſt aliquot annos eremiticae vitae deſiiſſe vivere. *Tunc a mulierculis*, ſubdit, *quae ei miniſtrabant, dum ſpiritum languens exhalaret, candidam ſuper eum Columbam ter volaſſe, viſamque ab illo abſcedere, nuntiatum eſt. Haec vox in plures elapſa, ſubitò ad vulgi credulas aures tranſiit. Nec mora: totum fama Urbis ambitum replet.* Neque pluribus opus fuit, ut ad illius cadaver, utpote ſanctiſſimi viri, non Cives tantùm, ſed & copioſa Populorum finitimorum copia, confluxerint, ſanitatem & miracula quaeritantium. Ipſe BEATI titulo continuò donatus. *Redeuntes in patriam advenae ſciſcitantibus, quidnam de Sancto illo viderint, majora Factis Verba quàm fama dicitet, vidiſſe perjurant.* Addit Ferretus ingenuus aeque ac oculatus teſtis: *Vidimus, auditique percepimus, multos dolore magno querentes laeſa nimium crura, precibus anxiis inſtitiſſe: idque ſudor & gemitus ac tortura gravis fieri teſtabantur. Nemo tamen voto potitus ſuo noſtris oculis conſpiciendus advenit.* Haec Hiſtoricus ille, a vulgi judicio diſcors. Equidem ſanctitati Eremitae iſtius, cujus vitam & miracula literis conſignavit Petrus de Baone poſtea Epiſcopus Tarviſinus, & Clariſſimi Patres Antuerpienſes Societatis Jeſu in Act. Sanctor. ad diem X. Junii evulgarunt, non is ego ſum, qui quidquam detrahere audeam, detractumve ab aliis velim. Ultra aequum ſu-

A

B

C

D

E

ſpicionibus tum hcie tum alibi lora laxare velle, non eſt hominis prudentis neque pii. Erit ſuo tempore judex Deus. Nunc nobis aut continenda judicia ſunt, aut in mitiorem partem inclinanda. Haec ergo eo tantùm collineant, ut Lectores intelligant, quàm faciles, immo quàm effrenes olim Populi forent in ſtatuenda hominum Sanctitate, iiſque Caelitum albo adjungendis: a qua improvida feſtinatione, quum Romana Curia, ac tempora noſtra ſapientiſſime abſint, ideo ſuâ laude minime ſunt fraudanda.

Neque diſpar olim fuit impetus ad credendum quidquid Miracuii ſpeciem referebat, etiam ab aniculis traditum, atque ad ſuſcipiendum divinitus veluti factas quaſcumque Viſiones ac Revelationes, quas piae mulieres tunc enarrabant. Quidquid mirabile videbatur, ſine haeſitatione tunc amplectebantur, nil penſi habentes inquirere, veritatis-ne an falſi colorem praeferret. Neque deerant Miraculorum ejuſmodi fictores, tum ut ad ſua Templa uberiorem Populorum ac oblationum confluxum traherent, tum ut ſuis Locis & praediis majorem reverentiam conciliarent. Vera profectò prodigia & Miracula ne iis quidem temporibus deſiderata ſunt: ſed lolium a tritico pauci tunc erant, qui diſtinguerent. Quod tamen accurate praeſtandum, nos ipſa Religio ſanctiſſima docet. Interea ab hiſce altius inveſtigandis lubentiſſime abſtineo. Diſſimulare tamen nolo, fuiſſe, qui quum Eremitas & Peregrinos alienigenas in ſuo ſolo cum odore ſanctitatis vitâ functos accepiſſent, & ad venerandum uti Beatos convolaſſent, tandem ut obſcuram illorum originem detergerent, eiſque non minus quàm loco ſepulturae majo-

rem

reni nominis famam conciliarent, ex illuſtri Regum aut Principum progenie eos deſcendiſſe, primo ſibi, tum aliis perſuaſere. Celeberrimum eſt a multis Seculis Xenodochium Sancti Peregrini ſitum in Apennino in Mutinenſi agro ad Lucenſium fines, quo multa quotsnnis confluunt finitimorum Populorum agmina ad viſitandum Corpus incorruptum ejuſdem *Sancti Peregrini*. Uti fama fert, non nunc nata, atque uti Vedrianus noſter in Hiſtor. Mutinenſ. & Caeſar Franciottus Lucenſis, aliique tradidere, Sancto huic viro pater fuit quidam *Scotorum Rex*. At ipſe amore Dei Regno vale dicens, peregrinatione inſtitutâ ad loca Sanctorum, tàndem in montibus noſtris conſtitit, dignuſque evaſit, qui poſt piiſſimsm vitam reciperetur in Caelis. Quàm idoneis teſtibus ſplendida haec fama nitatur, ignorare me fateor. Sed vide, ut belle conveniant, ut eleganter in hiſce procedant ineruditi Vulgi opiniones. Summontius Tom. I. Hiſtoriae Neapolitsnae (reliquos Neopolitanos praetereo) auctor eſt ad Annum Chriſti MCXIII. *Peregrinum filium Scotorum Regis*, depoſitâ Regni ac terrenarum rerum quacumque cupiditate, ſe totum dediſſe jejuniis, orationibus, corporiſque macerationibus, & poſt longas peregrinationes ad pia loca completas, Neapolim ſe contuliſſe, ubi clarus miraculis diem ſupremum obiit, cujus ſacrum Corpus in Aede ſub ejus nomine aedificatâ adhuc colitur. Addit Summontius, Peregrini hujus Sancti Parentes fuiſſe Alexandrum III. Scotiae Regem, & Sanctam Margaritam Reginam, cujus feſtus dies in Eccleſia Romana agitur IV. Idus Junii. Nihil opus eſt oſtendere, quantum haec abſcedant a veraci Scotorum Hiſtoria. Satis nobis ſit animadvertere, pari honore donatos fuiſſe ambos hoſce Sanctos Peregrinos, & Scotorum Regis filios. Uter verò Populus ab altero fuerit mutuatus, aut ſurripuerit tam ſpecioſam originem Sancti ſui, cujus neutri ne nomen quidem novere, aliis inquirendum relinquo. Nemo non videt, excogitata haec ſeu confiſta utrobique fuiſſe ad celebritatem loco ſacro augendam. Ceterum Romae quoque ſub Leone III. Papa circiter Annum Chriſti DCCCIV. *Oratorium Sancti Peregrini, quod ponitur in Hoſpitali Dominico ad Naumachiam*, memoratur: ita ut videas, non uno in loco titulum *Sancti Peregrini* Xenodochiis impoſitum fuiſſe. Atque hoc revocat mihi in mentem, quod olim audivi a Cl. V. Benedicto Bacchinio, Benedictinorum Mutinenſium olim Abbate. Narrabat ille, in agro Sancti Caeſarii Dioeceſis Mutinenſis, ubi olim fuit Monsſterium, ſive Cella, cujus reditibus nunc fruuntur iidem Monachi Sancti Petri Mutinenſis, ſupereſſe adhuc Aediculam ſacram, in cujus fronte picta occurrit imago Sanctae cujuſpiam feminae, cujus nomen ignotum eſt. Ruſticanum vulgus eo confluens, imagini ejuſmodi exhibebat multae venerationis ſigna; & interrogsntibus, quaenam foret Sancta illa, reſpondebat, eam eſſe *Sanctam Albergam*, hoc eſt, Caelitem in cerebello tantùm popelli illius nstam. Ego populare commentum inde proſectum conjicio, quod uti in Diſſertatione XXXVII. *de Hoſpitalibus* animadverti, omnibus fere Monaſteriis conjunctum olim ſubjectumque fuit aedificium ad hoſpites, peregrinos, aut pauperes excipiendos. Illic ſita fuerit aliqus id genus domus, qusm Italice *il Santo Albergo*

Populus nuncupabat. Sublato autem Xenodochio, & unà Aediculà ſuperſtite cum effigie illà, ſtultum Vulgus ad eam tranſtulit antiquum nomen, ejuſque immutato genere, ignotam mulierem Sanctam inde efformavit. Ceterum ſunt & alii *Peregrini*, quos explorata Sanctitas caelitum honore dignos meritò fecit. Sed fortaſſe non deſiderantur & alii, quos citius, quàm par erat, facilis barbaricorum temporum credulitas in Sanctorum aut Beatorum album intulit. Mirum eſt, quàm parum aurae tunc exigeretur, ut vulgus Sanctitatem alicui deferret, & Miracula ab eo patrata ſibi perſuaderet.

Quamquam quid rude vulgus commemoro? Idem ille ardor, tutelares nempe ſibi apud Deum patronos multiplicandi, & novos adſciſcendi, quum praecipue id ſumme honorificum apud homines videretur, ipſos interdum Myſtas, viroſque religioſos olim perſuaſit, ut oblatam quamcumque occaſionem arriperent, qua ad ſuos theſauros aliqua fieret nova in dies ſacrorum pignorum acceſſio. Sed num cautius, prudentiuſque egere tempora ſubſequuta? Mitto nunc Higueram, Tamayum, Ramireſium, alioſque famoſos homines Hiſpanos, qui proxime praeterito Seculo quaeſituri immenſum decus genti ſuae, illam gravi dedecore onerarunt, confictis multis Caelitibus, & in Martyrologium Hiſpanicum, toto Caelo repugnante ac irato, intruſis. Ignorantiam ſaepius, quàm audaciam atque malitiam in barbaris Saeculis deprehendas; atque excuſandi ſunt, qui, ſi quando in errorem declinavere, bonâ ſaltem fide, atque ex animi ſimplicitate errarunt. Qui ſecus egere, digni ſunt, quibus univerſa iraſcatur Chriſti Fidelium Reſpublica.

A Ad hunc fontem referendum eſt, quod habet Daniel Papebrochius e Soc. Jeſu, Vir clariſſimus, & de literis atque Eccleſiaſtica Hiſtoria optime meritus, in Actis Sanctor. Tom. V. Maji, pag. 223. Nam quum Ravennae is eſſet Anno MDGLX. & rogaretur, ut Latine explicaret Inſcriptionem Graecam, poſitam *Sanctae Argyridi matronae & Martyri*, B cujus ibi feſtum ab aliquot annis agebatur die XXIV. Aprilis: eam ille ita loquentem invenit, ex Graeco in Latinum converſam.

DULCISSIMAE MULIERI
ARGYRIDI
C TROPHIMUS MARITUS
ANNIS VIXIT XXXVI.

Feminam fortaſſis Ethnicam, certe non Martyrem, lapis ille indicabat. Quare delata res Romam fuit, ac deinde marmor amotum, & Corpus falsò creditae Martyris e Templo D exturbatum. Alterum quoque aetatis noſtrae, atque Benedictini Ordinis ornamentum, Johannes Mabillonius Vir Cl. in ſuo Itinerario Italico, non immeritò dubitavit, eſſent ne tolerandi in albo Sanctorum, an inde expungendi *Catervius & Severina* Conjuges, apud Tolentinates magno in honore habiti, quum ad eorum E Sanctitatem ſtabiliendam marmor, quo unice ea opinio niti videtur, nihil momenti adferret. Inſcriptionem iis poſitam ac diligenter deſcriptam habes apud Fabrettum Cap. X. Inſcription. pag. 740. Certe nemo inde Catervii Martyrium exſculpat. Verùm nulla mihi in hoc genere gravior & foecundior hallucinatio uſquam occurrit, quàm quae in Libro

bro Hiſpanico de Sanctis Sardiniae legitur, Calari typis edito, Anno MDCXXXV. Auctor *Dionyſius Bonfantus*, Theologiae & Juris utriuſque Doctor. Titulus Libri: *Triumpho de los Sanctos del Reyno de Cerdenna*. Improbo labore Scriptor ille collegit, quotquot potuit, antiquiſſimas Inſcriptiones Chriſtianorum, in Sardinia adhuc marmore inſcriptas, & ubicumque reperit (in quamplurimis autem reperit) duas haſce literas B. M. tot inde bonus homo, ſuorum Civium interpretationem ſequutus, *Martyres* & Sanctos efformavit. Inſtar omnium ſit unum exemplum.

✠ HIC IACET B. M. LVCIANVS QVI VIXIT ANNIS PL. M. LXX. QVI EVIT IN PACE POSITVS V. KAL. IVNII ☥

Ita haec ille explicat. *Hic jacet Beatus Martyr Lucianus, qui vixit annis plus minus ſeptuaginta: quievit in pace poſitus V. Kalendas Junii:* Tam commodâ ratione non unum Sanctum Martyrem, ſed ſupra trecentos (numerare enim omnes me piguit) Bonfantus noſter ingenio ſuo, aut ſuorum Civium, procudit, quum tamen literae illae B. M. nihil aliud ſignificent, quàm *Bonae Memoriae*, uti alia apud ipſum exempla evincunt; aut *Bene Merens*, vel *Bene Meritus*, ſeu *Bene Moriens*, ut apud Aringhium in Roma Subterranea, & apud Fabrettum in Sylloge antiquar. Inſcription. & apud alios ſaepe occurrit. Verba illa *quievit in pace* heic, ut & alibi unice *Chriſtianum* vitâ functum, non verò Martyrem aut Sanctum exhibent. Praeterea literae illae B. M. tam Ethnicis, quàm Chriſtianis conveniunt. Quamquam quid culpo Scriptorem hunc unum? Non haec ille primus venditavit. Narrat enim, tot Corpora Sanctorum, ſi Superis placet, eorumque Inſcriptiones, reperta ac effoſſa fuiſſe ab Anno circiter MDCXV. uſque ad MDCXXVI. & Archiepiſcopi, aliorumque Sardorum opinionem praeceſſiſſe, putantium atque aſſeverantium, illic agi de Sanctis Martyribus. *Expurgatus* fuit Bonfanti Liber, quem teneo, *juxta Judicem Hiſpanum Anni MDCXL. & decretum ſanctae Inquiſitionis generalis Anni * MCXLI.* ut ibi ſcripta notula teſtatur. Quàm vellem, Cenſores ii tantam potius confictorum Martyrum copiam deleviſſent, hoc eſt Librum totum unâ liturâ purgaſſent! Si plura hac de re cupis, vide Papebrochii ſupra laudati Commentarium de Sancto Lucifero Epiſcopo Calaritano Tom. V. Act. Sanctor. Maji. Qui etiam teſtatur, ejuſmodi Sardorum Martyrum inventionem ad Romanos Cenſores fuiſſe delatam. Quid verò fuerit ab iis pronuntiatum, nuſquam legi. Sed quod mirari pergas, Italiam quoque tot Sacrorum pignorum in *Sardinia* exhumatorum fama adeo implevit, ut Placentini Cives theſauri tanti partem enixis precibus ſibi procurarint. Et voti quidem compotes facti ſunt eximiâ Sardorum liberalitate, a quibus non unum, ſed *Vigiuti* ex iis Corporibus, judicio tam praecipiti ſanctificatis, impetrarunt. Rem narrat, & prae exſultatione paene extra ſe exſilit Petrus Maria Campius, vir alioqui de Eccleſiaſtica Hiſtoria Placentina bene meritus Tom. I. Lib. 6. ad Annum DCCXXV. Ibi poſt narratam Corporis Sancti Auguſtini

* Legendum videtur, ni fallor, MDCXLI.

tran-lationem Ticinum, ſuos Cives *non minus fortunatos* appellat, non ſolùm quod digitum indicem Sancti Doctoris & ipſi ſuerint conſequuti; ſed etiam *nell' impetrare a' giorni noſtri, per ſingolare dono del Cielo, dalla medeſima Città di Cagliari, e dallo ſteſſo luogo della Baſilica di San Saturnino, non un ſol Corpo Santo, ma fino al numero di Venti; e tutti, fuorchè uno, glorioſiſſimi Martiri di Chriſto, venuti di là per noſtra buona ventura quaſi in un medeſimo tempo a proteggere anch' eſſi queſta Città. Cioè tre di eſſi nell' Anno* 1643. *cinque altri nel* 1646. *e altri dodici nel Luglio, e nel Dicembre del* 1647. Neque haec tantùm Corpora Placeotini a Sardis impetrarunt, ſed etiam *Nonaginta* alias inſignes Reliquias *di varj altri Santi, tutti parimente invittiſſimi Martiri del Signore*. Singulorum nomina recenſet Campius. Tum addit: *Ma dee quì avvertire il divoto Lettore, non eſſere alcuno de' prenominati Santi o Sante, i medeſimi o le medeſime, che con gli ſteſſi nomi ſi celebrano da Santa Chieſa ne' Calendarj e Martirologi ſuoi: ma differentiſſimi totalmente &c.* At bone Campi, hoc unum ſuſpicionem erroris adferre tibi potuit ac debuit. Neque enim antiqui tantam Martyrum ſegetem ignoraſſent, ſi vera fuiſſet, quum Eccleſiae invicem altera alteri ſuorum certamina, beatamque mortem ſignificarent, eorumque Acta literis conſignare ſolerent. Sed prope eſt, ut dicam: nos non ſecus atque in aliis bene multis rebus, quae nobis placent, ultro caecutire volumus, atque iraſcimur, ſi quis in animum inducat, morbum tam gratum nobis eripere. Profectò qui barbaricorum temporum ſerinia intime excutit, non pauca offendit, quae aut riſum, aut commiſerationem excitant, ob malitiam, ſed longe ſaepius ob ignorantiam hominum temporis illius, ſero ſane depulſam. Suppeditavit mihi amicus vir Joſeph Scalabrinius, publicus ſacrarum Literarum Profeſſor Ferrariae ſupplicem libellum, quem Praeſides Hoſpitalis Domus Dei Ferrarienſis obtulerunt Borſio Ateſtino Duci Mutinae, Domino Ferrariae die 7. Decembris Anno Chr. 1459. petentes: *Quod ſibi concederetur facultas & arbitrium erigendi unum Oratorium, ſive Altare ſub nomine & vocabulo Sancti Bonis* (ſort. *Bovis*) *ſive Bubonis de Antona in ipſorum habitantiis &c. Cum hoc quod liceat ipſis ſub dicto nomine & vocabulo quaeſtuare, & eleemoſynas petere ubique locorum praefati Domini noſtri &c.* Norunt eruditi, inter Romanenſes Fabulas non poſtremam eſſe famam Militis, cui nomen *Buovo d' Antona*. Si de eo ſermo fuit apud Ferrarienſes, Lectoribus ea de re judicium dimitto. Meminiſſe tamen juvat, Viqueriae ejuſdem nominis Sanctum virum coli, de quo conſulenda Acta Sanctorum Bollandi & ſociorum ad diem XXII. Maji. Is tamen minime *de Antona* dicitur.

Heic autem reticere nolo, ante paucos annos in ejuſmodi negotio exquiſitam fuiſſe ſententiam meam. Scilicet Cl. V. Jacobus Facciolatus in Patavino Gymnaſio Philoſophiae Profeſſor, & Latinae eloquentiae aevo noſtro io Italia princeps, literis ad me datis ſignificavit, haberi Patavii Corpora duo, Româ illuc advecta Anno MDCLXXXVIII. unà cum mormorea tabula vetuſtiſſimam praeferente Inſcriptionem. Quumque ageretur de iis publicae venerationi exponendis, quid ſentirem ego, percontatus eſt: an videlicet ea credere-

rem

rem Corpora Sanctorum, & quidem Martyrum, & quot in eo lapide Martyrum nomina ſcripta forent. Ecce ab eo miſſam ad me Inſcriptionem.

HILARI VIVAS ☥

IN DEO ☥

HERACLIE ☥ COMPA
RI ☥ SVAE ☥ BENEME
RENTI FECIT QVE VI
XIT ANIS XXI IN PA
CE ☥ LIBERI VIVAS IN

Reſcripſi, videri quidem mihi poſitam Inſcriptionem tribus hominibus, duobus nempe maribus & uni feminae. *Hilarius* primo loco occurrit iis verbis HILARI (vocandi caſu) VIVAS IN DEO. Quae poſtrema formula frequens eſt in titulis ſepulcralibus veterum Chriſtianorum, & Chriſtianos ſine dubitatione prodit, ac praeſertim addito Monogramma-

te  , nomen Chriſti, ut notiſſimum * eſt, referente. Alter vir *Libertus* in iis verbis, quibus Inſcriptio concluditur, LIBERI (vocandi quoque caſu) VIVAS

IN . Inter eos ſita eſt *Heraclia* ſive Hilarii, ſive Liberii *Compar*, hoc eſt *Conjux*, uti centena alia ejuſmodi exempla oſtendunt. Et quamquam immutatâ formâ loquendi, ſuſpicari quis poſſit, *Heraclium* viventem marito vitâ functo monumentum poſuiſſe, quaſi *Heraclie* Graecum nomen caſu nominativo uſurpetur: ſtatuendum tamen eſt, omnino heic agi de muliere, quae & ipſa diem ſuum obierat. HERACLIE dativus eſt caſus, quamvis diphtongus abſit. Abeſt autem in innumeris aliis plebejis, immo interdum & in melioris aevi Inſcriptionibus. Subſequentes voces COMPARI SVAE BENEMERENTI certos nos faciunt, *Heraclie* ſcriptum fuiſſe pro *Heracliae*. Et quum ſubſequatur QVE (& heic diphtongum deſiderari vides) VIXIT AnNIS XXI. nihil ultra deſiderandum, ad ſtatuendum, hujus quoque epitaphii participem fuiſſe *Heracliam*, non ſecus ac reliqui, e vivis raptam. Altera etiam formula IN PACE feminam tum Chriſtianam, tum mortuam confirmat. Sunt enim in veterum Seculorum monumentis ſingulares quaedam dicendi formulae, ex quibus ſine dubitatione deducas, illic de Chriſtiano homine agi; exempli cauſſâ IN PACE: DEPOSITVS: IN SECVLO: DECESSIT: DORMIT: RE-

* Ut plurimum utique, ſed non ſemper & ſine dubitatione, Monogramma iſtud Nomen Chriſti ſignaſſe putandum eſt: reperiri enim aliquibus in Ethnicorum monumentis & Cimeliis, praecipue (ſi bene memini) in aenea Lucerna auctor eſt *Burchardus Mencken.* Diſſertationum Academic. in Decade &c. Lypſiae 1734. ibique etiam *chalcographice* delineatam eam retulit, ☧ non uno in loco referentem.

RECESSIT: ſeu REQVIESCIT, addito IN PACE (hoc etiam ſubintelligitur verbis illis IN PACE ſine verbo poſitis) QVIESCIT: BONAE MEMORIAE: VIVAS: VIVE IN DEO. IN CHRISTO. IN SOMNO PACIS. Idque pariter oſtendit monogramma *Chriſti*, cum aliis Symbolis, ab Aringhio deſcriptis atque illuſtratis. Ego paucula e Schedis meis MStis adtexam.

A

In Hiſpania in Vico Bujalance, in agro Petri Alphonſi de Caſtro.

B

C

Flores ſubtus inſculpti ſunt.

In Inſula Sancti Julii agri Novarienſis.

B ✠ ✠ M

HIC REQuieSCIT in Pace SCM FYLACRIVS
EP. Eccl. Novar. qui vixit in
SECVLO ANNOS PL. M.
XVI. DepoSITVS S. D. XVIII. Calendarum
Ianuariarum Indictione Secunda
ANno Decimo..... nnoris V. C.

Philacrii hujus *Sanctae Memoriae Epiſcopi Eccleſiae Novarienſis* aetatem non facile ſtatuas. Anno Chriſti CCCCXXXIV. decurrebat *Indictio Secunda*, aut Anno CCCCXXXIII. ſi ejus exordium a Septembri deſumas. Tunc etiam fluebat *Annus Decimus* Valentiniani *Junioris* ſeu *Minoris* Auguſti. Vide, an ad ipſum Annum referri poſſit *Depoſitio* Epiſcopi hujus, quem

D

Ughellius ignoravit. Quamquam quum nulla *Auguſti* nominis occurrat heic mentio, potiùs videtur indicari Annus Decimus *poſt Conſulatum* alicujus *V. C.* ideſt *Viri Clariſſimi*, puta, *Paulini*, *Baſilii*, *Fauſti*, *Avieni* &c. Sed & Chriſtiani Imperatores hoc titulo donati occurrunt in Notis Conſularibus.

Erixi-

Brixiae apud Averoldos nobiles Viros.

Hic requieſcit
IN Pace Leontius
Qui vixit PL̄ MINVS
ANN. XL. DEP SVB DIE
VI M̄ FEBR Ind. III. PRO L S

Poſtrema verba *loco ſacro*, ideſt *in loco ſacro*, *vel Sepulcri*, interpretari licet.

Mediolani in Sancti Ambroſii.

HIC REQVIESCVNT IN
PACE ERETRIVS ET ANT
ONINA VIRGINII QVI SI
MVL FECERVNT ANN
XX7. MARITVS VIXIT
ANN. XL7III. ET VXOR
VIXIT ANN. XXX7II. D. P.
IDVS DECEMBRIS
HONORIO 7 CONS.

Virginii, ideſt *Conjuges*, uti in novo Theſauro veterum inſcriptionum oſtendam.

Ad Annum Chriſti CCCCII. pertinet Inſcriptio haec, ſi notam numeralem 7 pro V. interpreteris, uti jam pluries interpretatus fuit Reineſius Claſs. 20. Num. XI. Incription. Antiquarum, & infra Num. 61. & 165. &c. Quam ſententiam ſi amplecteremur, non ex Arabum gente, ut multi putant, arithmetica nota numeri Quinarii, qualis nunc vulgo uſurpatur, ſed ab antiquiſſimis Latinorum Seculis ad nos veniſſet. Verum a ſcopo aberravit Reineſius. Cardinalis Noriſius, Fabrettus Cap. 7. pag. 540. Inſcription. Antiquar. & Mabillonius de Re Diplomat. Lib. 2. Cap. 28. & in Supplement. pag. 95. variis exemplis oſtendunt, Notam hanc; cui modo eſt figura 5, modo S, ſenarium numerum referre. Id etiam in ſua Diplomatica confirmavit Clariſs. Marchio Scipio Maffejus. A Graecis nempe hanc notam mutuati ſunt Latini, eſtque illorum 5. figma, *VI.* ſignificans. Ac propterea *Honorio VI. Conſule* heic eſt legendum, ita ut inſcriptio pertineat ad Annum Chriſti CCCCIV. quo is Conſulatum Sextum iniit. Apud eundem Fabrettum Cap. X. Num. 486. occurrit DEPOSITA CANDIDA DIE S. IDVVM MAIARVM. Illud S. eadem eſſe numeralis Nota mihi videtur non ſatis accurate deſcripta. Videndus Hadrianus Relandus in Praefatione ad Faſtos Conſulares, qui animadvertit a gente Arabicâ ad nos, ad Arabes vero ex Indis veniſſe Notas numerales, quibus vulgo nunc utimur. Neque id recens inventum. Quippe ſignificavit mihi, dum in vivis erat, Hubertus Benvoglientus Senenſis, antiquitatum venator indefeſſus, ante quinque Secula eaſdem *Cifras* appellatas fuiſſe *Indicas* a *Leonardo Piſano* in ſuâ Arithmeticâ nunquam typis editâ, quam domi ſuae ſervabat idem Benvoglientus. Libri titulum accipe. Incipit *Abbacus Leonardi de Domo Filiorum Bonatii Piſani, compoſitus Anno MCCII. correptus ab eodem Anno MCCXVIII.* Piſani tunc in Orientem mercaturae cauſsâ ſaepe navigabant, atque Arithmeticam a Saracenis ſive Arabibus, hujus Artis peritiſſimis, diſcebant. Teſte Willelmo Malmesburienſi Lib.

2. Hi-

2. Hiſtor. Gerbertus Archiepiſcopus Remenſis, poſtea Silveſter II. Papa Anno Chriſti DCCCCXCIX. a Saracenis Hiſpanis *Aſtrologiam*, *Abacum*, *cetteraſque Artes didicit*. Haec obiter.

Romae in Sancti Sebaſtiani.

AVRELIVS EVGENIVS IN PACE.

AVRELIA BEROSA IN PACE

Ibidem apud Sanctor. Apoſtolor. intra domum Epiſcopi Sipontini.

L. CLODIA LVPERCILLA IN PACE
BENE DORMIT QVAE VIXIT ANN.
XXVIII. M. VII. MEC. VIXIT ANN. XIII.
M. VIII. D. XVIII. AVRELIVS ATIMETVS
CONIVGI B. M

Si L. praepoſitum Clodiae revera ei praenomen additum ſignat, ne mirere. Rarum id quidem, ſed minime peregrinum, ut alia feminarum monumenta produnt.

In Delmatia.

B. M. CLEOPATRAE FILIAE DVLCISSIMAE
QUAE VIXIT ANN. I. M. IIII. D. IIII.
PONTIANVS ET TEVGILLA IN PACE

Puteolis in muro Horti Sancti Franciſci.

ANNO ..... CHRYSANTIVS
PATRON
FLORENTEM MERITIS CHRY
SANTI NOMINE FAMAM
PATRIA CONCELEBRANT CVNCTI
POPVLIQVE PATRESQVE VOCIBVS
ET CLAROS TITVLIS CONSIGNAT HONO
RES ☿ TEQVE TVOSQVE MANET
LONGOS MANSVRA PER ANNOS.
FELIX PROLE VIRI DIGNOS QVESITV
RA NEPOTES ☿ AD VT SVMME
DEVS CHRYSANTI RESPICE GENTEM.

A

Aquilae in Urbe Aprutina in adytis Sanctae Juſtae.

CATERVIO FILIO DVL
CISSIMO QVI VIXIT AN.
XXIII. D. IIII. DP.
XII. KAL. SEP. AR
CADIO IV. ET ONORIO III.

B

Ad annum Chriſti CCCXCVI. referenda eſt haec Inſcriptio.

Ibidem in Sancti Silveſtri.

C

BONAE MEMORIAE FILIO DVLCISSIMO
LAVRENTIO
VIXIT. ANN. XVI. M. V. D. IIII.
DECESSIT
IIII. IDVS AVG. VALENTINIANO ET
VALENTE CONSS.

Ideſt Anno Chriſti CCCLXV.

D

Mediolani in Sancti Franciſci.

VALERIVS QVI
VIXIT IN SAECVLO
ANN. XL. M. X. D. V.
IANVARIVS EXORCISTA
SIBI ET CONIVGI FECIT.

E

Ibidem in Sancti Vincentii.

B PROVIN A ☧ ω INNOCINI M.
QVI VIXIT IN SAECVLO AN. VII. M. IIII. D. XI.
GERONTIVS ET ROBINA FILIO PIENTISSIMO
IN PACE POSVERE IND. FP. IIII. IDVS FIB.

Ibidem.

Ibidem.

B. M.
HIC REQVIESCIT IN
PACE CONSTANTIA
QVAE VIXIT IN SAE
CVLO AN. XIII. ANI. . . . .

Ibidem apud Comites Archintos.

B. ✠ M.

HIC REQVIESCIT
IN PACE ODELBERTVS
QVI VIXIT IN SECVLO
ANNOS PL. M̄I. LXII.
D. EST SVB D. XVIIII. M̄.

Ibidem.

Odelbertus, & Manfritus Langobardica nomina videntur, ac proinde ad eorum tempora referendam opinor inſcriptionem iſtam, quamquam Formulae Secula vetuſta ſapiant.

Ticini effoſſa anno Chriſti MDCCXV. e ruderibus Aedis Sancti Gervaſii.

B. ✠ M.

ENNIAE VERAE FEMINAE RELIGIOSAE
QUAE VIXIT IN SAECVLO AN. XIII. M. V.
D. XII. CVM COMPARE VIXIT SINCERE
AN. XXV. VAL. CAMPANIANVS CO
IVGI DILECTISSIMAE P. DIE XII. KAL. OCTOB.

Subditur aliâ characterum figurâ.

I. . . . . ET NEPOS EIVS SENATOR VIXIT ANNOS IIII. ET DIES XIII.

Quei mulier haec *in Saeculo*, hoc eſt *in Mundo* vixiſſe dicatur *Annos XIII.* tum vixiſſe cum Marito *Annos* * *XV.* non aſſequor. Fortaſſis exciderit quadratario nota *L.* & ſcriptum fuerit *An. LXIII.*

* Repone XXV. ut in Inſcriptione.

Romae.

GERONTIO ET CONSTANTIO PATER INFELIX.
VOS EQVIDEM NATI CAELESTIA REGNA TENETIS,
QVOS RAPVIT PARVOS PRAECIPITATA DIES.
AT MIHI QVAE REQVIES ONEROSA IN LVCE MORANTI,
QVOI SOLVS SVPEREST ET SINE FINE LABOR!
QVAM MALE DE VOBIS FALLACIA GAVDIA VIDI,
ET DECEPTVRVS ME IVGVLAVIT AMOR!
REDDEBAR TENERIS IN VULTIBVS, IPSAQVE PER VOS
TEMPORA CREDEBAM LAPSA REDISSE MIHI.
SENTIO, QVID FACIAT SPES IRRITA. PESSIMA SORS EST
SUPPLICII AFFLICTO, QVEM SVA FATA PREMVNT.

Dubitari tamen potest, an haec pertineat ad Christianos.

In Oppido Brixelli, olim Civitate, ad Padum.

P. TERENTIVS
P. L. SYNTROPHVS
HIC REQVIESCIT

Aliquando *REQVIESCIT* in tumulis Paganorum legitur; frequentissime vero in Christianorum monumentis.

Romae apud Prosperum Mandosium Equitem, V. Cl. amicum olim meum.

PASCASVS VIXIT
PLS MINVS ANNVS XXII.
FECIT TATV IIII. IDVS
OCTOBRIS ϟII. ANTE
NATALE DOMNI AS
TERI DEPOSITVS IN
PACE A ☧ ω ↄ

A Me heic remorantur verba illa FECIT TATV. Num pro *Fecit Pater? Tata* enim appellatus olim Nutritor aut Pater, uti in Dissertatione XXVIII. *de Origin. Italicar. Vocum* dixi. Heic autem habes eamdem notam numeralem ϟ, de qua nuper egimus, ita

B ut significet *Depositum* hunc virum *Octavo die ante natale Domni Asteri.* Sed quis *Asterius* iste? Num *Sanctus Asterius Presbyter, & Martyr*, cujus Natalis in Martyrologio Romano refertur ad diem XII. Kalendas Novembris, five ad diem 21. Octobris, cujus Corpus apud *Ostia Tiberina* honoratur? An potius *Asterius* aliquis inter Proceres Romanos, qui *Domnus*,

C hoc est *Dominus* Pasehasii istius, videlicet Servi, fuerit? De nobilissima & Consulari *Asteriorum* gente vide, quae habeat Norisius Cardinalis eximius, Dissertat. IV. Cap. II. §. I. in Coenotaph. Pisanis. Nonnulla, & ego attuli Tomo I. pag. 143. Anecdotor.

I I La-.

Latinorum. Sed omnia heic congruere videntur in *Martyrem Aſterium*. Nam in Martyrologio Hieronymiano Florentinii, in Strozziano, in Appendice ad Martyrologium Adonis, Sancti Aſterii Martyris Romani feſtus dies recurrit *die XIX. Octobris*, non autem *XXI.* ut in Romano, aliiſque Martyrologiis. Computa a *Die IV. Idus*, ſive a *Die XII. Octobris* a diem XIX. habes *VIII. dies* ante Natalem Martyris Aſterii.

Mutinae in aedibus Johannis Rangonii Marchionis.

PHILADELFO
QVI IN SEGVLO FVIT
ANN. XXI. M. VII. D. XIII.
EVTHYMVS ET PHILADELFIA
FILIO.

Romae in Sancti Nicolai in Carcere.

ASSVRIVS
IN PACE
ONESIMVS
FRENE

Subſequentem inſcriptionem, Anno Chriſti CCCXCVII. confectam evulgavit Fabrettus Cap. 4. Num. 128. Inſcriptionum Antiquarum, ſed mutilam. Integram ego, & accuratius deſcriptam dabo e ſchedis MStis doctiſſimi Viri Dominici Paſſionei, qui olim apud Caeſarem Apocriſarii, ſeu Nuntii Apoſtolici, munere ſumma cum laude fungebatur, nunc ampliſſimi S. R. E. Cardinalis.

Romae ad Sanctae Mariae in Via Lata.

SANCTAE CONIVGI CAELESTINAE
QVAE VIXIT ANNIS XX. MEN
SEN I. DIES XXII. FECIT AVTEM
CVM AMPLIATO MARITO ANN
IS IIII. DIES XXI. BENEMERENTI
IN PACE DEPOSITA VIIII. KAL. I
VNIAS. HILARITATI FILIAE BE
NE MERENTI IN PACE QVAE
VIXIT ANNIS XXIII. M. VIII.
D. XXVIII. FECIT CVM MARITVM
ANNOS V. DIES VI. DEPOSITA IIII.
NON. IVL. CAESARIO ET ATTICO CON.

Salonae.

DEP. FL. IVLIVS ZACONVS ET
IVL AVRELIA MERIA CON
ZACO IVX EIVS HOC SARCOFA
NIS CVM SIBI VIBI POSVERVNT
DIE III. SI QVIS POST NOSTRAM PAV
NOVEM SATIONEM HOC SARCOFA
BRES GVM APERIRE VOLVERIT IN
DATIA FERAT ECCLESIAE SALON. AR
NO ET GENTI LIBRAS QVINQVAGINTA
CEREA
LE COSS.

Ad Annum Chriſti CCCLVIII. pertinet haec Inſcriptio, poſita *Flavio Julio Diacono*; Veteres pro DIA, Aſrorum, ſive Doricae Dialecti more, aliquando dixerunt *ZA*. Apud antiquiſſimum Poëtam Chriſtianum Commodianum *Zacon* pro *Diacon*, ſeu *Diaconus* occurrit. Ita *Zabulus* pro *Diabolus*. Communis Eruditorum opinio eſt. Diaconos etiam Seculo Chriſti Quarto continentiae addictos fuiſſe. Sunt in hanc rem Siricii Papae, tum Innocentii I. Ambroſii, aliorumque Patrum verba. Verùm Salonitanus iſte Diaconus aut ex iis fuit, qui, ubi ad ſacrum munus adlectus eſt, ab uſu uxoris abſtinuit (quod & Epiſco-

pi & Presbyteri faciebant) aut ex iis, qui teſte ipſo Siricio, hunc abuſum improbante in Epiſtola ad Himerium, *de conjugiis propriis ſobolem procreabant*. Ceterum in ipſa Urbe aeterna etiam Seculo V. ſubſequente Diaconi A uxorati numerabantur, ſed ſublato inter eos carnis commercio. Refert Aringhius Rom. Subterran. Lib. 3. Cap. 3. Inſcriptionem, Anno Chriſti CCCCLXXII. poſitam Romae in Baſilica Sancti Pauli.

LEVITAE CONIVNX PETRONIA, FORMA PVDORIS,
HIS MEA DEPONENS SEDIBVS OSSA LOCO.
PARCITE VOS LACRIMIS DVLCES CVM CONIVGE NATAE,
VIVENTEMQVE DEO CREDITE FLERE NEFAS. &c.

Altera ibi inſcriptio legitur, *Adeodato Diacono* poſita, & *Mariae*, illius, ut videtur, uxori. Apud Fabrettum Cap. X. pag. 758. in Romana Inſcriptione occurrit:

DOMETIV DIAC. ET ARCARIVS
SCAE SEDIS APOSTOL. VNA CVM
ANNA DIAC. EIVS GERMANA

B Haec ſcilicet *Anna*, ut opinor, illius Conjux extitit; ſed ex quo Diaconatum inierat, facta *Germana*. *Sorores* nempe appellabantur Uxores Presbyterorum & Diaconorum, quod uti Sorores, non uti Uxorea, haberentur. At ſuſceptum iter progrediamur.

Romae in Sancti Apollinaris.

AVR. GANDIDIANAE. BENE. QVESQVEN
TI. IN. PACE. QVAE. VIXIT. ANNIS. XXXI.
MENSES. VIIII. CVM. MARITO. FVIT. ANNOS.
XI. MENSES. VIII. DIES X. DEPOSITA. KAL.
APRIL. CONSTANTINO. AVG. II. ET. CONSTANTE. AVG. COSS.

Queſquenti pro *Quieſcenti*. Uti e Conſularibus Faſtis habetur, pertinet Inſcriptio haec ad Annum Chriſti C CCCXXXIX. Sed pro *Conſtantino* legendum *CONSTANTIO*.

Ibi-

Ibidem in Sanctae Agnetis pro fulcro altaris.

D HVIC TVMVLO QVIESCET TOTIVS FI
INTEGRITATIS HOMO OPINIONIS BONI AV
RATIONE FIDELIS MENTIS INTEGRAE
AMICORVM OB HOC IGITVR NEOFITVS SPAC
AVFINIANVS QVI VIXIT ANNIS XLII. DEPOSITVS
DD. NN. ARCADIO IIII. ET HONORIO III. AVG.
COS.

A Conſules iſti Annum Vulgaris Aerae CCCCXCVI. deſignant. *Auſinianus* autem heic memoratus, quum *Neophytus* appelletur, prodit ſe Anno aetatis ſuae quadrageſimo ſecundo, ac vitae ſuae poſtremo, ad Chriſti lavacrum acceſſiſſe. Ex iis fortaſſis fuit, qui ad aegritudinem, mortiſque periculum gratiam Baptiſmatis, pro more parum laudabili eorum temporum, diſtulit.

Mediolani in Sancti Ambroſii.

B TIGRIS SE VIVA FECIT SIBI DOM

NALEM

Hoc eſt *Domum Aeternalem.*

Ibidem in Sancti Simpliciani.

B. M.
HIC REQVIESCIT IN PACE LAVRENTIVS
QVI VIXIT ANN. PL. M. LXV.
DEPOS. SVB D. XV. KAL. DECEMB.
ET IO. CON.

Si *Johannem Conſulem*, ut veri videtur ſimile, Inſcriptio iſta deſignat, referenda eſt ad Annum Chriſti CCCCXCVIII. aut ad CCCCXCIX.

Salonae.

C DEPOSITIO VALE
RIANI INFANTIS
X. KALENDAS AV
GVSTAS

Romae in Sancti Pauli.

LOCVS BASILI PRESB.
ET FELICITATI EIVS SIBI FECERVNT.

Ibi-

Ibidem.

NE DVBIVM LONGO QVAERAT [illegible]
THEODVLI TIBI NOMEN ERAT, QVAE GRATA PARENTI
REDDIDERAS SVBOLEM, PARI DICATA MARITO
NVNC TE TELLVS HABET. SEPTEM POST DECE PERACTOS
EXEGERAS FASCES. EV TEGIT OSSA SEPVLCRVM
HAEC TIBI PRO MERITIS PENDO MERENTIA VOTA
DEP. V. ID. SEPTEMB. D. N. HON. AVG. III. CONS.

Nota Conſularis Annum Chriſti CCCXCVIII. indicat.

Romae in Sanctae Sabinae:

IVSTA QVE BIXIT ANNVS L.
MENSIS V. DIES XX. DEPOSITA
XVII. KAL. OCTOBRES IN PACE

Hiſce adjunctam volo Inſcriptionem, Anno MDCCXXVIII. detectam in inſigni Baſilica Sanctae Agnetis extra moenia Romae, quum illius pavimentum reſarciretur. Eam humaniſſime mecum communicavit praeſtantiſſimus Antiquitatum Romanarum inveſtigator, Marchio Alexander Capponius, multis mihi titulis ſemper commendandus. Inſcriptionis Auctor Sanctus Damaſus Papa circiter Annum Chriſti CCCLXX. Et eam quidem jam editam habebamus inter Sancti ipſius Pontificis Opera, ſed non uno in loco deformatam, uti e conlatione conſtabit.

Carmen Sancti Damaſi Papae de Sancta Agnete Martyre, ut eſt in editis.

„ FAMA REFERT, SANCTOS DVDVM *GENVISSE* PARENTES.
„ *AVGMENTVM LVGVBRIS* CANTVS TVBA *DVM CREPVISSET*,
„ NVTRICIS GREMIVM SVBITO LIQVISSE PVELLAM,
„ SPONTE *TRVCES* CALCASSE MINAS RABIEMQVE TYRANNI,
„ VRERE CVM FLAMMIS VOLVISSET NOBILE CORPVS,
„ VIRIBVS IMMENSVM PARVIS SVPERASSE TIMOREM,
„ *NVDAM PERFVSOS CRINES*, *ET* MEMBRA DEDISSE,
„ NE DOMINI TEMPLVM FACIES PERITVRA VIDERET.
„ *O AGNES VERVM* DECVS, ALMA PVDORIS *IMAGO*,
„ VT DAMASI PRECIBVS FAVEAS, PRECOR, INCLYTA *VIRGO*.

Idem

Idem Carmen expreſſum e marmore, quod Anno MDCCXXVIII. emerſit Romae.

FAMA REFERT SANCTOS DVDVM RETVLISSE PARENTES
AGNEN; CVM LVGVBRES CANTVS TVBA CONCREPVISSET,
NVTRICIS GREMIVM SVBITO LIQVISSE PVELLAM:
SPONTE TRVCIS CALCASSE MINAS RABIEMQ; TYRANNI;
VRERE CVM FLAMMIS VOLVISSET NOBILE CORPVS,
VIRIB; IMMENSVM PARVIS SVPERASSE TIMOREM;
NVDAQVE PROFVSVM CRINEM PER MEMBRA DEDISSE,
NE DOMINI TEMPLVM FACIES PERITVRA VIDERET.
O VENERANDA MIHI, SANCTVM DECVS, ALMA PVDORIS,
VT DAMASI PRECIB; FAVEAS, PRECOR, INCLYTA MARTYR.

Alteram quoque Inſcriptionem in pavimento ejuſdem Baſilicae Sanctae Agnetis detectam praelaudatus Illuſtriſſimus ac eruditiſſimus Marchio Alexander Capponius ad me miſit, quam publici juris nunc facio. | A |

PRESBITER HIC SITVS EST, CELERINVS NOMINE DIO,
CORPOREOS RVMPENS NEXVS, QVI GAVDET IN ASTRIS.
DEP. VIIII. KAL. IVN. FL. SYAGRIO ET EVGERIO.

Pertinet ad Annum Chriſti CCCLXXXI. Epitaphium. E ſchedis MStis Severi Minervii Spoletini alteram hanc decerpſi. | B |

Spoleti, fragmentum in veſtibulo domus ipſius Minervii.

QVAMVIS LAEVA TVOS PROPERANS MORS RVPERIT ANNOS,
NEC RATA SINT VITAE TEMPORA LONGA TVAE:
SVNT TIBI PRO RAPIDO TAMEN HAEC SOLATIA LETO,
QVOD CLARA GENERIS NOBILITATE VALES.
FLORET CELSA DOMVS SVBOLES, CLARIQVE NEPOTES:
NON EST IN CASV MORS METVENDA TIBI.
NEC TE SOLLICITAT SAEVISSIMA CVRA MINORVM,
ET SERVAT CASTOS VXOR AMATA TOROS.
PROPTER IOHANNES GAVDIA VITAE
IAM CARITVRE DIE.

Spe-

Spoleti, in Sancti Laurentii ad Collem deliciarum. Ex eiſdem Minervii Schedis.

HIC AVIAM NEPTEMQVE LOCVS POST FATA RECEPIT,
QVASQVE DIES OLIM FECERAT VNANIMES.
EVOLAT AD SVPEROS; MENTIS QVOQVE GRATIA SIMPLEX,
SEPVLCRVM DVPLEX CORPORA NVNC SOCIAT.
ALTERIVS PRÆSTANT VOTIS. SIC LVMINE VERO
TVNC IACVERE SIMVL NISVS ET EVRIALVS.
PROBATIA AVIA DP. XIIII. KAL. NOVEMB.
CONCORDIA NEPVS DP. PRID. KAL. SEPT.

Ibidem in Aede Sancti Floriani apud Villam Sanctae Crucis, modò apud Jacobum Philippum Leoncellum. Ex eiſdem Schedis.

RAPTA IACET NATIS, QVOS MATER AD VBERA LIQVIT,
ATQVE VIRO PARITER, QVEM CITO DESTITVIT.
TRISTE MINISTERIVM GEMINI SOLVERE PARENTES
FVNERE DE TANTO, QVOS COQVIT IPSE DOLOR.
DEPOSITO SVPERÆ DIEM QVINCTVM KL. IVLIARVM,
CONSVLE CONSTANTIO V. C. QVAE VIXIT ANN. XXVII.

Legendum DEPOSITIO. Conditum Epitaphium Anno Chriſti CCCCXIV. arbitror, quo *Conſtantius* in Occidente Conſulatum geſſit. In Schedis quoque meis Inſcriptionem deprehendi, *Tuſcanellae* (quae olim *Tuſcania* Civitas) in vetuſtiſſima Baſilica Sancti Petri, olim Cathedrali. Illam ad me miſit doctiſſimus vir Sebaſtianus Dinius Tuſcanellenſis, qui me monuit, tabulam marmoream olim truncatam fuiſſe, ut ad menſuram altarioli accommodaretur, eâque de cauſsâ initiales literas excidiſſe.

Tuſcanellae in Sancti Petri.



S MARCELLINVS PATER BENEMERENTI
A EIVS CONTRA BOTO BISOSOMVM FECIT IN PACE
E FILHIE INNOCENTISSIME IVNIHE MARCELINE
VIXIT ANNIS XIII. MENSIBVS III.

CONTRA BOTO eſt idem ac *contra votum*, formulâ parentibus familiari, quum liberos ſibi caros ad tumulum praemittebant. *BISOSOMUM* eſt pro *Biſomum*, quae vox loeum ſignificat conſtructum, ut ibi duo corpora condantur. Helleniſmus eſt ad Latinos translatus. Alteram Inſcriptionem addo, quam ex eadem Baſilica deſcripſit, & communem mihi fecit amicus Dinius.

Ibi

Ibidem in Sancti Petri.

INNOCENTISSIMO FILIO THEODOSIO
CVIVS PRAECIPVA CLARITAS SVADET D.
CVIVS EGO PATER PERENNI LVCTV PERCĪVS
TALEM FILIVM SVPERSTITEM HABERE N̄
MERVI QVI VIXIT ANNIS XVIII.
QVIEVIT IN PACE XIII. KAL. OCTOB. DD. NN.
HONORIO VII. ET THEODOSIO II. AVG.

Nomen Patris in ſecunda linea, per literam D. expreſſum, in obſcuro latet. In tertia linea legendum eſt *Percitus*. In quarta verò *Non*. Spe- A ctat Inſcriptio haec ad Annum Chriſti CCCCVII. Unum denique ſepulcrale Epigramma accipe, barbaricorum temporum foetum.

Mediolani in Sancti Vincentii.

HOC RECVBAT TVMVLO, NVPER CONFOSSVS IN ISTO,
VIR HVMILIS, FORMAQVE MICANS, DVM VIVERET AEVO;
HILDERAMNVS ERAT PROPRIO DE NOMINE DICTVS,
QVEM DOMINVS VALLIS DE NOCTE VOCAVIT AD ASTRA,
AETERIA FELIX IVDEX IN ARCE LOCATVS.
IVSTVM IVDICIVM LEGEMQVE TENEBAT IN AVLA.
HVIC FVERAT CONIVX, ALTA DE GENTE CREATA,
SAGINTRVDA FORE PROPRIO DE NOMINE DICTA:
ANTE PEDES TVMVLATA VIRI CVM PACE QVIESCIT.
O FACTOR HOMINVM HIS NVNC MISERERE ALVMNIS.
ANNO INCARN̄S D̄ N̄ I X̄. DCCCCII. INDIC. VI.

Redeo ad Inſcriptionem Patavii nunc exiſtentem, in qua trium Chriſti fidelium fit mentio, *Hilarii* ſcilicet, *Heraclinae*, & *Liberii*: quorum ſepulcrum, ut veteres ajebant, *Triſomum* fuerit, hoc eſt, tria corpora concluſa habuerit. Nullum ibi, ſi verba expendimus, mortis pro Chriſto toleratae veſtigium. Unum duntaxat Signum occurrit, nempe Virgultum il- B

lud quod *Palmam* interpretari mos eſt. Haec autem Martyrium indicare paſſim creditur. At heic nodus extemplo fit obvius. Palma una in iſto lapide inſculpta viſitur, unum *Hilarium* reſpiciens. Num ergo Martyres quoque dicere fas eſt *Heraclium* atque *Liberium*? Equidem non auderem. Si vero unus Martyr: quei factum eſt, ut non unum, ſed duo

Corpora Patavium delata, & Fidelium cultui exponenda fuerint? Praeterea quei inter tria in uno ſepulcro condita corpora, illud ſeligi potuit, quod tormenta pro Fide Chriſti tolerata glorioſum effecerant? Verùm non heic tota difficultas. Reſtat quippe perpendendum, an eadem Inſcriptio unum ſaltem Martyrem Chriſti nobis certiſſime exhibeat. Seculo duntaxat proxime praeterito inquiri coeptum eſt accuratius, atque ex profeſſo in Signa, quibus diſtinguerentur Corpora Sanctorum Martyrum a reliquis Chriſtianis olim tumulatis in admiranda ſtructura tot Coemeteriorum extra Romanam Urbem exiſtentium: *Catacombe* appellamus. Magnum hinc ſibi nomen peperere, remque plane utiliſſimam tum ſacrae tum profanae eruditionis cultoribus praeſtiterc Presbyteri Oratorii Romani Boſius, Severanus, & Aringhius in inſigni Opere *Romae Subterraneae*. Doctiſſimi autem iſti viri in eam tandem conceſſere ſententiam, ſive opinionem, per *Palmae* Signum tumulis Chriſtianis adjectum ſignificari Martyrium ac mortem, quam fortiter pro Chriſti nomine veteres Chriſtiani, Romae praeſertim ſubiere. Et Boſius quidem Lib. 4. Cap. 44. pag. 684. ſcribit: *La Palma ſi vede in pochi Sepolcri:* quod ego ſum miratus, quum is antea nos monuerit, multas in multis Coemeteriis Palmas inſculptas conſpici. Immo is monumenta recenſens Coemeterii Calliſti, Lib. 3. Cap. 23. pag. 319. ſubdit: *Ne' ſopraddetti Monumenti vi ſono effigiate INFINITE PALME, & altri ſimili ſegni di Chriſtianità*. Celeberrimis deinde viris Danieli Papebrochio e Societate Jeſu, in Actis Sanctorum, & Johanni Mabillonio Benedictini Ordinis in Gallia olim inſigni ornamento, in Epiſtola *de Cultu Sanctorum Ignotorum*, ejuſmodi ſententia non ſatis firma viſa eſt: atque ii tum ſolùm rati ſunt, Martyrum Corpora per Palmam revera prodi, quum ei deprehenditur adjunctum Vas aliquod, ſacrum olim eorum ſanguinem continens. Immo & ante illos doctiſſimos Viros Scacchius Pontificiae Cappellae Praefectus eodem tempore, hoc eſt ſedente Urbano VIII. Papa, dubium Martyrii Signum rationibus multis Palmam oſtenderat. Adde Franciſcum Mariam Torrigium (ut alios omittam) qui in Libro, cui titulus *Le ſacre Grotte Vaticane*, Romae impreſſo Anno MDCXXXIX. Part. 2. Cap. primo, memoriae prodidit, Palmam interdum indicare *Criſtiano non martirizzato*. Quorum ſane argumenta Aringhius Lib. 6. Cap. 44. ſibi objicit, ac modeſte refellit, *ſuam ſententiam probabiliorem ducens, contrariam tamen haud omnino rejiciens, neque improbans*. Verùm noſtris temporibus egregium nacta eſt *Palma* patronum, eruditiſſimum nempe Virum Marcum Antonium Boldettum Canonicum Romanum, dignum in hujuſmodi paleſtra doctiſſimorum Virorum ſucceſſorem; quippe qui Anno MDCCXX. Romae typis tradidit elaboratum Opus *de Coemeteriis Sanctorum Martyrum, & veterum Chriſtianorum*. Is autem Libro Primo a Cap. 42. uſque ad Cap. 55. contrariam ſententiam oppugnans, fuſiſſime hoc argumentum verſat, atque rationibus bene multis, veterumque ſimul ac recentiorum Scriptorum auctoritate nixus, contendit, *Palmam* in tumulis Chriſtianis certiſſimum eſſe Martyrii Signum ac indicium. Inter cetera tradit, Sacram Congregationem Romanam Reliquiis praefectam Anno MDCLXVIII. examen

inſti-

inſtituiſſe *de Notis, ex quibus verae Sanctorum Martyrum Reliquiae a falſis & dubiis dignoſci poſſint*: ac cenſuiſſe, *Palmam, & Vas, illorum Sanguine tinctum, pro ſignis certiſſimis habenda eſſe*: ac propterea Palmam, etiamſi Vas deſit, certum eſſe teſtem Martyrii. Equidem ſi de interpretatione illius Decreti (quod tamen Papebrochio & Mabillonio minime ignotum fuit) nulla amplius dubitatio reſtat, novi, quale obſequium ei ſit deferendum, & continuò tantis Viris potiùs, quam mihi, nullo negotio credam. Sed quando praeter praedictos celeberrimos Scriptores Clariſſimus Vir Raphaël Fabrettus, quamquam Romae poſitus, & hujus quoque eruditionis ſacrae conſultiſſimus, quippe Martyrum Corporibus eruendis ex Urbanis Coemeteriis olim Praefectus, ab ejuſmodi opinione ſe alienum palam prodidit: liceat heic mihi, dubitationes aliquas exerere, non ut Boldetto doctiſſimo Viro, ac de ſacra eruditione egregie merito, adverſarium me praebeam, ſed ut uberiorem ab illius doctrinâ lucem aliquando mihi & aliis procurem. Me heic, ut & alibi, ducit unica Veritatis cupiditas & amor, quam piis, & doctis viris omnibus ſuper omnia cordi futuram eſſe credo.

Certe Fabrettus Cap. 8. pag. 555. Inſcriptionum Antiquarum (qui Liber Anno MDCXCIX. Romae in lucem prodiit) auctor eſt, ſe, dum pergeret ad dignoſcenda Martyrum Corpora, quorum glorioſam mortem nulla Inſcriptionum verba teſtabantur, ſcrutatum fuiſſe, an tumulis appoſitum deprehenderetur Vas, aut Ampulla Sanguinem ſacrorum pugilum olim continens. *Hodie*, inquit, *ſimiles ampullae vitreae ſanguineâ & purpureâ cruſtâ obductae Frequentiſſime in ſacris Coemeteriis juxta Martyrum loculos, quâ capita recumbunt, reperiuntur: certiſſimo effuſi pro Chriſto Sanguinis argumento, quo Praecipue, immo & Unico uſus ſum, dum Sacrarum Reliquiarum extractioni & cuſtodiae praefui*. Quae fuerit eruditio Fabretti, nemini ignotum eſt, in re Literaria paullulum progreſſo. Is etiam, ut vidiſti, a ſummo Pontifice Judex, ut ita dicam, Reliquiarum ſacrarum ex Arenariis eductarum electus, eo per triennium functus eſt munere, quo nunc ſumma cum laude fungitur Boldettus. Is denique faſſus eſt, *Unicam* ſibi Martyrii certiſſimam Notam fuiſſe Vas, colore ſanguineo tinctum. Quare is minime arbitratus eſt, e ſolâ Palmâ appoſitâ certum Martyrii indicium hauriri poſſe. Qua ratione ſeſe doctiſſimus Boldettus Cap. 45. expediat ab auctoritate Fabretti, quem ſuae opinioni conformem antea Mabillonius attulerat, non eſt cur ego edifferam. Certe ſi Fabrettus Decretum non ignoravit, uti Boldettus contendit, inde inferre fas erit, cenſuiſſe illum, conſtitutum fuiſſe in Decreto, Palmas tum pro Signis certiſſimis Martyrii habendas, quum *eis junctum eſt Vas Sanguine tinctum*. Quae etiam Papebrochii & Mabillonii ſententia fuit. Fabretto autem oblatos nunquam in Coemeteriis fuiſſe loculos Palmâ inſignitos, arbitratur quidem Boldettus. Id ego difficile credam ex iis, quae infra adferam. Attamen etiamſi id ſtatuas, negari tamen nequit, quin *Romam Subterraneam* Boſii & Aringhii vir ſolertiſſimus non ſemel legerit, eorumque ſententias, & Inſcriptiones Palmis ornatas rite expenderit. Immo ipſe quoque tum ex eodem Libro deſcriptas, tum alias a ſe collectas Inſcriptiones, Palmâ ornatas, ut infra oſten-

ſtendam, in ſuum eruditum Opus intulit, & nihilominus Vaſa Sanguinolenta ſe pro *Unico Martyrii Signo* habere non diffitetur. At ne qua de Fabretti mente dubitatio ſuperſit, vide Cap. 8. num. 25. pag. 559. Inſcriptionem hanc e *Coemeterio Beati Caſtuli* eductam.

D. M.

DIONYSIAE
MARCION CO
NIVGI KARISSIM
B. M. FEC. QVAE VIX
AN. XIIX. M. D. XXV.

Tum ſubdit: *Locus ipſe, ubi reperta fuit haec Tabella, itemque Corona cum Palmis ſubdita, Dionyſiae Chriſtianitatem aſſerunt.* Literas D. M. interpretatur *Deo Magno*, ſeu *Maximo*. Neque *Martyrii*, ſed *Chriſtianitatis* dumtaxat, ſignum is inde elicit.

Ad haec non deſunt, qui dubitant, an *Palmarum* nomine revera donanda ſint ſigna illa, quae in Chriſtianorum Sepulcris ſaepe occurrunt ſub hacce figura. *Cupreſſi* funebris frondes Mabillonius ea putavit. Papebrochius *Virgulas*, ſenſus diviſivas. Gorius in Notis ad Inſcriptiones Tuſciae Tom. I. pag. 265. ea Signa *Surculos*, ſive *Virgulta* appellat. Et profectò non leve diſcrimen animadvertas inter Palmarum frondes & Signa illa, quae nihil aliud prae ſe ferunt, niſi eſtypon Frondis Arborum, modò cum foliis, modò ſine foliis ut heic vides, & in aliquot lapidibus ramulum *Cupreſſi* tantummodo delineatum referre videntur. Quod ſi Palmas exprimere antiquis Chriſtianis in animo fuit, cur quaeſo tam imperite egerunt, ut Cupreſſi aliorumve arbuſculorum Signum nobis praeberent? At rudes erant atque inexperti Chriſtiani illi, reſpondet Boldettus; interdum quoque metu, ac feſtinatione premebantur, ita ut in *calce* figuram Palmae imprimerent. Celebratiſſimus quoque Philippus Bonarota Senator Florentinus in Explication. Vitror. Sepulcral. ſcribit, conſueviſſe Chriſtianos in ſubterraneis Coemeteriis Palmam inſcribere *con uno ſtecco*, ideſt cum acuto fruſtulo rami alicujus. Ita ſane fuerit. Sed quum eamdem plane figuram in marmoreis tumulis inſculptam intueamur, immo & in lapidibus, qui hominum effigiem, ſeu anaglypha varia praeferunt, imperitiae & praecipitis ſcripturae excuſatio tollitur. Neque *Cupreſſum* ex Chriſtianorum tumulis excluſere Boſius & Aringhius, uti e Romae Subterraneae Libris patet; ac praecipue quum ejus ſtabilis *viriditas*, a Sancto Ambroſio in Pſalmum 118. *Juſtorum* figuram exprimere dicatur. *Surculi* quoque & *Virgulta* aliarum Arborum, Reſurrectionis & Vitae aeternae ſymbolum fuere Patribus, inter quos Cyrillus Hieroſolymitanus Gathecheſi 18. ait: *Tunc verò arbor exciſa rurſus floret; homo autem exciſus non florebit? Et Surculi Vitium, aliarumque Arborum Exciſi, & tranſplantati revireſcunt & fructificant: homo verò, propter quem & illa ſunt*

ſunt, cadens in terram non excitabitur? Ejuſmodi Surculorum ſeu Virgultorum formam videre te puta in Chriſtianorum tumulis. Praeterea Palmam alia ratione expreſſam ab antiquis conſpicimus. Vide apud Gruterum Inſcription. I. pag. 539. ubi Palma ſub hac figura exhibetur.

Vide figuram eamdem in Vitro apud praelaudatum praeſtantiſſimum Scriptorem Bonarotam. Vide marmoreum Sarcophagum Vaticanum Lib. 2. Cap. 10. pag. 293. 295. 297. & 321. Romae Subterran. Arinhii. Alia exempla praetermitto. Non plus utique negotii fuiſſet antiquis Chriſtianis etiam feſtinantibus, etiam imperitis, ſub eâdem formâ effingere Palmam, ſi Palmam reapſe inſcribere decreviſſent.

Ceterum non is ego ſum, qui *Palmarum* nomen Signis ejuſmodi negare mordicus velim. Id unum potius contendo, ſcilicet recurrere adhuc difficultatem, quam minime diſſimulavit, immo ſolvendam ſibi ſumſit ſupra laudatus Boldettus: ejuſmodi nempe Symbolum, ac ſub eâdem figurâ, commune fuiſſe omnibus Chriſtianis in ſigno Fidei decedentibus. Immo illud ſpectari etiam in Gentilium hominum Sepulcris. Sex id genus Inſcriptiones in integro Theſauro Gruteri Boldettus reperit, Palmamque ibi ſcriptam ait in ſignum *Victoriae* alicujus ſive in bello, ſive in ludis, ſive in patrocinio cauſſarum reportatae. Quod quidem etſi demus, nihil difficultatem minuit: eâdem quippe ratione omnium *Juſtorum* Chriſtum colentium Victoria de vitiis deſignari potuit. Et revera Symbolum *Juſtorum* omnium apertiſſime Palmam ſtatuerunt Ambroſius, Gregorius Magnus, Caſſiodorius, Beda &c. uti jampridem Auctores Romae Subterraneae animadverterunt. Verùm ſi quis neget, ab Ethnicis uſurpatam fuiſſe Palmam in unius Victoriae ſignum, quid, rogo, tunc reponendum reſtabit? Atqui Gruteriana Inſcriptio, quae legitur pag. 967. Palmam inſcriptam gerens, poſita eſt *Clodio Liberto*, & *Clodiae Libertae*, fato poſtremo functis. Altera quoque, pag. 1000. tribus *Libertis*, uni *Libertae*, ac uni *Filiae* poſita eſt, *quinque* Palmis ſive Virgultis in marmore ſignatis. Quaenam Victoria in plebeiis hiſce viris ac feminis excogitari poſſit, non video. Lapides etiam ſepulcrales *Rufi Praetextati* ab eodem Boldetto memorati, & *L. Caeſonii* pag. 381. Theſauri Gruteriani, & *Fl. Eugenii* pag. 406. ejuſdem Operis occurrunt, eodem Symbolo diſtincti. At illi, inquies, viri fuere illuſtribus muneribus functi. Eis Palma adſcripta fuerit ob Victorias in cauſſis reportatas. Verum animadverte, illos non cauſſarum Patronos, ſed Judices, ac Magiſtratus fuiſſe. Refert idem Gruterus pag. 781. Inſcriptionem Tarraconе poſitam, & a Boldetto praetermiſſam his verbis.

DIS
MANIBVS
P. FABI ☉ IANVARI
FABIA CHRYSIS VXOR
FECIT ET
CHRYSEROTI F. AN. XX.

Victoriam heic fruſtra quaeras. Vide & Inſcriptionem Gruterianam pag. 525. num. 5. poſitam *L. Auſuſio* & aliis, ubi Palma ſive Ramuſculus viſitur.

Porro

Porro quum Clariſs. Boldettus ait, ſe in vaſto Gruteri Opere reperiſſe ſex tantùm Ethnicas Inſcriptiones, Palmae ſymbolo ornatas, videat doctiſſimus vir, an ſeſe ſubducere eâ ratione poſſit contrariae ſententiae telis. Rogandus quippe eſt, ut animadvertat, pleroſque lapidum erudi torum veteres venatores, ad colligendas duntaxat Inſcriptiones intentos, marmorum ornamenta & ſigna reliqua nequaquam deſcripſiſſe, aut minime evulgaſſe. Ubi diligentiam adhibuiſſent, quam poſt inſignem virum Fabrettum praeſtitit multis nominibus commendandus Antonius Franciſcus Gorius in editione Tomi I. Inſcription. antiquar. Tuſciae, longe plura apud Gruterum marmora Gentilium haberemus, *Ramuſculis* iis ſignata. Itaque Gorium conſule. Is tibi e Muſeo Mediceo pag. 42. hanc Inſcriptionem dabit.

L. PONTIVS (rami fruſtulus) HILARO ET
ANTEROS (rami fruſtulus) ITALIAE

Alteram accipe e pag. 58.

M. VOLGI (rami fruſtulus) M. VOLCI
EVHEMERI (rami fruſtulus) HILARI

Ex aliis Florentinis Muſeis pag. 163.

(rami fruſtulus) AGLA (rami fruſtulus)
APATI
MAGIA
PRIMA

A

Pag. 170.

(rami fruſtulus) DIS MANES (rami fruſtulus)
VENERIA COIVGI
SVO ISOCHRYSO
VIXSIT ANNIS
XXIII.

B

Pag. 182.

ARVLENA L. L. D. T. L. (rami fruſtulus) L. ARL.
RHODINE D. L. A
PHILOGENIS
HERACLIDAE ET PAMPHIL

C

Pag. 202.

COCCEIAE (rami fruſtulus) ANOPTES
NICENI
DEDIT ANOPTES
FABER FABER

D

Pag. 226.

(rami fruſtulus) (rami fruſtulus)

Σ

D. M.
LICINIAE LV
CANAE LIB.
BENEMERENTI
FECIT
M. LICINIVS
FAVSTVS

Pag.

Pag. 265.

L. AEMILII

BLASTI

Ad quam Inſcriptionem haec adnotat Gorius: *Surculi illi, qui in hac Vitrea Urna viſuntur, alludere videntur ad nomen Blaſti: nam* Βλαστός, *Latine Germen ſeu Surculus eſt. Patera media cum Surculis, ſeu Virgultis hinc inde PERSAEPE in cippis ſepulcralibus occurrit.*

Pag. 315. apud Equitem Franciſcum Marmium.

DIS ✱ M.
CORNEL
VIXIT M
IIII. ET GE
RIX PIEN
MA MERE
ECIT

(rami fruſtulus)

Pag. 351.

MVSAEVS MVNI PILIAE. M. L.
SATVRNINI QVARTAE
FECIT SIBI ET VXORI SVAE
VIX. ANN. XXII.

(rami fruſtulus)

A

Pag. 352.

DIS MANIBVS
MATER ET PATER
DAPHINO FILIO
BIMVLO DONO
DEDIT

B

Pag. 368.

A. MEMMIVS MEMMIA
GAA APHIA

(rami fruſtulus)

C

Pag. 370.

(rami fruſtulus) (rami fruſtulus)
C. ANNIVS ANNIAE
ATRATINI. L. PHILOGENES

D

Pag. 393.

M. CLODIVS CLODIA
MARO S LIBVSA
VIXIT TRIMVS SIBI ET GRATO
DIES XXVII.

(rami fruſtulus)

E

Pag.

Pag. 403.

(rami fruſtulus)

C. ASINI
VIRO B M
ET HELLAS. P

A viro poſita cum Virgulti ſeu Palmae additamento in calce lapidis. Hiſce accedat Inſcriptio, quam publici juris fecit ſingularis eruditionis, & nunquam delendae memoriae vir Franciſcus Blanchinius Veronenſis, qui in Diſſert. de Sepulcris Libertorum ac Servorum Liviae Auguſtae, hanc e Muſeo Farneſio evulgavit pag. 69.

Pag. etiam 187. accuratiſſimus idem Gorius Inſcriptionem Graecam adfert *Attalidi* ſorori ab *Agathone* Ethnico

B

BYRAE CANACIANAE LIVIAE
AVG. SER. A VESTE MAGN.
TI. CLAVDIVS ALCIBIADES
MAG. A BIBLIOTHECA LATINA
APOLLINIS

(rami fruſtulus)

AGRIAE TRIPHOSAE VES
TIFICAE LIVIVS THEONA AB
EPISTVLIS GRAEC. SCRIBA
A LIB. PONTIFICALIBVS
CONIVGI SANCTISSIMAE

ITEM SCRIBA AB EPISTVLIS LAT. B. D. S. M.

Haec Inſcriptio Auguſto Caeſare imperante marmore inſculpta fuit. Fabrettus quoque Cap. 4. num. 368.

C

Inſcriptionem hanc Ethnicae feminae poſitam refert.

D. M.
MARCIANE
QVE VIXIT
ANNOS XL.
TELESPHO
RVS COIVGI
B. M. POSVIT

Sed & ipſe Boldettus Lib. 2. Cap. 9. alteram refert a ſe Romae deſcrip-

D

tam, quae ad Auguſti ferme tempora pertinere videtur.



DIS MANIBVS
TI CLAVDIVS
AVG LEVPAES
A REGIONIB
ET CLAVDIAE VITALI
LIBERTAE SVAE ET
POSTERISQVE EORVM.

Lego

Lego TIBerius CLAVDIVS AVGusti *Libertus* EVPAES e Graeco Εὔπαις, ideſt *Puer bonae indolis*, aut *bona ſobules*. Praetereo aliam Inſcriptionem Ethnicam ab eodem Boldetto pag. 560. productam cum Virgultis inverſis. Variis quoque exemplis oſtendi poteſt, Symbolum idem ſive Ramulum adhibitum fuiſſe in Figlinarum notis, de quibus conſulendus eſt Fabrettus Cap. 7. Inſcription. Antiquar. & ipſe Boldettus Lib. 2 Cap. 17. Alias Inſcriptiones apud Gruterum habes eum Ramuſculo foliis ornato; ſcilicet pag. 372. 423. 442. 454. 577. 578. ut alia loca omittam. Atque in iis omnibus Virgultum fuiſſe perſuaſum habeo, de quo nunc inter nos quaeſtio. Id quod ſatis fidenter ajo, quum eadem ipſa Inſcriptio, quam nuper e Blanchinio decerpſi, Ramulum ſine foliis gerat, atque eadem ſit, quae a Grutero producta fuerat pag. 587. num. 8. cum Ramulo frondente ſive folioſo. Ita ut ingentem jam copiam habeamus parium apud Ethnicos ſepulchralium Palmarum. Fabrettus quoque pag. 103. 132. 148. 313. 508. 510. 539. 543. 573. 622. 656. alias Inſcriptiones adfert Signo eodem ornatas. Vide & eumdem pag. 313. Alias denique ego proferam, ſi Deus dabit, in Theſauro novo veterum Inſcriptionum, cujus tria volumina edita jam ſunt Mediolani.

Quibus poſitis, jam tenemus, quanta antiquitate conſtet mos inſcribendi in ſepulcralibus monumentis hujuſmodi *Virgulta*, ſive *Ramuſculos*, quos *Palmas* appellare ne ego quidem recuſo. Atqui dum cernimus in Inſcriptionibus plebejorum hominum, ipſarumque Feminarum Gentilium, appoſitum ejuſmodi Ramulum, ipſumque ſubinde uſurpatum fuiſſe a priorum Seculorum Chriſtianis: vereor, ut mentibus cautis perſuaderi unquam poſſit, certum inde Martyrii Signum poſſe deduci, quoties in Chryſtianorum tumulis occurrit, alio quocumque indicio effuſi pro Chriſto ſanguinis deſtitutus. Aequivocum quippe, dubiumque ſaltem ſymbolum eſt. Et quando in popularibus Paganorum Inſcriptionibus nuper inſpectis nullus ſe offert locus ſignificandae Victoriae, id unum reſtat, ut aut Virgultis illis *Palmae* nomen ſit detrahendum; aut, ſi quidem Palmas velis, cenſeamus non indicari per eas Martyres, quandoquidem communis tam Ethnicis quàm Chriſtianis eſſe potuit cauſſa atque animus effingendae in monumentis Arboris illius, quemadmodum utrique Populo communia fuere tot alia Symbola ſepulcralia, ſcilicet *Coronae*, *Frondes*, *Olivae*, *Racemi*, *Columbae*, aliaque animalia, atque aliae Arbores. Nonne & *Coronae* Symbola Martyrii? Attamen, quod aeque in Gentilium, atque Chriſtianorum tumulis occurrant, hanc praecipuam cauſſam arbitror, cur nondum quiſquam ſtatuerit, per eas uniee ſumtas Martyrum ſepulcra deſignari. Neque per *Coronae* ſymbolum ſignificabatur duntaxat in Chriſtianis *Victoria Saeculi*: quod & ipſa *Palma* ſignificare potuit. Cur enim plus haeic tribuimus *Palmae*, quam *Coronae*? Quae quum dico, ex abundanti dico. Neque enim opus eſt, ut ego rationem reddam, cur & Gentiles Palmam in ſuis titulis Sepulcralibus inſeruerint. Sed contra aliam a mea opinionem ſectanti eſt opus, ſolidam rationem proferre, cur in conformi hoc ritu diverſa plane Gentilium & Chriſtianorum mens fuerit. Attamen conjecturam meam exerere liceat. Ethnicis Palma non *Victo-*

riae duntaxat, ſed etiam *Salutis*, *Felicitatis*, *Vitae diuturnae*, ſeu *aeternae*, *Perpetuitatis*, *Memoriaeve perpetuae* ſymbolum fuit. Quod arbor ea ſit, cujus folia non deciduntur, & quae ſemper vireſcat, ideo ad haec ſignificanda adhibita fuit. Boldettus Lib. Primo, Cap. 41. evulgavit hanc Inſcriptionem, aenea in tabula ſculptam.



PRO SALVTE
IMP. CAESAERIS
M. AVRELI SEVE
RI ALEXANDRI
PII FELICIS AVG.
IOVI OPTIMO MAXIMO DOLICENO

Non heic votum concipitur pro Victoria, ſed pro *Salute*, *Incolumitate*, ac *Felicitate perpetua* Severi Alexandri Imperatoris. Hanc perpetuitatem ac diuturnitatem *Palma* appoſita ſignificat. Ita in Sepulcris effinxiſſe A Ethnici hanc Arborem videntur, veluti Signum perennis Memoriae, perpetuae Securitatis. Nam, uti exploratum eſt, ſepulcrales tabulae hanc ſaepe formulam praeferebant: *Memoriae Aeternae: Memoriae ac Securitati Perpetuae: Securitati Aeternae: Quieti Aeternae: Incolumitati Aeternae*. B Et in nummis ejuſdem Alexandri Severi Auguſti habetur haec formula: PERPETVITATI AVG. Chriſtiani vero & ipſi eodem Symbolo utentes, *Perpetuitatem* ſignificabant Corporis ſimul & Animae. Vitam quippe credebant aeternam; & quamvis Corpus caderet, reſurrecturum tamen, ac felicius erigendum, Palmae ad inſtar, C ſperabant. Plerique etiam ex Ethnicis, etſi non Corporis Reſurrectionem, Animae tamen Immortalitatem certam habuere. Atque heic memoriae meae ſe ingerit Inſcriptio Romana apud Gruterum pag. 1050. num. 3. hiſce verbis concepta.

D. M.
AVRELIO BALBO VITA INTEGERRIMO
MORIBVSQVE ORNATO QVI SE QVIETIORIS
PERFECTIORISQVE VITAE DESIDERIO
EX NEGOTIIS CIVILIBVS IN QVIBVS
FVERAT CVM LAVDE VERSATVS
IOVIS OP. MA. BENEFICIO DVCTO
HIC IN SPE RESVRRECTIONIS QVIESCENTI
LOCVS PVBLICE DATVS EST.

Hircocervum heic vides. Si Ethnicus, quei illi *ſpes Reſurrectionis?* In Schedis meis, quas ad Cyriacum Anconitanum referendas opinor, Inſcriptio haec *Romae transTiberim* poſita dicitur, ibique poſt VERSATVS legi- D tur EXEMIT, DEI OPTIMI BENEFICIO &c. quae vulnus ſanaſſe videri poſſint, & Chriſtianum nobis referre. At nulla ſane dubitatio ſupereſt de altero lapide Romano, quem Fabrettus Cap. V. pag. 378. pro-

produxit, posito M. MARCIO HERMAE Ethnico viro. Utrinque Phoenix, fabulosa avis, rogo imposita cernitur, Symbolum certe aeternitatis, atque resurrectionis. Vide, quae ad eam Inscriptionem idem Fabrettus adnotavit. Ut autem intelligas, usurpatam revera fuisse *Palmam* etiam A praesagiendae caussà Salutis, ac Felicitatis, accipe egregiam, magnique faciendam Inscriptionem, quam Romae detectam misit ad me praelaudatus Marchio Alexander Capponius, is nempe nobilis ac doctissimus vir, quem honoris semper, & grati animi caussà lubentissime commemoro.

SALVIS AC FLORENTIBVS DD. NN. HONORIO ET. THEODOS
PERPETVIS. SEMPER. AVGG. CAECINA DECIVS ACINATIVS
ALBINVS. VC. PRAEF. VRBI. VICE SACRA IVDICANS
CELLAM TEPIDARIAM INCLINATO OMNI PARIETE LABENT
DE QVA CELLARVM RVINA PENDEBAT. ERECTORVM A FVN
DAMENTIS ARCVVM DVPLICI MVNITIONE FVLCIVIT
(palma) D. N. M. Q. EORVM (palma)

Ad hunc ipsum *Albinum Praefectum Urbi* pertinent geminae Inscriptiones apud Gruterum pag. 286. num. 7. & 287. num. 2. Ejus quoque mentio occurrit in Codice Theodosiano, & apud Macrobium, & Rutilium Claudium Numatianum. Haec autem Inscriptio posita fuit ante Annum Christi CCCCXXIII. quo Honorius Augustus finem vivendi fecit. Anno autem CCCCXLIV. ut infra videbimus, Consul processit *Caecina Decius Albinus*: idem-ne, an ejus filius, in praesentia non vacat exquirere. Duos diversos homines distantia temporis indicare videtur. *Cella tepidaria* Balnearium Cellam significat, in qua tepida ministrabatur, & de qua ceterarum *Cellarum ruina pendebat*. Erant in Balneis *Frigidariae*, *Tepidariae*, *Caldariae* Cellae. Testem habemus Plinium Lib. V. Epistol. 6. & Vitruvium Lib. V. Cap. 10. Vidisti signatas in hocce monumento *Palmas*, non ut Victoriam, sed ut Salutem ac Felicitatem Augustis tunc imperantibus Albinus adprecetur. Hisce adde Inscriptionem apud Gruterum pag. B 464. num. 8. positam *Rufio Praetextato Postumiano filio magnifici viri Mariani Praefecti Praetorio, & Consulis Ordinarii*. Processit Consul Ordinarius Rufius idem Anno Christi CCCCXLVIII. Ibi *Palma* inter duas Columbas insculpta. Hisce accedat nobilis Inscriptio Veronensis, quam debemus insigni illius Urbis illustratori Marchioni Scipioni Maffejo Lib. 6. Veronae illustratae. Eam quoque antea protulerat Fabrettus Cap. 8. pag. 564. Inscription. Antiquar. sed sine symbolis.

C



D

Genset Clariss. Maffejus, ad hominem Christianae Religioni addictum,

& saltem ad Tertium Aerae Christianae Saeculum spectare ejusmodi epigraphen. Idem censuit & Fabrettus: quorum sententiae subscribendum quisque fateatur. Quod solum dubitatione minime caret, parum exacta Latinitas persuadere cuiquam possit, serius etiam vixisse Statium istum Diodorum. At ibi (hoc autem Fabrettus neglexerat) in uno latere *Palma* visitur, in altero *Corona* oleagina, uti certos nos facit accuratissimus idem Marchio Maffejus. Nemo autem non intelligat, Inscriptionem positam fuisse ab illo, dum in vivis esset: ac proinde Palmam referri ibi non posse ad hominem pro Christi fide Martyrio vitâ functum. Faventiae quoque in aede Sanctimonialium Sanctissimae Trinitatis lapis visitur, uti me monuit Cl. V. Sebastianus Paulius e Congregatione Matris Dei, Theologus Augustissimi Imperatoris Caroli Sexti, cum hisce literis, & Palma sive folioso Surculo ad latus.

Explicet qui vult postrema verba. Pro INTVS, aut INTRO fortassis supplenda sunt. Haec autem Inscriptio, cui adnexus est Ramulus, seu Palma, sive ad Ethnicam, sive ad Christianam puellam, ut mihi verisimilius videtur, pertineat, nemini unquam Martyrem indicabit. Quare Palma in Christianorum vitâ functorum monumentis idem ferme significat, ac *Vivas in Deo*, *in Christo: Vivas in aeternum*; quae formulae in illorum memoriis frequenter occurrunt, & Christianum, perpetuo vitam ductorum, felicemque futurum, non verò Martyrem, indicant. Aut etiam Palma ad Corporis Resurrectionem spectat, quam Christiana Religio e divini Magistri verbis hausit. Sanctus Paulinus Nolanus in Natal. XIII. a me primùm tenebris erepto, dum Pinianum V. Cl. laudat, *Pinum* arborem describit semper viridem. Tum subdit:

Haec igitur typus est aeterni Corporis Arbor.

Quos nunc Ramulos in tumulis veterum Christianorum cernimus, *Pineos* fuisse, suspicari licet. Quod si *Palmeos* malis, negare tamen nequeas quin & ipsi ad *Immortalitatem Corporum* significandam usurpari olim potuerint. Alias praeterea causas excogitare possumus, cur tam Ethnici quàm Christiani eâdem mente, eodemque voto uterentur, eosdem Ramulos inscribendo cognatorum suorum tumulis. Si integra superfuisset, aut exactius descripta fuisset Inscriptio, quam Fabrettus refert Cap. 2. pag. 69. Inscription. Antiquar. fortasse locum haberemus, ex quo tenebrae hunc veterum ritum prementes excuti felicius possent. Ibi *T. Aelius Augusti Libertus Flaviam Nicopolim conjugem* sarcophago commendatam hisce alloquitur verbis:

O MI-

O MIHI SI SVPERI VELLENT PRAESTARE ROGANTI,
VEL ROSEO VEL PVRPVREO VIOLAEQVE NITORE,
VT AVE PRAETERIENS GRESSV TARDANTE VIATOR
VIDERIT HOS FLORES, TITVLVM LEGAT, ET SIBI DICAT;
HOC FLOS EST CORPVS FLAVIAE NICOPOLIS;
VT TVO DE TVMVLO O FLOS EGO CERNERE NOVVM
CRESCERE VEL VIRIDI RAMO VEL FLORE AMARANTI.

Quid revera optet Maritus iſte, quum ait ſe optare, ut cernat *creſcere* de tumulo Nicopolis uxoris *novum vel Viridi Ramo, vel flore amaranthi:* ſtatuere non auſim. Satis tamen video expreſſum in hiſce verbis aliquod Mariti amantis votum, ac *Ramum viridem* Signum fuiſſe exoptatae alicujus rei: quod deſiderium commune eſſe potuit tam Ethnicis quàm Chriſtianis in ſepulcralibus titulis. In Figlinis etiam Palma inſculpta videtur pro VALEAT QVI FECIT, quo voto alii Figuli viventes ſunt uſi. Vide Fabrettum Cap. 7. Inſcriptionum Antiquarum, ac praecipue pag. 502. num. 91. ubi *opus doliare* producit.

SEX. CASTRICI HEBENI

(rami fruſtulus)

Et Cap. 3. tumulum

(rami fruſtulus) C. PONTI CRESCEN. TRIB. COH I. PR. (rami fruſtulus)

Itaque Palmarum Symbolo votum aliquod Felicitatis perpetuae ab iis quoque conceptum videtur. Atque heic conſideres velim Inſcriptionem Chriſtianam, quam refert idem Fabrettus Cap. 8. pag. 549. ex *Coemeterio ad duas Laurus* eductam.

A

AVREL PELACIANVS
QVI VIXIT MENSIBVS
ϛI. ET DIEBVS XIII.
AVREL.DECENTIVSPATRR.POS.

B

Ibi *Palma* inſculpta, & *Equus* ad eam currens. Hic infans, natus tantùm *Menſes VII.* (ita enim ſignificant literae illae ϛI.) & *Dies XIII.* finem vivendi fecit. Durum ſane, credere infantulum hunc Martyrem, qualis tamen, ſi vera eſt contraria ſententia, credendus foret. Quod ſi inquias, etiam pro Fide Chriſti trucidatos fuiſſe interdum infantes, id quidem dabo; ſed quum in eorum quoque parentes & familiam univerſam debacchata eſt Ethnicorum rabies, quod rariſſimum fuit. At heic habemus patrem incolumem. Quae cauſſa, quaeſo, ſaeviendi in infantulum, cui ignota Chriſti erat Religio, illius interim parente inlaeſo?

C

D

Propterea Fabrettus non Martyrem heic vidit, ſed potius opinandi nobis facultatem reliquit, *Puerulo huic illibato, conſummato curſu, Palmam caeleſtis gloriae praeparatam eſſe*. Idem dicas de altera Inſcriptione poſitâ infantulae *Quodvultdeus*, pag. 580. apud eumdem Fabrettum. Ergo ſaltem obſcurae ſignificationis Symbola

ſunt

ſunt *Palmae*. Quis autem inter tot tenebras tantùm ſibi fidere poſſit, ut ex *Ramo viridi*, quem conſpicimus aeque in Ethnicorum, quàm Chriſtianorum, ipſorumque infantium titulis, certum in Chriſtianis Martirii indicium educere velit?

Certiſſimum contra cenſetur Martyrii indicium Vas ſanguinem continens, aut Sanguineo colore infectum, in Romanis aliiſque Chriſtianorum Coemeteriis antiquiſſimis, eorum tumulis innexum, aut appoſitum: nihil enim commune cum Ethnicorum ritibus habet. Verum quidem eſt, & in Gentilium ſepulcris occurrere Vaſa lacrymatoria, Vaſa unguentis, aliiſque liquoribus olim deſtinata. In Schedis meis MStis habeo, detectum Gordubae fuiſſe in aedicula Chriſti *de las Mercedes* tumulum *cum Vaſe cineris continente, Idolo parvo, & Vitreo veſe, ubi liquor petrificatus*. Addita erat Inſcriptio haec:

L. NVMISIVS
GAETVLVS
ANN. L.
PIVS IN SVIS
SIT TIBI TERRA LEVIS.

Attamen Vaſa aut ſanguinem, aut colorem Sanguinis, illae olim infuſi, adhuc retinentia, fruſtra in Gentilium ſepulcretis exquiras. Id proprium Chriſtianorum, & quidem Martyrum, quorum etiam Sanguinem novimus e coaevis teſtibus ſolicite collectum ac religioſe adſervatum fuiſſe. Verum quod eſt ad Palmas, quis certos nos facit; per eas ſignificari potius *Martyres*, quam *Juſtos* quoque Chriſtianae Legi addictos? Hieroglyphicum *Juſtos* omnes ſignificans, *Palmam* ſupra vidimus. Tu *Martyres* heic te videre opinaris. Ego *Juſtos* Chriſti legem ſequutos. Atque addo, vulgata fuiſſe ac celebrata apud Chriſtianos Pſalmiſtae verba Pſalm. 91. verſ. 13. *Juſtus ut Palma florebit:* & plane huc reſpexiſſe Chriſtianos, quum hocce Symbolo mortuorum ſuorum memorias ornabant, quo aut Juſtitiam, aut Fidem Reſurrectionis, Immortalitatis, ſeu Salutis Perpetuae ſignificare voluerunt. Ita Phoenicem, ita Jonam e caeto prodeuntem, aliaque ejuſmodi Symbola Reſurrectionis ſuis inſcripſere Tumulis. Quod ſi Auctores Romae Subterraneae, & Boldettus octo Inſcriptiones exhibent, in quibus & Palma viſitur, & diſertis verbis Martyrium illic exprimitur: non ideo Palma Martyrum certus index evaſit, quum ipſa omen ſit Vitae aeternae, cujus fidem tam Martyres quàm Juſti, immo & reliqui Chriſti fideles conſtantiſſime tenebant. Eâdem ratione in titulis Martyrum aeque ac ceterorum veterum Chriſtianorum occurrit *In Pace*, aut *In Pace Quieſcit*. Immo animadverte, incertum eſſe, an paucae illae Inſcriptiones ad ipſa Martyrum tempora, an ad poſteriora ſint referendae. Eas, quaeſo, accuratius expende, & conſer cum tot aliis titulis ſepulcralibus jam evulgatis. Neque certum eſt mihi *Gordiani Galliae Nuncii* Martyrium. In ejus Titulo, quem Auctores Romae Subterraneae, Mabillonius, Fabrettus, & Boldettus adferunt, is dicitur *jugulatus pro fide*. Perſpicuum minime eſt, an ibi IVGVLATVS ſcriptum fuerit. Vide Fabrettum pag. 390. Et ſi quidem ſcriptum ita fuerit, quaerendum reſtat, an *pro fide* ita ſumendum ſit pro *Religione Chriſti*, ut nullam aliam ſignificationem admittat. Sunt & alia illic obſcura.

Ne-

Neque ſine conſideratione dimittendum Graecum *H.* ibi ſemper pro *I.* uſurpatum: quod Saeculis adeo antiquis neſcio quàm bene tribuatur. Romani ipſi, uti interdum habent veteres lapides, geminum *II.* ſcribebant, quaſi *H* Graecum, ut *E* Latinum exprimerent. Alias Inſcriptiones Latinas, Graecis characteribus ſcriptas profert Fabrettus pag. 390. In iis *Hta* pro *E.* uſurpatum, neque *I.* per *H.* expreſſum videas. Quare hactenus nulla ſe nobis obtulit ex antiquitate petita ratio, auctoritas ve quae *Palmam* pro unis Martyribus ſignatam in Coemeteriis Chriſtianis evincat, nobiſque dubitationem omnem eripiat. Immo unum ſupereſt, quod controverſiae huic dirimendae aptiſſimum quiſque deprehendet.

Adferunt Auctores Romae Subterraneae, atque ipſe accuratiſſimus Boldettus, Inſcriptiones poſt pacem Eccleſiae a Conſtantino Magno redditam, neque ſub Juliano Apoſtata, confectas, quas Chriſtianorum monumentis una cum Palmae Symbolo appoſitas fuiſſe patet. Hercle tunc nullos Martyres Roma numeravit, ac propterea reliquum eſt, ut intelligamus, Palmam a Chriſtianis inſcriptam monumentis defunctorum, ad deſignandam vitam nobis promiſſam poſt mortem, non vero mortem pro Chriſto toleratam. Itaque Boſius Lib. III. Cap. 4. Rom. Subterran. hunc lapidem evulgavit, adhuc in Baſilica Sancti Pauli exiſtentem.

HIC REQVIESCIT IN PACE DEVSDET QVI VIXIT ANNVS P M. XX.
DEPOSITVS EST XV. KAL. MAIAS ITERVM POS C̄ON PAVLINI

L̄C. APAT. LAVRENTI QVEM SI VIVO COMPA
RAVIT SOL TRIS ET TRIMISSE

L̄G ideſt *Locus*. Hanc ſibi Inſcriptionem objicit ſinceritatis amantiſſimus Boldettus Lib. Prim. Cap. 50 quum ipſam ſpectare Boſius cenſeat ad *Paulinum Juniorem Conſulem*. Tum reſpondet, varios Paulinos Conſulatum iniiſſe, Anno videlicet Chriſti LXVI. CCCXXV. CCCXXXIV. & CCCLIV. ac proinde incertum eſſe, quinam Annus heic deſignetur. Sed veniam mihi det humaniſſimus, doctiſſimuſque Boldettus. Nemo alius in ea Inſcriptione memoratur, niſi *Paulinus*, qui Anno Chriſti DXXXIV. Conſul in Occidente proceſſit; & quoniam Conſules Occidentales tum deſiere, propterea per aliquot ſubinde Annos in Faſtis adnotatum fuit *Poſt Conſulatum Paulini*, qui *Junior* appellatus eſt reſpectu *Paulini Decii Conſulis* Anno CCCCXCVIII. Vide Diſſertationem LXVI. de *Monaſteriis Monialium*, ubi alteram Inſcriptionem dedi ejuſdem *Paulini* nomine ſignatam. Sed & unam nunc adjungo, quam Cl. V. D. Gaſpar Berettus Benedictinus Monachus, Ticinenſis olim Gymnaſii decus ad me miſit.

Ti-

Ticini in Sancti Epiphanii.

DIACONVS QVI VIXIT
IN HOC SEGVLO AN
NOS P MIN. XLV.
DEP. SVB D. VI. KAL.
NOVEMBR. DVO
DECIES P. C. PAVLI
NI IVN. VC. IND.
X.

Ideſt Anno Chriſti DXLVI. quo decurrebat *Indictio X.* Ex hoc autem lapide diſcimus, novae Indictionis curſum e Septembri Menſe fuiſſe deſumtum, neque in Occidente rationem habitam a nonnullis *Baſilii Conſulis Orientalis*, ſed tantummodo *Paulini Junioris Conſulis* Occidentalis: quod Relandus in Faſtis Conſularibus mi-

A nime adnotavit. Quare Inſcriptio a Boſio producta, ſine dubitatione pertinet ad Annum Chriſti DXXXVI. quo Anno poteſt quidem doctiſſimus vir excogitare Chriſtianos Martyrium ſubiiſſe, ſed neminem, ut puto, ſecum ſentientem inveniet. Ita certum eſt mihi, Epitaphium *Valentiniani pueri trimi* ſepulturae dati CONSVLATV VOLVSIANI V. C. cum *Ramulo*, ſeu *Palma* in ejus tumulo apud

B Aringhium Lib. 6. Cap. 43. referendum eſſe ad Annum Chriſti DIII. quum celebre foret *Valentiniani* nomen poſt tres ejus nominis Auguſtos in Occidente, & *Voluſianum* unum Conſulem Occidentis Populus agnoſceret, neglecto aut contemto *Dexicrate* Conſule Orientali. Relandus quoque ad hunc Annum eamdem Inſcriptionem retulit. Confirmatum praeterea id vides altera Inſcriptione,

C quam Interamnae repertam in ruderibus Eccleſiae Aglionis teſtatur ac refert Fabrettus Cap. 10. pag. 757. Inſcription. Antiquar.

HIC REQVIESCIT BONE
MEMORIE SPLENDIDA
QVE VIXIT ANNVS PLVS
MINVS XXXV.
DEPOSITA IN PACE III.
KAL. GIANVARIA.
CONSVLATVS. BOLVSIANI.

Et heic habemus Annum Chriſti DIII. quo indica mihi, ſi potis es, quem-

D piam Romae, aut in finitimis locis, pro Chriſto vitam dediſſe. Atque haec

haec, aliaque ejuſmodi epitaphia ſub Chriſtianis Auguſtis & Regibus confecta, ac *Palmae* ſigno exornata, in cauſſa fuiſſe puto, cur neque Fabrettus vir emunctae naris Palmam agnoverit Martyrii veri teſtem. A Sed & ipſe Boldettus in calce eximii ſui Operis duplicem Inſcriptionem refert in Coemeterio Commodillae detectam Anno MDCCXX. quae ſi in uno lapide, ut videtur, inſculpta fuit, huic argumento multum lucis adferre poteſt. Illam accipe.



Conſulatus *Gratiani Auguſti*, & *Probi*, Annum deſignat CCCLXXI. Sed ſcribendum eſt *Gratiano Auguſto*, *II.* & *Probo* quum Gratianus eo Anno Conſul Collegam Probum habuerit. Si utraque Inſcriptio, ut dixi, ad B eadem tempora ſpectat, tunc Martyres Roma ignoravit. Sed & idem ſaepe laudatus vir Lib. Prim. Cap. *19.* pag. 81. alterum hoc epitaphium dat, e Coemeterio Lucinae eductum.

EQ ♁ HERACLIVS

QVI FVIT IN SAECVLVM

AN. XVIIII. M. ♁ VII. D. XX. ☾

LECTOR ℞ SEC FECERVN SIBI

ET FILIO. SVO. BENEMERENTI. IN P

DECESSIT VII. IRV STEB

VRSO E POLEMIO

CONSS.

Heic ſculpta eſt
Columba cum Palma.

Poſita fuit Inſcriptio haec Anno Chriſti CCCXXXVIII. quo tempore quis nos docuit, Romanorum quempiam pro Chriſto ſanguinem fudiſſe? Vide C & ſequentem ab eodem impigro viro detectam in Coemeterio Sanctae Agnetis, exhibitamque Lib. Primo Cap. LI. pag. 273.



V. K. OCT. D. BASSO ET ABLAVIO
CONSS.

Ideſt Anno Chriſti CCCXXXI. quo Martyres eſſe deſierant. Plures ejuſmodi Inſcriptiones Palmâ ſignatas habebimus, ſi Eruditi in poſterum non literas tantùm, ſed & Symbola ibi impreſſa diligentius exſcribent, & publici juris facient.

Quamobrem quid amplius reſponderi poſſit non video, quando Inſcriptiones ipſae *Palmae* Signum praeferunt, non Martyribus, ſed Chriſtianis tantummodo poſitum. Immo ex tot Inſcriptionibus Palmâ inſignitis, quae apud Romae Subterraneae Auctores, & apud ipſum Boldettum, atque Fabrettum occurrunt, excogitare quidem poteſt quiſquam omnes marmore, aut calce inſcriptas, dum ſub Ethnicis Auguſtis perſecutio Chriſtianae gentis ferveret. Verùm hoc nemo, dum ſit cautus in judicando facile ſibi perſuadeat; immo nullo negotio credet, multas etiam ex illis ad tempora Chriſtianorum Caeſarum ſpectare, quibus nullus Tyrannorum in Populum Chriſtianae Legi addictum amplius tormentis & ſecuri ſaeviebat. Nam etiam poſt redditam Eccleſiae pacem a Conſtantino Magno perrexit Chriſtianum vulgus ſepulturam ſibi comparare in ſacris Romani pomoerii Coemeteriis, quod loca illa Sanctorum quoque Martyrum conditoria eſſent. LOCA enim SANCTA in ipſis interdum Inſcriptionibus eadem appellantur, uti erudite oſtendit idem Boldettus Lib. Primo, Cap. 14 & Fabrettus Cap. 8. Inſcription. Antiquar. In tanta ſane monumentorum ex Arenariis ſacris effoſſorum copiâ pauca habemus praeferentia *Conſulatum*, hoc eſt certum Anni indicium, quo poſita fuerunt. Attamen ex hiſce paucis plures Inſcriptiones videas, imperantibus Chriſtianis Auguſtis quàm Ethnicis, effermatas. Aringhius Lib. 3. Cap. 22. pag. 610. titulos varios ſepulcrales dedit in Coemeterio Sanctae Agnetis detectos. Scriptus fuit primus *Dominis noſtris Fl. Valentiniano Conſulibus*. Excidit alter ex Auguſtis; at fatis novimus, referendam eſſe Inſcriptionem ad Annum Chriſti CCCLXVIII. aut ad alios ſubſequentes, quibus unus e Valentinianis Impera-

peratoribus Conſul proceſſit. Alter lapis attritus poſitus ET FL EVODIO Annum prodit CCCLXXXVI. Tum Lib. 4. Cap. 25. e lapidibus Coemeterialibus Sanctae Agnetis iſtum commemorat exaratum DATIANO ET CAEREALE CONSS. ideſt Anno Chriſti CCCLVIII. Alter inſcriptum habet POSTCONS GRATIANI III. ideſt Annum indicat CCCLXXV. Tertius titulus ſignatus eſt CONSVLATV ANICI BASSI ET FL. FYLIPPI VV. CC. hoc eſt Anno Chriſti CCCCVIII. Aliae quoque Inſcriptiones ſpectant ad Annos CCCCVII. aut ſequentes CCCCXXX. CCCCXLII. CCCCLVI. CCCCXC. CCCCXCIII. Aliam refert poſitam CONS. EPARCHI AVITI, ideſt Anno CCCCLVI. ut Pagius opinatur, vel CCCCLVII. uti Relandus putavit. Praeterea Cap. 27. Lib. 4. e Coemeterio Nomentano erutam Inſcriptionem idem Aringhius laudat, marmore inciſam COSS. VALENT. VALEN. III. hoc eſt Anno Chriſti CCCLXX. Et Lib. 4. Cap. 37. Epitaphium refert ſignatum IVSTO CON. ideſt Anno CCCXXVIII. & alterum D. N. VALEN..... & HABIENO, nempe Anno CCCCL. Tum tertium ſignatum ARBETIONE ET LOLLIANO COSS. Anno videlicet CCCXXXV. Sed & accuratiſſimus ipſe Boldettus Lib. Primo, Cap. 19. triginta Inſcriptiones Conſulares evulgavit a ſe inventas in Coemeterio Lucillae. Inter eas ſecunda poſita eſt GALLIGANO CONS. quam Boldetto licuit referre ad Annum Aerae Chriſtianae CXXVII. aut CL. Sed mihi etiam referre liceat ad Annum CCCXVIII. aut CCCXXX. Quarta praefert Conſulatum FL. CAESARI ET MAXIMI VV. CC. atque adeo pertinet ad Annum CCCXXVII. Subſequuntur aliae, nempe tres ſpectantes ad Annum CCCXXXVIII. duae ad Annum CCCLXX. aliae ad Annos CCCXXXI. CCCXLIII. CCCXLIX. CCCLX. CCCLXIV. CCCLXVI. CCCLXIX. CCCLXXX. CCCLXXXIII. CCCLXXXIV. CCCC. CCCCXXV. CCCCLVI. DXLI. DLXVIII. Adfert & unam compoſitam CON D N AVITI, quam ſpectare putat ad Annum CCIX. Spectat potius ad Annum Chriſti CCCCLVI. vel CCCCLVII. quo *Avitus* Auguſtus *Dominus Noſter* Conſul proceſſit. Alias praetereo a Boſio, & Aringhio, & Fabretto commemoratas. Viden quot monumenta in Romanis Coemeteriis numerentur, eo ipſo tempore ſcripta, quo nullos Romae Martyres Chriſtiana Fides pariebat? Atqui juſta ſe quoque nobis offert cauſſa opinandi, multos e titulis ſepulcralibus Palmam praeferentibus, ad Secula Chriſtianae pacis eſſe referendos: ac praecipue quum ſupra aliis exemplis id revera factum oſtenderimus ſub Auguſtis Chriſti cultoribus. Mitto, non deeſſe Inſcriptiones cum Palma a viventibus efformatas; quod certe a Martyrii indicio alienum eſſe nemo non agnoſcit. Additum poſt mortem hoc Signum opinatur Boldettus; ſed opinari ſecus ex aliis licebit. Quod vero me vehementius in ejuſmodi ſententia confirmat; Inſcriptio eſt a nunquam ſatis laudato Fabretto producta Cap. 2. pag. 113. Inſcription. Antiquarum. Exciderunt equidem in uno latere nonnullae voces: tot tamen ſuperſunt, ut integrum ſenſum inde colligere poſſimus.



RNA DOMVS. IN QVA NVNC IPSA SECVRA QVIESCIS
SPIRITVS. A. CARNE. RECEDENS
SANCTIS PRO MERITIS ET OPERA TANTA
METVISTI. SEMPER. QVIESCIS. SECVRA
VS TERRAE. PIGNVSQVE RECEPTVS
ENDORI. CVM. LVMINE. CLARO
S QVAE TE SEMPER DEO DICASTI
TAS. SED PRO. FACTIS AD ALTA VOCARIS
CA. PACATIANO. CVM MVLTA DEBEBIT.
ATIANVS. ELEVTHERIAE MATRI SVAE. LOCVM FECIT
AN PL. M. LXXV. MENS. II. D X. DEP. IIII. KAL. IVN. DORMIT
D. N. CL. IVLIANI. AVG. IIII. ET FL. SALLVSTI. CON.
ESPERIVS. QVEM. NVTRIT. INSCRIPSIT.

E vivis deceſſit Eleutheria iſta Annos nata ſeptuaginta quinque & ultra, die 29. Maii Anno Chriſti CCCLXIII. Ejus titulo *Palma* duplex inſcripta. Nulla verò inter ejus laudes Martyrii mentio, quae tamen omnium maxima laus fuiſſet. Neque ſimile veri eſt, plebejam hanc anum, & capularem, ſub Juliano ob Fidem Chriſti e vivis fuiſſe ereptam. Paucissimos tunc Eccleſia Martyres numeravit, neque in vulgus ſaevitum eſt: & hanc ſane feminam Martyrem nulli veterum Faſti agnoſcunt. Quod ſi contendas, Martyrem revera fuiſſe, ſed prae metu Apoſtatae, ejuſque Miniſtrorum, de vitâ pro Chriſto datâ nihil in ejus Epitaphio ſcriptum: mea verba accipe. Epitaphium iſtud aut palam exponendum erat, aut celandum. Si poſtremum eur decus Martyrii praetermiſſum? Si primum, cur Palma, Signum certum, ut putas, Martyrii appoſitum fuit? Quod epigraphe tacuiſſet, A Palma edixiſſet, bis quidem inſculpta. Quamquam quid haec quaerimus? Paucos tantùm dies poſt hujus Eleutheriae depoſitionem, hoc eſt die 26. Junii, ejuſdem Anni CCCLXIII. cecidit in proelio impius Imperator Julianus, ita ut vix eo vivente credi poſſit paratus, inſcriptus, & ad tumulum collocatus hic lapis; ſed B quidem poſt Auguſti mortem, atque adeo abjecto omni metu. Itaque nullâ aliâ de cauſsâ adjectam Palmam credere decet, niſi ob ejus ſingulares virtutes, aut ob ſpem Reſurrectionis, ſive Aeternitatis. Quid plura? Idem Fabrettus Inſcriptionem alteram praeſert Romae poſitam *Zoſimo*, & *Arron* viris Judaeis e *Synagoga Agrippenſium*, cum Judaico candelabro, & ſigno C Palmae inſcripto. Vide etiam Recutiti alterius Sigillum eum Candelabro & Palma pag. 537. apud eumdem Fabrettum. Produxi & ego in novo Theſauro Inſcriptionem veterum tertiam

tiam, poſitam cuidam *Fauſtinae* Judaeae, & *Palmâ* inſignitam. Praeterea protuli Tumulum a Viventibus una cum *Palma* paratum. Poſt quae jam tandem quis non videat ſtatuendum eſſe, *Palmae* Hieroglyphicum in ſacria Coemeteriis, ſi ſolum eſt, minime praebere nobis certum Martyrii indicium, quod quaerebamus? Neque enim reſellere opus eſt vulgi opinionem, putantis Monogramma Chriſtisnum, hoc eſt Martyrii fidem facere, quaſi *pro Chriſto* ſignificet, & Grae cum illud *Rho*, ſit *P* Latinum. Nunquam Eruditis, haec in mentem venerunt.

Quapropter ſummopere commendanda illorum prudentia, qui quoties decernendum eſt, an Sancti alicujus oſſa Sepulcro quopiam claudantur; & ſiquidem illa Sancti alicujus eſſe conſtet, Inſcriptione vero, aliisve Signis careant, an tribuenda ſit uni potius quàm alteri e Caelitibus, ſuſpenſo plane gradu, & circumſpectione graviſſima procedunt. Nemo certe in vetuſta poſſeſſione facile turbandus. Eſt & heic ſuus Praeſcriptioni locus, niſi meliores titulos, eoque magis ſi certos, alii objiciant. At quoties agitur de producendis novis, aut dubii ignotive nominis, ad. l. l.

A certitudinem evehendis, ſeveritate utique opus eſt; & cavendum ab affectibus noſtris, qui quidquid amant & cupiunt, ad verum aut bonum illud continuò credendum nos facile abripiunt. Si rigidius olim actum fuiſſet, ſi a legibus Eccleſiaſticae diſciplinae ſanctiſſimae conſtitutis non tam multi abſceſſiſſent, nunc minime tot
B Reliquias haberemus, ſive tot Corpora unius Sancti, quae in Catholicorum provinciis venerationi Fidelium expoſita intuemur. Atque haec mihi in memoriam revocant, quod Ravennae Anno MDCCXI. actum eſt. In Sancti Vitalis Baſilica effoſſa eſt arca marmorea, corpus hominis continens, & Inſcriptionem praeferens literis
C quidem Romanis, ſed minime ob earum complexum vulgo intellectis. Vox *Martyrit* ibi animadverſa animos omnium continuo excitavit, atque in ſpem erexit, fore ut illic lateret ignoti antea cujuſpiam Martyris corpus. Inſtitutum propterea fuit ſolemne Judicum Eccleſiaſticorum examen, cujus exitus mihi ignotus. At
D nemini hanc ob rem creandum erat incommodum; ſpem quippe omnem illico praecidebat Inſcriptionis ipſius lectio, quam nunc ſubjicio.



Haec

Haec autem ita lego.

Tumulus iſte docet cujus retinet Corpus.
Sergius vocitavar ; Levitis fungevat onorem :
Ujus Martyris Aule at pueritiam deſervivit.
Per ipſum preco, cunctli jam ut nunquam ic aliut ponat.

Vides heic ſcriptum *vocitavar* pro *vocitabar : fungevat* pro *fungebat : ujus* pro *bujus : at* pro *ad : preco* pro *precor : ic* pro *hic : aliut* pro *aliud*, quae quidem Auctorem produnt, infimae Latinitatis aevo ſupparem. Ad me vero miſit Anno MDCCVI. Clariſs. V. Apoſtolus Zenus, Auguſtiſſimi Caeſaris CAROLI VI. Hiſtoriographus, exemplum duarum laminarum plumbearum, Veronae detectarum in aede Sanctae Mariae *della* A *Fratta*, ſub menſa Altaris, in urna marmorea repoſitas. Multos deinde poſt annos earumdem ectypon accepi ab amico P. Joſepho Blanchinio, antea Canonico Veronenſi, nunc Presbytero Oratorii Romani, viro Clariſſimo. Itaque has etiam in lucem efferendas cenſui, ut felicius quàm ego eas interpretentur, illarumque aetatem conjectando inquirant eruditionis cultores.

B



Quae in hac prima Inſcriptione legere me poſſe opinor, haec ſunt.

A. D. O. C. CIII. Ic R-
equieſcit Kibertus
in Pace qui vixit (*annos*)
LXII. & ic paſſus
eſt mortem II. Idus
Auguſti pro Dei nomine.

Al-

Altera Inſcriptio haec eſt:



Ita lego:

Hic requieſcit Victoria Virgo in Pace, quae vixit anis XXVIIII. & Martirium ſuſcepit. A. S. C. Septimo Domini, & (fortaſſe Depoſita) XI. Kalendas Junii ✠

Ambas Inſcriptiones uno tempore plumbo inſculptas par characterum figura indicat. Sunt ibi, quae redolent antiqua Secula, *Requieſcit: in Pace: qui vixit annos &c.* Aetas etiam Martyrum tam anxie deſignata tabellam ipſis vix vitae ereptis poſitam indicare poſſet. Verùm ſi literae ſingulares, quas ſine interpretatione dimiſi, *Annum* forte *Domini* ſignant *CIII. & CVII.* (quod tamen affirmare non audeo) quis credat, baſce laminas tunc ſcriptas fuiſſe, quum nulla tunc forent vulgaris Aerae noſtrae primordia? Ad haec ille LIBERTVS Langobardicae ſive Germanicae, non Romanae Linguae nomen eſt, ac proinde nunquam ipſum referas ad priora Eccleſiae Secula. A Plura addere non juvat. Denique id etiam adnotatum volo, Genuae in Metropolitana Baſilica conſpici tabulam marmoream, illuc ex aede Sancti Stephani translatam, cui inſculptum legitur hocce Epitaphium.

HIC REQVIESCIT BONAE
MEMORIAE SANCTVLVS
SVBDIAC. IN PACE QVI VIXIT
B ANNOS P. M. LXXX. DP. EIVS VI.
KAL. MAIAS CONS. ALBINI VI. C. CONS.



Minime deſiderati ſunt, qui Genuenſi Urbi, quaſi ibi *Sanctuli Martyris* ſacrum pignus adſervaretur, ſunt gratulati,

tulati, opinantes videlicet, *Monogramma* ☧ Chriſti, quod in antiquis Chriſtianorum Spulcris per plura Secula ſcriptum occurrit, & D. P. ideſt *Depoſitio*, quae forma dicendi communis olim omnibus Chriſtianis in ſepultura fuit, aliquid peculiaris ſanctitatis in *Sanctulo* iſto prodere. At nullum ibi Martyrii indicium eſt, ac praeſertim, quod ejus Depoſitio facta eſt ſub *Conſulatu Albini Viri Clariſſimi Conſulis*. Faſti Conſulares nobis exhibent *Decium Albinum*, qui in Occidente Conſul eſt renuntiatus Anno Chriſti CCCCXLIV. Hunc enim potius quàm Albinum Conſulem Anno CCCCXCIII. deſignari puto, quum iſte reſpectu alterius *Albinus Junior* in monumentis appelletur. Anno autem CCCCXLIV. nullus erat in Italia Chriſtianae Fidei perſequutor. Sed manum tandem e tabula.

Antequam tamen finem faciam nobili huic argumento, incongruum minime erit, ſi paucula alia ſubjungam ad illud ſpectantia. Non contenti aliqui ex Sancti Chriſtophori veri Martyris nomine fabellam deduxiſſe, quaſi is Chriſtum infantem ad alteram fluvii ripam humeris ſuis portans oneri paene ſuccubuerit, ipſum etiam, quaſi prae nimia proceritate ingredi Templorum fores vetaretur, pingere in fronte ſacrarum aedium conſueverunt, ſimul verò ut ejus aſpectu facilius devota & credula Plebs frueretur. Quicumque enim ejus faciem intuebatur, eo die ſe a morbis, immo ut aliis placuit, a mala morte immunem futurum ſibi perſuadebat. Albericus in Diction. Leg. ad verbum *Chriſtophorus* in litera X. duos verſus, tunc vulgo familiares, refert, nempe:

Chriſtophori Sancti ſpeciem quicumque tuetur,
Illo namque die nullo languore tenetur.

Eſt mihi ad manus Rolandini Summa Artis Notariae typis aeneis tradita Auguſtae Taurinorum Anno MDXXII. per Antonium Ranotum. In calce effigiem Sancti Chriſtophori impreſſam habet cum eiſdem verſibus, addita hac prece: *Sancte Chriſtophore. Tu portaviſti grandem & fortem. Defende me a periculo, & a mala morte.* En quantum Majores noſtri opinionibus indulgerent. Fuere etiam tempora, quibus mirâ licentiâ pii viri, ubi deerant Sanctorum Vitae, eas ex ingenio ſuo procudebant, tribuentes Martyribus, aliiſque Sanctis mores illos, ritus, ac verba, quae magis conſona crederentur eorum aetati, officio, atque pietati. *Legendas* poſtea appellarunt. Iis abundat inſigne Opus Actorum Sanctorum, inchoatum & continuatum a doctiſſimis Patribus Societatis Jeſu Antwerpienſibus, qui tamen germana a falſis, ſincera ab interpolatis laudabili zelò ſecernunt. Sunt qui Criticam ferulam ad iſta adhibitam aegre ferunt. Dignos hercle ſe produnt, quibus falſa ac ridenda quaeque propinentur. Fortaſſis etiam falli amant, ne dicam fallere alios, quum nullum inter Verum & Falſum diſcrimen ament. Non haec mens erat immortalis nominis Cardinali Baronio, qui in Martyrologio Romano expurgando atque inluſtrando tantum operae poſuit; neque enim is diſſimulavit vulnera heic inflicta aut a ſciolis aut ab improbis veritati. Vide praecipue, quae is habet de immanibus commentis, quibus deturpata fuere Acta Sanctae Urſulae Virginis ac Martyris. Ughellius quoque,

que, quum in eiſdem Actis deprehendiſſet *Fullanum* quemdam *Lucenſem Epiſcopum*, quem qui de Sanctis Lucenſibus ſcripſere, tam facile amplexi fuerant, temperare non potuit, quin adversùs impoſtores pios inveheretur, inter alia ſcribens Tomo I. Ital. Sacr. in Lucenſi Epiſcopis: *Igitur hunc fictitium Fullanum, Cyriaco Papae, & Scriptorum malè ſano cerebro in Sanctae Urſulae Actibus excogitato, Romanoque itinerì ejuſdem Sanctae, prudens Lector poterit aggregare; indeque colligere, quo aliquando exceſſerit mortalis audacia, quae Sanctorum praeclariſſimae geſtae antilibus fabellis involverit: quaſi Deus, vel Sancti noſtro indigerent mendacio, ut ampliori vel ſanctimoniae vel fortitudinis famâ, mortales raperent in ſui admirationem.* Innumeros habemus Sanctos certiſſimos in Eccleſia Dei; habemus & eorum Acta & Vitas a piis fidelibus & saepe synchronis Scriptoribus poſteritati tradita. Haec piâ devotione ampleſtamur. Reliqua dubiae fidei examini ſubjiciuntor. Cetera vero, quae falſitatis & impoſturae faciem praeferunt, averſemur, exhorreamus.

Peregrinationes quoque in honorem Sanctorum frequentiſſimae olim fuere. Eximium nempe devoti piique animi affectum olebat, in longinquas regiones iter ſuſcipere, viſitandi cauſâ Sacras eorum Reliquias, aut Templa celeberrima. Viri ac mulieres, Clerici, & Monachi ipſique Epiſcopi & Reges inter ſe certabant, quo longius excurrerent, negleſtâ interim curâ familiae ſuae, ſui gregis, ac Populorum. Et quamquam Sancti Viri agnoſcerent atque edicerent, plus interdum ad curioſitatem ſaturandam, quam ad pietatem adaugendam haec inſervire, praeter alia pericula & incommoda, e pru-

ritu vagandi manantia; ſurdis canebatur. Apud Marculfum Lib. 2. Cap. 49. formula Epiſtolae legitur ad Papam, ceteroſque Epiſcopos, pro peregrinante ad Limina Apoſtolorum, cum hiſce verbis: *Portitor iſte, radio inflammante divino, non (VT PLERISQVE MOS EST) vacandi cauſâ, ſed propter nomen Domini, itinera arduа & laboriоſa parvipendens, ob lucrandam orationem Limina Sanctorum Apoſtolorum Domni Petri, & Pauli adire cupiens, a mea parvitate ſe petiit veſtrae commendari almitati.* Pro *vacandi cauſâ* alii Codices habent *pro vagandi cauſâ*. Utrumque nihilominus egregie, ut intelligamus, quo ſpiritu olim *Plerique* ducerentur, immo, & aevo noſtro, ducantur in hujuſmodi ſtudio. Ac propterea in Synodo Cabilonenſi, Anno Chriſti DCCCXIII. Cap. 45. ſtatutum fuit, ut nemo peregrinationem ſuſciperet Romam, aut Turonum, abſque venia ſui Epiſcopi. *Sunt enim Pauperes, qui vel ideo id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi.* Digna ſunt, quae legantur, reliqua ab iis Patribus in hanc rem conſcripta. Laudanda profectò eſt piarum peregrinationum in ſe ſpectata conſuetudo, dum unico Religionis intuitu ſuſcipiantur, & officiis, quibus Chriſti fideles a Lege obligantur, nequaquam officiatur. Quod praecipue circumſpiciendum eſt patribus familias, eoque magis muliebri ſexui. Verùm in obtentu non raro eſt Pietas, re autem ipſa terreni affectus ad itinera ſolicitant; nullaque cura eſt, an peccata potius, quàm Pietatis augmentum, ſint finis gratiſſimi hujus laboris. Atque utinam tempora quoque noſtra abutentes inſtituto laudabili ac ſancto quotidie non conſpicerent. Olim verò vagatorio hocce ardore non Se-

culares tantùm feminae, ſed & Religioſae agitabantur. Quare Anno Chriſti DCCXCI. Synodus Forojulienſis ſub Sancto Paulino Patriarcha Canone XII. decrevit: *Ut nulla ullo umquam tempore licentia ſit Abbatiſſae, vel cuilibet Monachae, transfigurante ſe Satanâ in Angelum lucis, quaſi orationis cauſsâ ſuggerente eis, Romam adire, vel alia Loca venerabilia circuire. Quam ſit namque irreligioſum & reprehenſibile cum viris propter itineris neceſſitatem converſari, nullus tam excors eſt vel deſipieus, qui ignoret.* Sed praecipue optaſſet Sanctus Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus circiter Annum Chriſti DCCXLIV. in Epiſtola 105. ad Cudbertum Archiepiſcopum Cantuarienſem, *ut prohiberet Synodus, & Principes veſtri mulieribus & velatis feminis* (ideſt Sanctimonialibus) *illud iter, & frequentiam, quam ad Romanam Civitatem veniendo & redeuudo faciunt, quia magna ex parte pereunt, paucis remanentibus integris. Perpaucae enim ſunt Civitates in Langobardia, vel in Francia, aut in Gallia, in qua non ſit adultera vel meretrix generis Anglorum: quod ſcandalum eſt, & turpitudo totius Eccleſiae.* Neque minoribus periculis obnoxiae fuerunt per ſubſequentia Secula mulieres peregrinantes. Petrus Azarius Novarienſis in Chronico, Tomo XVI. pag. 359. Rer. Italicar. haec ſcribebat: *O quàm periculoſum eſt, formoſas juvenes & valde pulchras, in quibus motus, & concupiſcentia permanet, per partes ducere extraneas cauſsâ Indulgentiae, & praecipue incognitas mulieres! Nam meis diebus Dominus Bernardinus de Polenta, Dominus Civitatum Ravennae & Cerviae in partibus Romandiolae, multas Nobiles ultramontanas vituperavit, euntes Romam, & venientes in Anno Jubilaei proximo praeterito MCCCL. Quae ſi (& utinam) ſtetiſſent in partibus ſuis, vituperatae per ipſum non fuiſſent. Navis ſuo ſtatu in portu, & in alienos portus non deducta, numquam ſenſit naufragia.*

Ex quibus omnibus jam tandem colligimus, apud rudium Seculorum homines ſanctam quidem Religionem Chriſti viguiſſe, multos tamen ex iis (de Secularibus loquor) parum excolendis veris animi virtutibus & ſolidae pietatis officiis operam dediſſe. Satis quippe eis fuiſſe videtur, ſi Sanctorum patrocinium apud Deum ſibi procurarent. Quod etiam craſſo quodam modo, ac ut ita dicam ſenſuali devotione peragebant, eorum tantummodo Imagines & ſacra Lipſana venati, ac venerati. Fortaſſis etiam terrenae potius utilitatis quàm pietatis intuitu, erga Sanctos tanta veneratione ferebantur.

DE

DE
SUPERSTITIONUM
SEMINE
IN OBSCURIS ITALIAE SAECULIS.
DISSERTATIO
QUINQUAGESIMANONA.

DISSERTATIO

QUINQUAGESIMANONA.

Ulla dubitatio eſt, quin barbaricis ipſis Italiae Saeculis non ſolùm homines verè pii abundarint, ſed etiam Sancti: nullum enim tempus fuit, quo Eccleſia Veritatis magiſtra, & Sanctitatis officina, animas Deo gratiſſimas enixa non fuerit, aut non efformarit; eaque uſque in finem Seculorum opibus ejuſmodi affluet. Sed ne inficiari quidem poſſumus, quin iis ipſis temporibus inter vitia innumera locus etiam ſuus *Superſtitioni* fuerit; quam nempe interdum improbitas & nequitia, ſed ſaepius ignorantia, aut certe utraque, invehere ac fovere conſuevit. Petrus Damiani in Opuſcul. X. haec circiter Annum Chriſti MLX. ſcribebat: *Ad tantam ſaecem quotidie ſemetipſo deterior Mundus devolvitur, ut non ſolùm cujuſlibet ſive Saecularis, ſive Eccleſiaſticae conditionis ordo a ſtatu ſuo collapſus jaceat, ſed etiam ipſa Monaſtica diſciplina ſolo tenus, ut ita dixerim, reclinata, ab aſſueta illa celſitudinis ſuae perfectione langueſcat. Periit pudor, honeſtas evanuit, Religio cecidit, & velut facto agmine omnium ſanctarum Virtutum turba procul abſceſſit.* Si Vitia inundabant, ſi Religioni apud multos debitus honor minime habebatur, poſtrema profectò non fuerit *Superſtitio* ad irrependum inter adeo ſopitos, aut depravatos Fideles. Et ſane Conciliorum decreta, piorumque Scriptorum Libri ad noſtra uſque tempora ſervati, dum ſuperſtitioſos mores, ac ritus identidem damnant, ſatis etiam oſtendunt, quam late Superſtitio olim, Saeculis nimirum barbaris, in Chriſtiano Populo debaeccharetur. In juſtum volumen argumentum hoc excreſcere poſſet, ubi ſingula perſequi vellem; ſed aliqua tantummodo innuiſſe ſat mihi fuerit ut habeat Lector, unde comparationem inſtituat inter antiquorum mores ac noſtros, & de poſtremae hujus aetatis felicitate, ſi recte ſapit, ſecum gaudeat, & Seculo noſtro gratuletur. Ubi Ignorantia, ibi facile *Superſticionem* quoque reperias. Quae certe quin cum bono animo ſocietatem inire, atque non rarò habitare poſſit, nullum eſt dubium: quod evenire videmus, quum quis opinione ſua deceptus aut Deum alio, quàm quo is inſtituit cultu & ratione honorandum ſibi ſtatuit; aut honores divinos ei, qui Deus non eſt, deferendos cenſet; aut profana divinis incautus immiſcet. Ruſſorum gentem, alioqui deditam Chriſto, adhuc Superſtitionibus bene multis ſcatere novimus. Sed plerumque conjuncta cum Ignorantia turpis Cupiditas

ditas Superſtitionem parit. Hujus vitii reum ſe prodit, quicumque modis a Deo minime inſtitutis, immo & ab eo improbatis, utitur ad valetudinem recuperandam ſibi aut aliis, ad conquirendas opes, & ad penetrandum, ſi Superis placet, in jura abditiſſima venturi temporis, aut in ſecretas latebras humani cordis. Ab hujuſmodi morbo ne noſtra quidem tempora immunia ſunt: neque anim fieri poteſt, ut foecundum illud gramen, ſuperioribus Seculis ubique ſerpens, ex agris omnino noſtris tollatur, eâ ipsâ de cauſsâ, quod ex terrarum Orbe inſcitia, & maleſana cupiditas prorſus nequeunt eliminari. Sed ſi unquam, certe Seculis barbaricis Superſtitio ſuecrevit, tum quod bonae Literae tunc jacerent, tum etiam quod gentes e Septentrione, ubi faciliorem locum quàm alibi peſtis haec inveniebat, in Italiam delapſae, pravas conſuetudines ſuas corruptis etiam Italicorum moribus * adjunxit; & aliâ etiam ex parte Arabes in continenti Hiſpaniae & Calabriae, atque in univerſa Sicilia dominati, ſuis quoque deliramentis infecere non paucos nimia credulos Chriſti fideles. Singulari Diſſertatione, quae eſt XXXVIII. jam expedivi *Judicia Dei* minime Canonica, nempe Aquae ferventis, aut frigidae, Crucis, ferri candentis &c. quae olim in uſu paſſim fuere: immo, quod mirere, calculis etiam complurium Eccleſiae Paſtorum probantur. Verùm nullo unquam tempore deſiderati ſunt emunctioris naris, & ſolidioris doctrinae Antiſtites, qui in ejuſmodi ritus, uti Superſtitione intoleranda vitiatos, voce & ſcriptis inveherentur. Atque haec tandem proſcripta fuere. Alterum Superſtitionis genus, omnium fortaſe rei publicae perniciosiſſimum, ſingularia Certamina fuere, quorum furor, vel poſt tot Eccleſiae & Principum decreta, poenaſque propoſitas vix retundi potuit. De hoc etiam mihi ſermo fuit in Diſſertatione XXXIX. Nonnulla inſuper delibavi in ſuperiori Diſſertatione ſpectantia ad Sanctorum cultum. Nunc alia congerere juvat in hanc rem, eorumque temporum faciem hac etiam ex parte aliquantulum ſpectandam praebere.

Sub Regibus Langobardis eo audaciae proceſſerat inconſulta rudis Populi credulitas, ut Arbores quaſdam (*Sanctivas* appellabant) ſumma in veneratione haberent, veluti ſacras, neque ab iis tantùm excidendis aut tondendis abſtinerent, ſed etiam iis adorationis ſigna exhiberent. Idem quoque Fontibus nonnullis praeſtabant. Deum-ne, ejuſque Sanctos, an Daemones, ibi colerent, exploratum minime eſt. Quum tamen ejuſmodi ſuperſtitioſi cultus *Paganiae* interdum appellentur ab antiquis, idcirco par aſt credere, Paganiſmi reliquias fuiſſe. In Occidentali Africae ora noſtris quoque temporibus Populi quidam numerantur, eadem Superſtitione infatuati. Itaque Liutprandus Rex Langobardorum Lege XXX. Lib. VI. graviſſimam poenam iis ſtatuit, *qui ad Arborem, quam ruſtici Sanctivam vocant, atque ad Fontanas adoraverint, aut ſacrilegium, vel incantationem fecerint*. Quibus poſtremis verbis etiam Magos quoſcumque, & incantatores deteſtatur & plectit, quorum minime inopia erat Saeculis iis in Italia, ſed potiſſimum extra Italiam. Et Langobardi quidem, antequam Sanctiſſimam Chriſti Legem amplecterentur, religionem in conſervandis, aut adorandis nonnullis Arboribus ſtatuebant: ad quem morem

rem deponendum multi ne poſt Baptiſmum quidem ſe adduci patiebantur. Paria fecerant & alii Ethnici. Sanctus Barbatus Epiſcopus Beneventanus, ut eſt in ejus Vita apud Bollandum, ad diem XIX. Februarii, *repente ſecurim arripiens, & ad Votum pergens, ſuis manibus nefandam Arborem in qua per tot temporis ſpatia Langobardi exitiale ſacrilegium perficiebant, deſoſtâ humo, a radicibus incidit, ac deſuper terrae congeriem fecit, ut nec indicium ex ea quis poſtea valuerit reperire.* Acta haec fuere circiter Annum Ch. DCLXX. Ita in Chronico Mediolanenſi MSto, quod Canonici Novarienſes adſervant (in ea parte, quam ego tenebris ſuis reliqui, ceteris in Tomum XVI. Rer. Italicar. inlatis) haec leguntur: *Poſtea ſupervenerunt Langobardi, qui Viperam auream, & quaſdam Arbores adorabant, & Arrianam haereſim ſapiebant.* Neque tantùm Langobardi, ſed & Franci ab Ethniciſmo ſecum tulere inſanum hunc Arborum cultum. *Sacrivae Arbores* appellantur in Concilio Autiſſiodorenſi Cap. 4. *Fontes & Arbores, quos Sacrivos vocant, ſuccidite*, ajebat Auctor de Rectitudine Fidei. Atque iſtam Superſtitionem damnavit Synodus Nannetenſis Canon. 20. ut alia monumenta praeteream. Porro in praelaudata Liutprandi lege, atque in ſubſequenti Chriſtianiſſimus ipſe Rex ſtatuit, ne cuipiam in poſterum liceret accedere *ad Arioles, aut Arioias, vel Aruſpices, aut alios qualeſcumque, reſponſum ab illis accipiendum*, hoc eſt, ſciſcitandi cauſsâ res abditas ſive futuras. Ipſi Arioli detecti in ſervitutem rapiendi Judicibus erant, & extra Regnum uti mancipia venum exponendi. Jam conſtat, Aruſpicinam, atque omne ſacrilegae divinationis genus, morbum antiquiſſimum eſſe, ab Idolorum cultoribus natum, quo in Italia Etruſci potiſſimum, ac deinde Romani diutiſſime laborarunt. Inde pervaſit ille in ipſos Chriſtianorum coetus, atque inter eos ita debacchatus eſt, ut in ipſius Principis ſalutem ac ſtatum Reipublicae inquirere non ſine publicae quietis detrimento complures auderent. Huic ergo obſtandum ratus Conſtantinus Magnus legem tulit: ſed ad ipſum eliminandum acrius inſurrexit Conſtantius Auguſtus ejus filius Lege 4. Codic. Theodoſian. Libr. 9. Tit. 16. En decretum illud Anno Chriſti CCCLVII. promulgatum: *Nemo Aruſpicem conſulat, aut Mathematicum* (ideſt Aſtrologos) *nemo Ariolum. Augurum & Vatum prava confeſſio conticeſcat. Chaldaei, ac Magi, & ceteri, quos Maleficos ob facinorum magnitudinem Vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo divinandi curioſitas. Etenim ſupplicium capitis feret gladio ultore proſtratus, quicumque juſſis obſequium denegaverit.* In eam Legem conſule Commentarios doctiſſimi Gothofredi. Sunt & duae aliae Leges in Codice Theodoſiano eodem Titulo contra *Maleficum* hoc, ut olim ajebant, hominum genus. Circiter Annum DIV. Theodericus etiam Italiae Rex Judices decrevit contra Magicae Artis profeſſores, ut eſt apud Caſſiodorium Lib. 4. Variar. Epiſtolar. Epiſtolâ 22. Athalaricus verò illius ſucceſſor adversùs *Maleficos* iſtos ſeveritatem Legum armavit, Caſſiodorio ipſo teſte Lib. 9. Epiſt. 18. Sed uti vidimus, comprimi quidem, non autem eradicari unquam potuit Ars, cui vel apud primores Populi, nedum inter inſanum vulgus, nunquam defuere patroni. Quare deſinente Sacu-

culo VIII. aut ineunte ſubſequenti, Carolus Magnus in Capitulari, quod habetur Tomo primo, pag. 518. Baluzianae editionis, edixit: *Ut nemo ſit, qui Ariolos ſciſcitetur, vel ſomnia obſervet, vel ad auguria intendat. Nec ſint Malefici, nec Incantatores, nec Phitones, nec Cauculatores, nec Tempeſtarii, vel Obligatores.* Addit etiam: *Ut obſervaciones, quas ſtulti faciunt ad Arbores, vel Petras, vel Fontes, ubicumque inveniuntur, tollantur & deſtruantur.* Ergo neque Gallia tum felicior Italiâ, quum & ibi *ad Arbores, Petras, & Fontes* ſuperſtitioſum vulgus confluëret aut ad ſanitatem recuperandam, aut ad occulta detegenda, uti ſpes erat.

Audiſti nuper, quot nebulonum genera tunc illuderent alienae credulitati, & ad Superſtitionem imperitos raperent. Et ſane rudibus iis Saeculis dici non poteſt, quàm facile propinarentur fictiones & fabulae, & quàm facilius ab indoctorum vulgo, immo & ab ipſis Nobilibus tanquam certiſſima hiſtoriae capita exciperentur. *Tempeſtarios* Carolus Magnus commemoravit. Quae de hiſce Populi opinio tunc foret, Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus eorum temporum Scriptor, in Libro *de Grandine* nobis explicabit. *In his regionibus*, ita ille ſcribit, *paene omnes homines nobiles & ignobiles, urbani & ruſtici, ſenes & juvenes, putant, grandines & tonitrua hominum libitu poſſe fieri* nempe *incantationibus homixum, qui dicuntur Tempeſtarii.* Pergit ille prodere quàm craſsâ Minervâ tunc laborarent fere omnes ex Populo: *Pleroſque*, ait, *vidimus & audivimus tantâ dementiâ obrutos, tantâ ſtultitiâ alienatos, ut credant & dicant quamdam eſſe regionem, quae dicatur Magonia, ex qua naves veniunt in nubibus, in quibus fruges, quae grandinibus decidunt, & tempeſtatibus pereunt, vehantur in eamdem regionem, ipſis videlicet nautis aëreis dantibus pretia Tempeſtariis, & accipientibus frumenta, vel ceteras fruges.* In hanc rem etiam legenda ſunt, quae habet Synodus Pariſienſis Anno DCCCXXIX. coacta, Lib. 3. Cap. 2. Adeo ne infantes inquias, tunc homines, ut ineptiis hiſce ridendis fidem adjungerent! Immo obfirmatis animis iſta credebant: quae cauſſa erat, ut deceptа imaginatio ad acta proſiliret, quae vehementius etiam mireris. Teſtem habeo eumdem Agobardum: *Vidimus*, ait, *plures in quodam conventu hominum exhibere vinctos quatuor homines, tres viros, & unam feminam, quaſi qui de ipſis navibus cecideriſent. Quos ſcilicet per aliquot dies in vinculis detentos, tandem collecto conventu hominum exhibuerunt, ut dixi, in noſtra praeſentia, tamquam lapidandos.* Sed eorum caeco furori miſeros eripuit oculatus & doctus Agobardus, qui relatis etiam aliis eorum temporibus ſtultis opinionibus, & peſſimis illarum effectibus, in haec verba deſinit: *Tanta jam ſtultitia oppreſſit miſerum Mundum, ut nunc ſic abſurdae res credantur a Chriſtianis, quales unquam antea ad credendum poterat quiſquam ſuadere Paganis, Creatorem omnium ignorantibus.* Vitiatas hujuſmodi phantaſias & nos interdum temporibus noſtris offendimus in viris, ſed praecipue in mulierculis, quibus nihil mali accidit ſibi aut aliis, quod vi ſupranaturali, atque ope Daemonum non reputetur enatum. Auctor praeterea idem Agobardus eſt, non defuiſſe alios, qui *ſe noſſe defendere a Tempeſtate habitatores loci jactabant*, quibus propterea dementes agricolae *de frugibus ſuis* par-

partem perſolvebant, & appellabant hoc *Canonicum*. Subſequente etiam Sæculo Chriſti Decimo, Atto Vercellenſis Epiſcopus oſtendit, perduraſſe in Italia ejuſmodi peſtem, quum in ſuo Capitulari Cap. 48. ſcribat, quemlibet ex ordine Clericorum, *ſi quando Magos, aut Aruſpices, aut Ariolos, aut certe Augures, vel Sortilegos &c. conſuluiſſe fuerit deprehenſus, ab honore dignitatis ſuæ depoſitum*, perpetuae poenitentiae eſſe ſubjiciendum. Sed nullum fortaſſe Seculum oſtendas, quo non occurrant & perverſae divinationis, & Magicae artis aut vera, aut falsò credita maleficia, ſive deliria, ſimulque Eccleſiae anathemata. Si quid tamen video, nos praeteritorum temporum ſomnia ineptaſque Opiniones unice miramur, quum ne ab ipſa quidem contagione prorſus immunis ſit aetas noſtra. Profectò nunc Libros habemus ſpiſſiſſimos adverſus Magiam conſcriptos, fabulis, incertiſque narrationibus ad ſaturitatem refertos. Novimus etiam, innocentes praeſertim mulieres interdum in veneficii ſuſpicionem adductas fuiſſe, in quibuſdam Chriſtiani Orbis partibus, & aut igni datas, aut mortis periculum vix evaſiſſe: neque alia de cauſâ reas vulgo creditas, quàm quod ſub faſce annorum illarum humeri jam curvarentur. Sed mihi in primis tum deſipuiſſe videntur Majores noſtri, quum impoſtoribus iis, quos *Zingaros*, vel *Zingaros* appellarunt, & adhuc nos appellamus, aditum liberum in Italiam permiſere. Non ante Annum MCCCC. peſſimum hoc hominum genus e latebris ſuis emerſit, Aegyptum patriam ſimulans, & dictitans, ereptam ſibi fuiſſe terram ſuam a Rege Hungariae: quod riſum moveat Geographiae gnaris; ſed imperitis

A fucum faciebat. Quod veri videtur ſimilius, gens iſta e Walachia & conterminis regionibus originem duxit; & adhuc ingens eorum copia viſitur in oppidis Hungariae, Serviae, Bulgariae, & Macedoniae. Sive ergo e ſuis ſedibus pulſa, ſive ſponte egreſſa ſpurca gens mille mendaciis ſibi viam ſternens apud Bardos Populos, modum invenit perſiſtendi ſemper in eiſdem Provinciis, quamquam ſtabiles nunquam permanerent. Nullus iis ager frumenta dabat, nulla Ars lucrum ſuppeditabat. Furtum tantummodo, rapina, fraudes, inexhauſtum iis horreum ac aerarium perpetuo fuere. Neque hoc Italico vulgo ignotum: attamen tolerata eſt infamis erronum colluvies, quod mentirentur, ſibi poenitentiam vagandi ſeptem annis impoſitam fuiſſe, & quod plus eſt, vim ac artem divinandi futura ſibi tribuerent. Puer audiebam eos venditare, ſibi interdictum ultra triduum in uno loco morari: licere quoque ſibi, veniâ a Romano Pontifice factâ, in quocumque loco conſiſterent, victum inde conquirere.

Quo tempore *Zingari* vel *Zingani* in haſce regiones primum ſint illapſi, adnotatum eſt in Hiſtoria Miſcella Bononienſi, a me editâ Tomo XVIII. Rer. Italicarum. Ibi legas ad Annum Chriſti MCCCCXXII. *A dì 18. di Luglio venne in Bologna un Duca di Egitto, il quale aveva nome il Duca Andrea: e venne con donne, putti, e uomini del ſuo paeſe: e potevano eſſere ben cento perſone &c. Aveano un decreto del Re d'Ungheria, ch' era Imperadore, per vigore di cui eſſi poteano vubare per tutti quel ſette anni per tutto, dove andaſſero, e che non poteſſe eſſere fatta loro giuſtizia. Sicchè, quando arrivarono a Bologna,*

alloggiarono alla Porta di Galliera dentro, e di fuori: e dormivano ſotto i portici, ſalvo che il Duca alloggiava nell' albergo del Re. Stettero in Bologna quindici giorni. In quel tempo molta gente andava a vederli per riſpetto della Moglie del Duca, che ſapeva indovinare, e dir quello, che una perſona dovea avere in ſua vita, & anche quello, che avea al preſente, e quanti figliuoli; e ſe una femmina era cattiva o buona, e altre coſe. Di coſe aſſai diceva il vero. E quando alcuni vi andavano di que' pochi, che volevano far' indovinare de' loro fatti, pochi vi andavano, che loro non rubaſſero la borſa, e non tagliaſſero il teſſuto alle femmine. Anche andavano le femine loro per la Città, a ſei e a otto inſieme. Entravano nelle Caſe de' Cittadini, e davano loro ciance. Alcuna di quelle ſi ficcava ſotto quello, che poteva avere. Anche andavano nelle botteghe, moſtrando di voler comperare alcuna coſa, e una di loro rubava &c. Neque pures, Italiam fatis fuiſſe ejuſmodi praedonum gregi, quem ſenſim augebant viri & feminae ex iis ipſis regionibus, per quas pertranſibant, collecti. Auctor eſt Krantzius in Saxonica Hiſtoria, eos Anno MCCCCXVII. in Saxonia primum verſari coepiſſe, eoſque graphice deſcribit, *Zygenos*, ſeu *Zigeunos* eos appellans. Aventinus quoque ad Annum MCCCCXL. refert priores illorum excurſiones in Bavariam, neque eorum mendacia ſilet. Pari ſucceſſu effudere ſeſe foediſſimae illius gentis examina in Belgium, in Galliam, ubi *Aegyptii*, ſeu *Bohemi* appellantur, & in Hiſpaniam, ubi *Gittani* eis nomen eſt. Et quamquam publicis ſaepe edictis proſcripti excluſique fuerint, nondum tamen eorum progenies in Occidente defecit: fortaſſe quod mu-

A neribus e latrocinio coactis oculos iis eripiant, quorum eſt vigilare ad publicae rei ſecuritatem atque tutelam. Puer quum eſſem, memini, me ab eorum uncis unguibus immunem abire non potuiſſe. Severiſſimis etiam poenis interdictus eſt iis aditus in Mutinenſem Ducatum: nihilo tamen ſeeius aliquot impune apud nos poſtea vidi; & certe in finitima quadam regione, & alibi, multa adhuc eſt iis licentia & quies. Innumeras quoque iſtorum turmas vagari per Turcarum Regna, teſtantibus mihi multis, exploratum habeo. Quid aliud ergo dicendum ſupereſt, niſi quod Henricus Spondanus in Annalib. Eccleſiaſtic. ad Annum MCCCCXVII. num. 14. adversùs hoc peſtiferum hominum genus gravi epiphonemate ſcriptum reliquit? *Turba*, inquit ille, *eſt congerronum, praeſtigiatorum, & furum, impune ubique latrocinantium, & ſtolidam plebem fatuis ſuis divinationibus, ac rerum permutationibus decipientium: quos ſane miramur a Principibus & Magiſtratibus non ſolùm permitti, verùm etiam protegi ac defendi.* Unde verò *Zingarorum* vocabulum deductum fuerit, ſi petas, adi Alexandrum Taſſonium Mutinenſem virum doctiſſimum in Lib. 8. Cap. 3. *Penſieri diverſi*, Ferrarium, & Menagium in origin. Linguae Italicae.

Inter Superſtitiones numeratur quoque *obſervatio temporum*, ſive *dierum*. Frequentiſſima haec olim fuit, reclamantibus fruſtra Eccleſiae Paſtoribus, ac Patribus. Et vetuſtiſſima quidem pravae hujus opinionis origo: nempe ab Aegyptiis, Etruſcis, Romanis, aliiſque gentibus falſae Religioni addictis, in Chriſtianum Populum delapſa eſt credulitas, ſtatos quoſdam dies haberi, quibus quidquid negotii in-

inchoatur, aut faciendum ſuſcipitur, infauſtos exitus conſequetur. Chryſoſtomus in Homil. 33. ad Populum, Ambroſius, Auguſtinus, & antiqua Concilia in haec deliramenta potiſſimum intonuere. Nicolaus etiam I. Papa in Reſponſ. ad Conſult. Bulgaror. Articul. 34. haec habet: *Praeterea conſulitis, an ſit aliqua dies, in qua non oporteat ad proeliandum exire. Non eſt ulla dies in quibuſcumque negotiis incipiendis vel exercendis penitus obſervanda, quum non ſit in diebus ſpes noſtra ponenda &c.* Tum Articulo 35. addit: *Nam illa, quae commemoraſtis, ideſt diei & horae obſervationes, incantationes, jocа, & iniqua carmina, atque auguria, pompae ac operationes Diaboli ſunt &c.* Sed quàm pertinax impia haec obſervatio etiam inter Chriſti fideles fuerit, exemplo erunt *dies Aegyptiaci* a remota antiquitate ad Saeculum uſque XVI. Chriſtianae Aere diligentiſſime a pleriſque ſervati, & publicis etiam Kalendariis inſcripti, ut oſtendi in Praefatione ad gemina vetuſta Kalendaria, Part. II. Tomi II. Rer. Italic. pag. 1023. Videlicet ſingulis menſibus dies duo adeo infauſti, adeoque mali ominis, atque ii ſuis ſedibus deſignati, decurrere putabantur, ut nihil niſi adverſi tunc operanti formidandum foret. Non vulgus duntaxat, ſed & homines politioris Minervae, iis diebus ſibi religioſe cavebant, rati traditionem hanc tantâ antiquitate ſtipatam gravibus ſundamentis niti, quae tamen unice in nubibus, ſive in impoſtorum phantaſia olim fabricata fuit. Audi Sanctum Auguſtinum in Expoſitione Epiſt. ad Galatas Cap. 4. *Vulgatiſſimus eſt error Gentilium iſte, ut vel in agendis rebus, vel in expectandis eventibus vitae ac negotiorum ſuorum, ab Aſtrologis & Chaldaeis notatos dies; & menſes, & annos, & tempora obſervent.* Rolandinus verò Hiſtoricus Lib. 3. Cap. 9. Chronic. ad Annum MCCXXXVI. ſiniſtram Patavini exercitus expeditionem narraturus, ait: *Et movit exercitus de Padua die III. intrante Octubri; & erat Aegyptiaca dies illa.* Tum Lib. 4. Cap. 5. tentatam Anno MCCXXXVIII. infelici exitu ab Eſtenſi Marchione Patavinam Urbem deſcribens, haec habet: *Venit cum multa turba, & armata manu, uſque ad Pratum Vallis, quod eſt in ſuburbio Civitatis: & fuit hoc in XIII. Julii praeſcripti Anni MCCXXXVIII. & erat Aegyptiaca dies illa:* quo revera in Kalendario, a me edito, adnotatur infauſta illa, ut credebatur, dies. Porro quantae antiquitatis ſit Superſtitio haec, diſcas e Kalendario Furii Dyoniſii Filocali, ſpectante ad Annum Chriſti CCCLIV. edito a Clariſs. P. Janningo Soc. Jeſu in Tom. 7. Junii inter Acta Sanctorum, ubi leguntur ſingulis menſibus Gemini *Dies Aegyptiaci*. Et diu quidem ſuperſtitioſam ejuſmodi dierum obſervationem perduraſſe dixi. Nempe, ut antiquiores Libros omittam, viſitur in Eſtenſi Bibliotheca Breviarium Romanum MStum membranaceum, elegantiſſima picturâ ornatum, & circiter Annum MCCCCLXXX. manu ſcriptum. Praecedit Kalendarium, in quo *Aegyptiaci dies*, immo & horae pernicioſae, verſibus unicuique menſi appoſitis, deſignantur. Ad Januarium menſem hi leguntur:

Prima dies Jani timor eſt, & Septima vani.
Nona parit bellum: ſed Quinta dat hora flagellum.

Quantâ verò inſaniâ, & quot ſuperſtitioſis ritibus, choreis, & victimis, olim in Romano Imperio Kalendae Januarii celebrarentur, notiſſimum eſt Eruditis. Sed ne Ethniciſmo quidem ſublato, ſublata eſt ſuperſtitioſa illius diei ſolemnitas, in quam declamarunt ſaepe Romani Pontifices, Sancti Patres, & Concilia. Quod mirere, ipſo etiam Seculo VIII. atque in ipſa Urbe aeterna Populus antiquorum rituum tenax, nondum haec deliria dedidicerat. Audi Sanctum Bonifacium, inſignem primum Moguntinum Epiſcopum & Martyrem, hiſce verbis ad Zachariam ſummum Pontificem Epiſtolâ 132. ſcribentem. Scilicet is dolet, *quia carnales homines idiotae, Alamanni, vel Bajoarii, vel Franci, ſi juxta Romanam Urbem aliquid facere viderint ex his peccatis, quae nos prohibemus, licitum & conceſſum a Sacerdotibus eſſe putant, & nobis improperium deputant, & ſibi ſcandalum vitae accipiunt. Sicut aſſerunt, ſe vidiſſe annis ſingulis in Romana Urbe, & juxta Eccleſiam, in die vel nocte, quando Kalendae Januarii intrant, Paganorum conſuetudine chorus ducere per plateas, & acclamationes ritu Gentilium, & cantationes ſacrilegas celebrare: & menſas illa die vel nocte dapibus celebrare; & nullum de domo ſua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino ſuo praeſtare velle. Dicunt quoque, ſe vidiſſe ibi mulieres Pagano ritu Phylacteria & ligaturas in brachiis & cruribus ligatas habere, & publice ad vendendum venales ad comparandum aliis offerre. Quae omnia eo quod ibi a carnalibus & inſipientibus videntur, nobis huic & improperium & impedimentum praedicationis & doctrinae perficiunt.* Paria etiam dici poſſent de *Kalendis Auguſti*, quae apud nos a Feriis adhuc retinent nomen *Feragoſto*, non ceſſante vulgo ea die vino & epulis indulgere. Hiſce junge *Bacchanalia*, *Vindemias Nolanas*, atque horum ſimilia, quae a ſera antiquitate ad nos uſque, veluti hereditaria, pervenerunt. Redeo ad ſtultam dierum obſervationem. Profectò ne heic quidem Majorum noſtrorum mores ac improvidam crediditatem, ſive ſuperſtitionem mirari nobis licet. quum ne noſtra quidem aetas careat hominibus, & fortaſſe plus ſibi ſapientiae tribuentibus, quàm rudium Saeculorum mentes ſibi tribuerent: qui die Veneris nullum iter inchoarent, veriti, ne exemplo ſuo verum comprobarent adagium quoddam Hiſpanicum nempe: *Die Martis, aut Veneris neque nuptias, neque iter inſtitue.* Qui etiam horrent, ſi quando ad menſam cum duodecim aliis convivis ſe ſedere deprehendunt: opinio enim invaluit, non exceſſurum annum integrum, quin ex iis tredecim unum mors inſidioſa furripiat. Qui denique, ut plura alia praeteream, ſi fortè ſal in menſa effundi conſpiciunt, infortunium aliquod imminere ſibi continuo perſuadent. Rident haec omnia cordati viri; ſed timidis ea perſuaſio ne forcipibus quidem adhibitis eripi queat.

Excogitari quippe non poteſt, quàm tenax interdum ſit Populus morum & opinionum antiquarum, & praecipue ubi agitur de publico laetitiae ſpectaculo, aut de ſpe lucri, aut de periculis evitandis. Et heic traditio majorum ſufficit: neque ratio alia, cur ita agatur aut credatur, exigitur. Exemplum alterum accipe. Tum Ferrariae, tum Mutinae (an & in aliis Urbibus id contingat, ignoro) Majo menſe nuptias inire, apud pleroſque piaculum foret. Scilicet aut

in

in conjuges, aut in prolem, quae inde emergeret, innumera incommoda atque adverſa manarent. Sed unde ridenda haec opinio? Eam novimus vetuſtiſſimam eſſe, quippe Ovidius Lib. quinćto Faſtorum, auctor eſt, jam tum timuiſſe ſibi homines a nuptiis Majo menſe celebratis. Inquit autem:

Hac quoque de cauſsâ, ſi nos proverbia tangunt,
Menſe malum Majo nubere, Vulgus ait.

Plutarchus etiam meminit inſulſae hujus, ſed tamen paſſim receptae apud Romanos conſuetudinis, in Quaeſt. Rom. Equidem praefracte contendere nolim, quin poſterioribus hiſce Seculis, inſpecto ritu Romanorum apud Ovidium, rurſus obliterata haec opinio reſurgere, atque apud Populum vulgata, iterum in omnium mentes ac aedes penetrare potuerit; ſed veri etiam ſimile videatur, eam interrupto curſu, vel poſt attritum Romanorum imperium, perſeveraſſe apud quaſdam ex Italicis gentibus eâdem ratione, qua adhuc Mediolani, dum nuptiis peractis mas & femina procedunt, pueri id animadvertentes, ſtatim hiſce obſtrepunt vocibus: *Ali' aminee, ali' aminee*, hoc eſt, *Hymenaeum*, ſecundùm morem veterum inclamantes. Neque enim unquam e Populi ore, antiquorum rituum tenaciſſimi, conſueta illa Gentilium acclamatio receſſit. Sed quando Mediolanum venimus, heic conſiſtamus velim, ut nonnulla Superſtitionis veſtigia, quae illic olim vigebant, agnoſcamus. Scilicet religioni ſibi non ducebant Cuſtodes atque Miniſtri celebris Ambroſianae Baſilicae *Simulacrum Herculis* in ipſo Templo habere, & quidem ad oſtia Chori. Audi Landulphum juniorem Hiſt. Mediolanenſ. Cap. 10. Tomo V. pag. 481. Rerum Italicar. de Presbytero Liprando iſta tradentem: *Eundem Eccleſiam intravit, & pulpitum cum Arialdo de Maregnano aſcendit; & ſacto ſilentio in Populo, & Presbytero ſtante nudis pedibus ſuper lapidem marmoreum, qui in introitu Chori continet Herculis Simulacrum, idem Groſſolanus ait &c.* Plura de hoc Simulacro habet Puricellius tum in Monument. Baſilic. Ambroſian. tum in Vita Sancti Herlembaldi. Ego id unum perſequor, bonis Mediolanenſibus, dum Saecula rudia decurrebant, in mentem non veniſſe, quantum dedeceret inter Chriſtianorum ſacra ſtatuam ſervare Herculis, non ſolùm profani ac Ethnici hominis, ſed etiam inter Divos a caeca veterum Superſtitione relati. Sed ejuſmodi opprobrium poſteri meliora edocti inde tandem exturbarunt. In eâdem autem Baſilicâ ſub navi majori viſitur adhuc marmoreae columnae impoſitus *Serpens aeneus*, quem Landulphus ſenior in Hiſt. Mediolanenſ. Lib. 2. Cap. 18. Tomo IV. Rer. Italicarum, e Conſtantinopoli ab Arnulpho Epiſcopo delatum circiter Annum Chriſti MII. ſcribit, eumdemque putat, *quem Moyſes in Deſerto, divino imperio admonitus, coram Filiis Iſraël exaltaverat.* Exſibilanda plane opinio, quae adverſantem habet ſacram Hiſtoriam, traditionemque Patrum. Multa de Serpente hoc aeneo commentatus eſt ſupra memoratus Puricellius, ſed plura Petrus Paulus Boſcha, qui temporis, ut mihi videtur, prodigus, leve hoc argumentum ſingulari Libello jam edito inluſtrandum ſibi ſuſcepit, congeſtìque omnes tum Vulgi, tum doctorum hominum opiniones, pleraſque ineptas ea de re. Fuere tamen Eruditi non pauci, inter

quos

quos praecipue recenſendus Alciatus V. Cl., qui in hoc Serpente veſtigium pertinax Ethnicae Superſtitionis latere ſuſpicati ſunt, quaſi haec imago fuerit Aeſculapii, ſub ſpecie Serpentis a Romanis, Graeciſque olim culti, quae in ſacram illam Baſilicam antiquis temporibus irrepſerit, & adhuc ibi cubet. Mea ſententia eſt, non alio conſilio ab antiquis aeneum illum Serpentem collocatum in Ambroſiano Templo fuiſſe, quàm ut exprimeretur, quod divinus Redemtor noſter Johannis Cap. 3. verſ. 14. dixit: *Sicut Moyſes exaltavit Serpentem in Deſerto, ita exaltari oportet Filium Hominis*. Fuiſſe hanc veterum mentem, certâ quadam conjecturâ aſſequutus mihi videor, poſtquam agnovi, qualis ante tria Seculà eſſet facies loci illius. Adſervatur in Eſtenſi Bibliotheca, *Angeli Decembris Vigevii* (ſcilicet Vigevanenſis) *Commentarius de Supplicationibus Majis, ac veterum Religionibus ad Cl. V. Johannem Tuſcanellam*. Codex ipſe MStus ad eundem Tuſcanellam olim ſpectabat. Ibi verò haec adnotata ſunt in fronte Libelli: *Hic ſermo, ſive Commentarius actus eſt Mediolani, & in Mediolanenſi Templo primario beatiſſimi Divi Ambroſii, diebus autem Majalibus, quibus triduum quotannis litationes Chriſto referuntur, Anno ejuſdem MCCCCXLVII.* Multa autem occurrunt illic, quae excerpenda duxi atque heic exhibenda, utpote argumento noſtro accommodata. Idem Opuſculum occurit mihi inter Codices MStos Ambroſianae Bibliothecae, ubi Johannes Tuſcanella appellatur *Secretarius*, nempe Ducis Mediolanenſis.

Itaque primo conjectatur Decembrius, Sanctum Ambroſium, ubi condendae Baſilicae conſilium iniit, ſacrilega Ethnicorum ſana reliqua evertiſſe, & ejuſmodi rudera in deſpectum profanae Religionis, & proſtratae Idololatriae ſervata, convertiſſe in uſum Baſilicae ſuae Deo vero ſacratae. Inter cetera auctor eſt, Columnas duas in Ambroſiana Baſilica collocatas fuiſſe. In una *Crucifixi* effigies ſuperimpoſita: in altera *Serpens Aeneus* ſpectabatur. Itaque commemorat *Anguem aereum in medio Templi ſuper Columna, laevâque aſtantem ſinuoſo volumine: quod Arianorum Idolum fuiſſet, aut Aeſculapio fortè dicatum, cui conſecratus eſt Serpens, aut ex Vetere Teſtamento ſuſceptum. Nam de Moyſe ſecundùm conſuetudinem, ſive Moſe potius, ut Juvenali placet, atque ejus Virgâ, aliae ſunt ambages. Super altera* (ideſt Columna) *inſignem Crucifixi imaginem. Hoc itidem controverſiae genus ab eodem conditore compertum, ut quum hanc ſupplices intentâ facie & animo adoraremus, illi contra ad ignominiae notam terga verterentur*. Ineptam profectò conjecturam. Tam inconſulti, aut infantes, Decembri mi, non erant primi Eccleſiae Patres, eoque minus Ambroſius ſanctiſſimus aeque ac ſapientiſſimus Vir, ut in Templa Chriſto ſacra inferrent Simulacra falſorum Numinum, veluti monumenta ad exſecrationem piae Plebis expoſita. Ea dejiciebant; ea oculis Populi ad Idololatriam facile proni, quàm accuratius poterant, ſurripiebant. Sed veri quidem mihi videtur ſimillima cauſſa, quam nuper innuebam, expoſiti illic Serpentis aenei. Nempe Moſaicus Serpens ad medelam Populi in eum reſpicientis (ut habetur Numer. Cap. 21. verſ. 8.) pro ſigno poſitus eſt, *quem quum percuſſi aſpicerent, ſanabantur*. Atqui typus, ut vidimus, illic fuit Chriſti venturi,

ad

ad cujus e Cruce pendentis adſpectum ſanandum erat humanum genus. Geminas ergo Columnas in ambroſiana Baſilica veteres conſtituerunt: ſuper unam Prototypi, & veritatis effigiem locantes, hoc eſt, Chriſti in Cruce exaltati Imaginem: ſuper alteram Typum, ſeu ſymbolum Crucifixi ipſius, ideſt Serpentem a Moyſe in Deſerto exaltatum. Atque adeo utrobique inſpiciebatur & colebatur Chriſtus; non autem deſpiciebatur Aeſculapii ſignum, aut Idolum aliquod Arianorum, qui nunquam Idololatriae fuere infimulati. Noſtris temporibus ibi tantùm viſitur Crucifixi Imago, diu nimirum ante amotâ columnâ. Perdurabat apud antiquos traditio, per Anguis illius effigiem deſignari Serpentem Moſaicum: Popellus autem, cui acceſſere etiam ex doctis nonnulli, inter quos Landulphus ſenior, ut ſupra vidimus, ſibi perſuadere coeperunt, Serpentem illum eumdem ipſum ipſiſſimum fuiſſe, qui a Moyſe conflatus fuerat, quam fabulam confutare minime opus eſt. Ceterum audire juvat Decembrium ipſum alia narrantem, videlicet: *in eodem Templo* Ambroſiano, *atque ipſius adyti fronte, quae ad Occidentalem plagam vergit, Orgia Bacchea ex vetuſto marmore caelata nunc etiam exſtare. Quare haud temere olim fortè iſtic Libero Patri dicatum, ſeu Gentilium delubrum quoddam extitiſſe putandum. Namque ex uno latere ipſius Bacchi, ut opinabantur, ſeminudi eſſe ſimulacrum, atque ideo caprinâ pelle ſuccinctum; quod hircus ſibi ſoli conſecretur: ex altero Thyaſos, ideſt marium feminarumque choreas cum pampineis tyrſis & funalibus impreſſas.* Pergit ille, contendens, non Bacchum, ſed Herculem ſculptum ibi fuiſſe. *Itaque*, ait, *hoc*

A *in loco Herculem laevâ manu leonem per caudam humo tollere, tamquam gygas immanis, ſimul ac eumdem elatâ dextrâ nudoſo ſtipite, ideſt clavâ, exanimare videtur.* Infra addit, Alcidem illum *nunc verſis jacere veſtigiis, cernuo recumbentem capite.* At nihil Superſtitionis hae in re occurrit; caſu enim factum, ut ejuſmodi marmor,

B ſive Bacchum, ſive Herculem in iis anaglyphis referat, in Templi Ambroſiani faciem inlatum fuerit. Nulla autem errandi cauſſa, inde Populo creabatur, quid ibi inſcriptum fuerit omnino ignoranti. Ita nihil improbandum reperias in altero Mediolanenſium ritu, quem hiſce verbis Decembrius deſcribit. *Vetus inſtitutum eſt,*

C *ut ſingulis Ambroſiani Feſti ſolemnibus, quoniam id hyberno tempore contingit, ingentem molem ex omnium colorum cerâ, in diverſorum florum herbarumque ſimilitudinem, mire quodam artificio compoſitam, ante ipſius Ambroſii Aram efferant, in qua lives tes uvarum racemi cum viridantibus pampinis ſingulari arte efficti cernuntur.*

D Quod tamen aptius in rem noſtram cadit, rationem tradit ille, qua Mediolanenſe Vulgus aetate ſua ſibi a faſcino caverent, atque a grandine, fulminibus, & rurſus aquam in ariditate terrae e coelo impetrarent. Ad primum quod attinet, *Serta*, inquit, *longi hinc inde torquibus ex diſcoloribus roſis, odoratiſque graminibus revincta diſtendimus, ſive floralia quaedam vincula (ſi a Florâ Deâ libet appellare) eadem pariter, quae Ambroſiana cerea nuper memoraſtis. Neque dubium, id torquium genus a veteribus proditum; ſiquidem ante domorum fores, & in triviis (a Triviâ, ut puto, Deâ) in Templis pariter, cbramque Deorum ſimulacris*

E *appendimus; priſcâ, inquam, exceptum con-*

conſuetudine. *Quo pluribus, ut arbitror, viarum, caelique traſtibus, & Populo & dies feſta preceſque protendantur. Et quacunque protendi, vergique videntur omnes ſceleſtarum anuum faſcinationes, impurorum ſacerdotum carmina aboleri, ſimul furentes nimborum impetus, concretam grandinem, fulmínea tela dilui opinantur.* Hae vulgares eorum temporum opiniones & acta ad maleficia Magica, caelive tempeſtates avertendas. Qua autem ratione pluviam e nubibus evocarent, quae Decembrius ſubdit, nos edocebunt: *Contra ſi nimio Solis ardore terrae dehiſcant, quum ſiccis arvis areſcunt intempeſtivae fruges, & quum ſiciunt omni arbore frondes, Focos in propatulo exſtruere mos eſt, quos ruſtici etiam in ſuburbanis majores inſtituunt. Id autem ferme Caniculario Menſe qualibet aeſtate contingit. Deſuperque ahena undantia cum tripodibus, ad illius, ut putatur, beatiſſimi Johannis invocationem Evangeliorum Scriptoris, ſive Martyrii ſui memoriam. Quem quum olim patulo vaſe impii Gentiles, tamquam aheno ferventis olei pleno flammis ſuperjeciſſent: fidei ſeſe Salvatoris commiſiſſe ferunt, eumque improviſo atram tempeſtatem effuſis imbribus injeciſſe, qua omnis illius ignis vapor extinctus eſt. Ut per hoc ideò ſacrum, quod Vulgus ignorans Sacram Concham appellat, ſive pro ejus nomine, quam Poëta Caerulam Conchum dixit, ſive pro ea certe, qualecumque fuerit concavum vas, undique labrum habens, pluviae tamdem exoptatae ſuperveniam.* Eſt adhuc Mediolani Baſilica Sancti Johannis in Concha, in qua Patres Carmelitae Officia divina peragunt. Hinc ei nomen acceſſerit, hoc eſt, e *ferventis olei dolio*, in quod Sanctus Johannes, teſte Tertulliano & Hieronymo, immiſſus fuit. Neque praetermittenda ſunt, quae Decembrius dicere pergit, contemplanti abſonam ipſius Plebis pietatem riſum fortaſſis excitatura. *Quae ahena tamen*, inquit, *ne fruſtra flammis impoſita videantur, multo varioque replent legumine, & ſalſis carnibus: unde dictum eſt Pleno copia cornu. Id autem obſonium impubes manus epulatur circum inſultans, & recenti aquâ certatim ſe pruinens. Alii autem non pluviam illi ſanctiſſimo Viro ſuperfuſam aſſeverant; ſed quod mirabilius fuit, oleum nequicquam ebulliſſe, neque laeſiſſe magis, quàm ſi ſine igne impoſuiſſent. Utcumque id fuerit, hoc ſacrum profectò eadem religione inſtitutum videtur, ut facilius caelo imbres exorentur. Quam Vulgi opinionem haec inſuper conſuetudo confirmat: quod non ſe ſolùm epulantes injectis lymphis humectant, ſed ſi quem fortè praetereuntem Sacerdotem ludentes animadverterint, eumdem quoque libentius ſocia aſpergine madefaciunt. Quibus ludicris quum aliàs Rhaudenſis noſter Antonius, uti a ſe ipſo percepi, fato an caſu ſuperveniſſet, quo magis celebrioris famae, & reverentiae Monachum eum eſſe cognoſcerent, eo denſioribus aquis, tamquam imbribus, per feneſtram deſuper irroraverunt.* En quibus actibus, utique ſuperſtitiosis, & non uno titulo improbandis, antiqui Mediolanenſes exoptatum imbrem e caelo exprimerent: quorum violentiae neſcio an idem caelum ſaepe victum ſe dederit. In quidem novi, haec non clanculum, non remotis teſtibus, ſed in media ipſa Urbe, meridiano Sole micante, fieri conſueviſſe. Neque ipſemet Angelus Decembrius, vir alioquin eruditus, & non vulgaris intelligentiae, dum ea refert, damnat, immo comprobare videtur: adeo illius aevi bona gens, quod conſuetum erat, & a Majoribus veluti hereditate acceptum, ſanctum & omni

cul-

culpae umbrâ immune arbitrabantur. Alium denique morem Mediolanenſis Vulgi, recurrente Rogationum triduo, Decembrius enarrat, quem quia deſiiſſe vidi, Lectorum examini ſubjiciendum puto. *Patritios ritus*, inquit ille, *accuratius atteutiſſimis vobis expono. Ergo cum his ſimul frondibus, torquibuſque, matres, & inuuptae puellae ſua vota counecluut, ex panuicibus* (ita ſcriptum) *couſutiles liberorum imagines effingendo, quibus ſe ſe olim foetus ſuos rite concipere & educare confidunt. Proiude eadem Floralia* (ita ille ſupplicationes Majas appellat, quaſi a Floralibus Ethnicorum feſtis ad nos derivatas: quod falſum plane eſt) *cum paxemadibus, & azimis, cum ovorum teſtis, & offarum ſimulacris ad ejuſmodi victus indulgentiam; cum variis olerum & leguminum generibus; cum ampullis quoque penſilibus, aquâ, vino, lacte, oleo, melle refertis, decoramus. Quam rurſus conſuetudiuem putaut ab antiquorum Monachorum, ſive Eremitarum diſciplinis, an Pythagoreorum, Pompilianorum, ſuſceptam: qui ea tantummodo ab immortalibus impetrari licere, & ad humanam ſuſtentationem ſine animalium epulationibus ſatisfacere arbitrati ſunt.* Haec Decembrius, quem denique dimiſſum volo.

Haec tamen pauca ſunt ex iis, quae Saeculis rudibus uſurpata fuere, nunc autem aut antiquata ſunt, aut Eccleſiae decreto penitus ſublata. Copiam fortaſſe miraremur, ſi proſpectos omnes Majorum noſtrorum ritus haberemus. Sunt etiam, quorum nomen perdurat, res autem aut ceſſavit, aut aliam faciem induit. Sacra Nativitate Chriſti recurrente, aut connexis diebus feſtis, mos olim fuit in ſummam laetitiam intra ipſas domos erumpere. Jocia, choreis, conviviis ſacra illa dies agebatur, atque inter alia praegrandis ſtipes incende-

batur, non ſine ſuperſtitionum quarumdam additamento. In Florentino Vocabulario Academiae Furfuraceae haec ad vocem *Ceppo* adnotantur: *Battere, o ardere il Ceppo: dicono i fanciulli per la ſoleunità del Natale a una certa funzione, nella quale da' loro maggiori ſogliono ricevere donativi e mancie, che poi aſſolutamente ſi dicou da queſto Ceppi. Allegr. 198. Per trattenerli la ſera, che s' arde il Ceppo a' nepotini.* Sed vereor, ut ii rite fuerint interpretati hanc vocem; & certe eorum interpretationi exemplum adlatum minime reſpondet. Nimirum urebatur tunc revera caudex Arboria, quem *Ceppo* nos appellamus. Ego quoque puer in patria mea Vineola audiebam, in Vigiliis Nativitatis Domini cnmburi il *Ceppo*; & quum per eos dies invitarer ad prandendum apud affines meos, id appellabatur *andare a Ceppo*. Sed vix antiqui ritus veſtigium nunc ſupereſt. Quid olim ea occaſione perageretur, habeo, qui luculentius nobis explicet. Is eſt Georgius Vallaguſa, cujus Opuſculum MStum in Bibliotheca Ambroſiana adſervatur *de origine & cauſſis Ceremoniarum, quae celebrantur in Natalitiis*. Dialogus eſt inter Philippum Mariam, Johannem Sphortiam, & Ludovicum, Franciſci Sfortiae I. inclyti Mediolanenſium Ducis filios, & ipſum Georgium, illorum Praeceptorem, circiter Annum MCCCCLXX. ſcriptus. Opuſculo argumentum praebuit idem ritus, quem nunc innuebam. Inducitur ibi omnium primus Philippus Maria fari hia verbis: *Perpulcher eſt profectò, Sphortia germane frater, apparatus iſte ab Illuſtriſſimis parentibus noſtris quotannis hoc Natali die repetitus. Delectat me non mediocriter caterva haec Nobilium in hac noſtra Aula frequens, dum Stipes iſte hac ſolemnitate in ignem conjici-*

njicitur. Sphortia: *Afficit enim magnopere laetitia at hilaritate non ipſam Regiam dumtaxat, ſed totam quoque Civitatem. Hoc ab Illuſtriſſimo Avo noſtro Philippo Maria emanaſſe accipio. Sed neſcio quo pacto nunc apertius, ac in omnium Civium conſpectu celebratum majorem afferat cunctis voluptatem. Quare & parentum & Avi nos quoque veſtigia proſequamur. Eja agite, fratres, ſi libet, de more Lignum afferri jubeamus*. Johannes: *Favete linguis, pueri: vos furcas attollite bizornes: excitate ignem: Stipitem ubertim mero rigate; dulceſque infundite liquores. Totamque hanc veſperam jucundiſſimis agamus ſaltationibus ac jocis*. Philippus: *Reſte, ac pro tempore nos frater hortatur &c.* Pergunt deinde fratres inveſtigare originem & cauſſam hujuſce ritus, quem etiam fatentur a viris ſacrae Theologiae peritis fuiſſe improbatum. Infra verò ait Georgius: *Stipitem in primis in ignem comburendum projiciunt, quem variis frondibus, ac amoeniſſimis pomis ornant inſtar arboris. Vinum ex hinc ter in ignem immergitur: tum juniperum una comburunt*. Mutinae & Bononiae adhuc in pervigilio Nativitatis Domini veſpere comburi a Plebe juniperi ſolent: quod antiquati ritus reliquias eſſe non immerito cenſeas. Infra in eodem Opuſculo haec alia leguntur: *Conſuevit pater familias tori familiae nummos hac die conferre, quibus his diebus feſtis ludos paſſim ludant &c.* Nunc apud multos poſt coenam ſacri Pervigilii unum aut plura praemia proponuntur, & eventus ſortis dijudicat, cui ſint tribuenda. Pergit alio in loco ſcribere Vallaguſa: *Panes tres magnitudine praeſtantes, ut ſcis, his diebus conficiuntur; quorum limbum per totum annum obſervandum abſcindimus &c.* Durat adhuc apud complures Mutinenſes eadem conſuetudo, & perquam notus eſt *il Pane da Natale*. Ad haec *Ciceram, ancetem, rillumque porcinum* eo die ad menſam adhibita ſcribit; *Capum verò comedere nefas*. Haec autem ſingula Georgius, ut a Majoribus noſtris Superſtitionis culpam amoliatur, putat varia complecti Chriſtianorum Myſteria; atque ideo laudanda, non autem improbanda: quod nemini ſacrae Religionis perito unquam perſuadeat. Simili tamen ratione & pace animi adhuc apud quoſdam Populos in tripudiis & jocis agitur *dies Regum*, hoc eſt Epiphania Domini. Abundabant olim ejuſmodi ritus, aut Superſtitione, aut ejus ſaltem colore infecti. Sanctus Bernardinus enumerat, ac damnat Tomo primo, Sermone primo in Quadrageſ. Articulo tertio, complures ex iis ſuperſtitioſis actibus, qui aetate ſua, eodem nempe Seculo XV. vigebant. Sed ea in abdito peragebantur: & non paucae, ne dicam innumerae, ex hiſce clandeſtinis Superſtitionibus noſtris etiam temporibus ſuperſunt. Ego hactenus nonnullas ſum perſequutus, quae olim palam, & ab univerſo Populo ſine haeſitatione uſurpatae fuerunt. Gratiae habendae ſunt ſacro Tridentino Concilio, cujus operâ Superſtitioni multum detractum fuit. Gratiae ſtudio Sancti Caroli Borromaei, qui plurimos ex pravis hiſce moribus ab ſua Dioeceſi, atque ex finitimis eliminavit, immo elaboratis ſuis Conciliis, reliquis Epiſcopis praeluxit, ut agros ſuos ab hujuſmodi dumetis expurgarent, quorum tamen, dum homines erunt, ſemina perdurabunt. Quid verò ſuperſtitionum pepererit, & adhuc aetate hac noſtra pariat iniquiſſimus Ludus ille, quem *Lotto di Genova* appellant, vix longâ oratione explicari poſſent. Sed haec ſatis ſuperque.

QUAE-

QUAENAM

HAERESES

SAECULIS RUDIBUS

ITALIAM DIVEXARINT.

DISSERTATIO

SEXAGESIMA.

DISSERTATIO SEXAGESIMA.

Portet Haereſes eſſe, ajebat Apoſtolus in Prima ad Corinthios. Quare nil mirum, ſi Italiam quoque, ubi praecipua Catholicae Religionis ſedes poſita eſt, haec ipſa calamitas interdum divexarit. Quales autem haereſes in ſuo ſinu numerarit Italia, ex quo gentes exterae feliciſſimam hanc Provinciam ſibi ſubjecere, Lectores minus periti edocendi ſunt. Arrianiſmum Gothi in Italiam adduxere ſecum ſub Theoderico Rege, ſed tantâ moderatione, ut Catholicis ſeeus ſentientibus nullam vim inferrent. Succeſſere Anno Chriſti DLXVIII. Langobardi plerique pravis iiſdem opinionibus infecti, & contra Catholicos male animati. Verùm bene ceſſit, quod Regale ſolium illius gentis tenuit non multos poſt annos Theodelinda Catholica ac piiſſima Regina. Illius enim operâ Aginulfus Rex, & ad exemplum Regis ceteri ferme Langobardi, impiam haereſim ejurarunt ſub Gregorio Magno Pontifice, & iiſdem fere temporibus, quibus Gothi Arriani in Hiſpania Catholicorum Fidem amplexi ſunt. Summa pax deinde per plura Secula orthodoxae Religioni in Italia fuit. Nullum Schiſma Latinorum

A Eccleſiam turbavit; & cum Romano Pontifice concordes fuere, eique paruerunt potiora Occidentis Regna. Diu quidem perſtitere in Idolorum cultu Populi Septentrionis incolae, Friſii nempe, Dani, Sueci, Saxones, Boruſſi, Poloni, Lithuani, atque alii ad Polum Arcticum ſiti. In eos tamen ſenſim penetravit Chriſti nomen eo ſucceſſu, ut Seculo XV. B immo & XIV. (Lithuanis tandem Anno MCCCLXXXVII. priſtinos errores deponentibus) ſub vexillo Crucis & ſub Romano Pontifice univerſi militarent. Graecos praetereo, Ruſſos, aliaſque Orientis nationes, Chriſtum profeſſas. Exploratum quippe eſt, eas per teterrimum Schiſma a C Romana Eccleſia Saeculo Nono diſceſſiſſe: cui vulneri nunquam poſtea licuit conſtantem medicinam adhibere. Quid tantam animorum ac ſententiarum concordiam in ſinu Eccleſiae tandiu aluerit, ſi quaeras, reſponſum accipe: Divina protectio, atque voluntas, & Chriſtianorum veneratio erga Apoſtolicam Sedem, omD nium Eccleſiarum Matrem, & verae ſemper doctrinae Magiſtram. Ceterum ſi quam ex humanis cauſſis excogitare fas eſt, tam invidendam tranquillitatem firmavit Ignorantia ipſa. Si quid boni fructus arbor illa mala, Superſtitionis alioquin, aliorumque malorum origo, apta eſt ad

gignen-

gignendum, hunc ſaltem producere conſuevit. Non eſt certe unquam optanda Chriſtiano, immo fugienda eſt, ac potiſſimùm Clero inſcitia divinarum rerum, ſacrorumque Librorum, & de nomine tantùm noſſe Fidei Sanctiſſimae, quam profitemur, doctrinam. Attamen quum Populus, & potiſſimum Clerus, non plus ſapere curat quam oportet ſapere, ac Traditionem tantummodo (ut re vera tunc factum eſt) auſcultat, eamque Religionem ſequitur, quam a teneris unguiculis accepit, vix eſt, ut a ſententiâ diſcedat, ac in novas abſurdaſque opiniones obfirmato animo rapiatur, niſi ſint, qui dulcia ſeminent deliria: quo caſu Ignari facilius quàm Docti in retia ruunt. Haereſes profectò graviorea pertinacioreſque una fere ſemper Superbia in Eccleſiam invexit. Ab iſta verò, ſi comitem Scientiam habet, nimium ſaepe timendum eſt. Quod non ita dictum velim, quaſi Theologiae ſtudia, & ſacrarum Scripturarum continuam meditationem, aliqua ex parte diſſuadere ſit animus, quum contra Catholicae Eccleſiae nimium interſit Paſtores ac Miniſtros omnes habere in Religionis doctrina verſatiſſimos; neque enim illa ſibi timet a Veritate & Scientiâ, immo his potiſſimùm indiget. Sed ſimul optandum eſt, ut conjuncta cum Scientia, atque amore Veritatis incedat Humilitas, & quameumque Novitatem in dogmate animus perhorreſcat. Uti enim ajebam, a Superbia, atque ab aliis perverſis animi affectibus Haereſes revera emergere ſolent. Itaque illud affirmo, nihil iis temporibus in Fide quemquam nutaſſe, aut novas impiaſque opiniones advexiſſe, eâ etiam de cauſâ, quod illiterati indoctique plerique Fidelium a quaeſtionibus ac diſputationibus abſtinerent, e quibus manaſſe tam ſaepe diſcordias atque errores tenaci mente adoptatos jam novimus. Profectò ne iis quidem temporibus ignota fuit Italicae genti Iconoclaſtica Haereſis, immo eam Claudius Taurinenſis Epiſcopus palam protexit. Goteſcalchi quoque dogmata in Marchia Veronenſi originem quodammodo cepere. Attamen conſtans in avita Religione Italia tunc ſtetit. Neque tamen iiſdem, aut proximis temporibus defuere ſcandala enormia, quae puſillos ad Religionis alioquin immaculatae comtemtum adducere poſſent. Nam Saeculo praeſertim Decimo (bone Deus!) quot inaudita monſtra non ſolùm bene multae Epiſcoporum & Abbatum Sedes, ſed & ipſam Apoſtolicam tenuere, aut uſurpavere! Cernere quoque paſſim erat perditos Cleri, ipſorumque Monachorum mores; & Eccleſiarum Rectores non paucos luporum quàm Paſtorum appellatione digniores. Nihilo tamen ſecius Eccleſiae ſuae incolumitati divina clementia proſpexit, & rite ſua promiſſa Chriſtus implevit, quando ne tunc quidem, hoc eſt, in tanta morum ac diſciplinae corruptela, Sponſam ſuam a Veritate atque a recta Fide deflectere paſſus eſt. Mala haec agnoſcebat & populus, ſed ſimul majorum Fidem ſanctiſſimam, ejuſque mandata juſtiſſima ſentiebat. Eximii Theologi tunc deſiderabantur, ſed quum quiſque tradita a Majoribus bonâ fide credere ac tueri pergeret, factum eſt, ut nullum perniciosum Dogma gregem Chriſti inquinarit.

Sed poſt Annum a Chriſto nato Milleſimum ſerpere in Italia coepere Manicheiſmi ſemina, quae Haereſis veteſtiſſima, & nunquam in Oriente extincta, in Armenia & Bulgaria potiſſi-

tiſſimum altas radices egerat, atque inde ad nos etiam advecta fuiſſe non injuriâ putatur. Petrus Siculus, qui circiter Annum Chriſti DCCCLXX. Manichaeorum Hiſtoriam Graecis literis tradidit, jam tum monuit, eos cogitaſſe de ſede ſtatuenda apud Bulgaros, uti revera accidit: eoſque deſcribit, quales ſubſequuta Secula agnoverunt, vafros, ſubdolos, hypocritas, & mille fraudibus ſuam obtegentes impietatem. Et in Bulgaria quidem diu viguit eorum, ut ita dicam, ſummus Antiſtes. Ad iſta accedat etiam teſtis Photius, qui iiſdem floruit temporibus, vir nemini Eruditorum non notus ob ejus eruditionem & vitia, ſimulque ob turbas in Eccleſia excitatas. Inter ejus Opera nondum edita, ut didici e Catalogo MSto Bibliothecae Regiae Scorialenſis, habetur *Tractatus de recèns exortâ*, ideſt de repullulante, *Haereſi Manichaeorum, eorumque deteſtabilibus dogmatis*. Item *Eclogae variarum Diſſertationum, quas habuit cum Nicephoro, qui e Manichaeorum Haereſi recens converſus erat*. Sunt & alia ibi opuſcula Photii, luce adhuc carentia, niſi incendium aliquod omnia abſumſerit. Clariſſimus vero P. Bernardus Montfauconius e Congregatione Benedictinorum Sancti Mauri, in Bibliotheca Coisliniana pag. 349. partem prioris Operis evulgavit, cujus etiam compendium extat in Euthymii Panoplia. *Eclogas* autem illas ne accuratiſſimus quidem Polyhiſtor Johannes Albertus Fabricius agnovit in Volumine Nono Bibliothecae Graecae, ubi Photii ſcripta adhuc inedita recenſet. Quo autem tempore *Manichaei* iſti recentiores in Italiam, ac ſubinde in Galliam clandeſtinis greſſibus penetrarint, memoriae prodidit Rodulphus Glaber Lib. 3. Cap. 8. Hiſtor. Auctor ille eſt, circiter Annum Chriſti MXXVII. *a muliere quadam ex Italia procedente, inſaniſſimam hanc Haereſim in Galliis habuiſſe exordium*. Manetis germina illa fuere; neque aliam originem habuiſſe videntur errores *Gerardi Haeretici*, ejuſque ſociorum, quos Heribertus Mediolanenſis Archiepiſcopus circiter Annum MXL. deprehendit graſſantes in Caſtello Montisfortis Dioeceſis Taurinenſis. Vide Landulphum Seniorem Lib. 2. Cap. 27. Hiſtor. Mediolanenſ. Tomo IV. Rer. Italicarum, qui eorum dogmata perverſiſſima literis conſignavit. Multus autem eſt doctiſſimus Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis Lib. XI. Hiſtor. Variation. in oſtendenda propagatione neſandae hujus Sectae per Galliam, Germaniam, Belgium, Angliam, aliaſque Provincias temporibus iis, & duobus ſubſequentibus Seculis. Ego nonnulla perſequar, quae ad Italiam ſpectant. Saeculo ut vidimus, Undecimo praecipue in Inſubres, atque in ipſam ſplendidiſſimam Mediolani Urbem penetravit *Manichaeorum* venenum ex Oriente delatum, immiſtumque aliis faecibus Gnoſticorum veterum. *Patarini* apud Mediolanenſes ſunt appellati. Tam Landulphus Senior, quàm Arnulphus Saeculo Chriſti Undecimo ejus Urbis Hiſtorici, editi Tomo IV. Rer. Italicarum, hoc nomine non ſemel donant Catholicos duntaxat, & Romanae Eccleſiae fautores, qui zelo, & quidem interdum exuberanti, in Sacerdotes Mediolanenſes nuptiis addictos arma arripuerant. Landulpho quoque Juniore Hiſtorico Mediolanenſi teſte Cap. I. Hiſtor. Tomo V. Rer. Italicarum Presbyter Liprandus, Apoſtolicae Sedi addictiſſimus, appellatus eſt a Conrado Rege Italiae *Magiſter Patariorum*. Quare

re Vocabuli hujus origo, quod gloriam primo praetulit, deinde verò ad Haereticos translatum fuit, nunc nobis eſt inveſtiganda. Exploratum habemus, novos Manichaeos, quorum poſtea contagione diu affiicta eſt Italia, non ſolùm contemtui habuiſſe, ſed omnino averſatos fuiſſe Sacerdotes ac Paſtores Eccleſiae Catholicae. Papam ſingularem, ſeu Pſeudo Papam, ſibi in Bulgaria conſtituerant, atque in univerſum Ordinem Eccleſiaſticum internecinum odium alebant. Ad haec Nuptias Manichaei antiqui damnabant, & recentiores. In Opuſculo MSto *Gregorii* cujuſdam *contra Manichaeos, qui Paterini dicuntur*, Cap. 2. eſt *de Matrimonio, quod Catholicus approbat, Paterinus damnat*. Idem habet Rogerius Hovedenus in Annalibus ad Annum MCLXXVI. ut alios omittam.

Vulgata erat Mediolani haec Manichaeorum infania. Itaque ubi Laicorum zelus & furor in ea Urbe exarſit adversùs Clerum, iniquo animo ferentem leges continentiae, a primis Eccleſiae Seculis gradui Sacerdotali indictas: Clerici illi, eorumque aſſeclae hoc adverſariorum genus in album Manichaeorum retulere, eoſque vocabulo novo *Paterinos* appellarunt, quaſi Clerum & Nuptias averſarentur. Arnulphus Mediolanenſis Lib. 3. Cap. XI. Hiſtor. circiter Annum Chriſti MLXXX. ſcribens: *Qui unanimes facti*, ait, *Eccleſias contemnunt, & divina ſpernunt cum Miniſtris Officia, aſſerentes omnia Simoniaca. Hos tales cetera vulgaritas ironice Patarinos appellat*. Ita Arnulphus uxoratis, ſeu fornicariis Presbyteris & ipſe conſentiens, qui Cap. 6. Lib. 4. *Paterinorum numerum*, ideſt Romanae Eccleſiae Paſtoribus, & meliori diſciplinae addictorum, in immenſum excreviſſe prodit. Tum verò Cap. XI. ejuſdem Libri haec habet: *Jam apparet Schiſmatis hujuſce terminus, unde Patarinum proceſſit primò vocabulum, non quidem induſtriâ, ſed caſu prolatum*. Hugonem quoque Flaviniacenſem teſtem habemus in Chronico Pag. 228. *Paterinos* appellatos fuiſſe, qui Gregorio VII. legitimo Pontifici adhaerebant. Haec Sigonius noſter in Lib. 9. de Regno Italiae non ſatis accurate perpendit, ſcribens: *Sacerdotes, qui uxores haberent, prae pudore ſeparatim a ceteris rem divinam facere coactos in loco, qui Pataria dicitur: unde vulgo a pueris Patarini ad contumeliam dicebantur*. Immo contra qui Presbyteris ejuſmodi adverſati ſunt, ii primum *Patarinorum* nomine donati fuere. Neque a loco, ubi congregarentur, ea appellatio petita videtur. Diſerte enim ſcribit Arnulphus, illos *ironice* ita nuncupatos, neque *induſtriâ, ſed caſu*. Suſpicatur Du-Cangius in Gloſſar. Latin. in eos hoc agnomen fuiſſe conjectum, *quod Papae, quem Patrem appellabant, adhaererent*. Sed nimis contorta eſt interpretatio, tum quod *Pater* Papam nequaquam ſatis apte, hoc eſt nullo ſingulari titulo, deſignet, ac genericum nimis ſit; tum etiam quod Presbyteri incontinentes ab obſequio erga Romanum Pontificem revera non diſceſſere, ita ut dicteriis impeterent adverſarios, Gregorio VII. adhaerentes, Landulpho Seniore teſte Lib. 3. Cap. 8. quidam Sacerdos contra Sanctum Arialdum, incontinentiae Cleri infenſum, in haec verba erupit: *Tu ſolus in Mundo univerſo per deteſtabilem hypocriſim audes vitam Sacerdotum diffamare. Numquid tu ſolus per exſecrabilem Pathaliam, & quam plurima Sacramenta prava, Populi flammam ſuper*

nos

not accendis? In eodem Lib. Cap. XI. Dionyſius Cardinalis haec ad Arialdum & ipſe dixiſſe fertur: *Quum hujus inauditae Patalicae placitum cogitaſti commovere, prius cum jejuniis multis debuiſſes conſiliari, quàm hujuſmodi negotium tam magnum & tam periculoſum cum viris inliteratis inchoaſſe.* Rurſus alibi *placitum Pataliae* memorat. Tum verò Cap. 20. ejuſdem Libri ſcribit: *Alii intra Urbem & foris palatini canes, fibulâ dimiſſâ & acu, ceteriſque negotiis, e quibus vita illorum redimebatur, nec non aſinarii, quibus Patalia vitam malis miniſtrabat, mulierum ornamenta clanculo in nocte per feneſtras in domibus Sacerdotum, ipſis ignorantibus immittebant.* Itaque *Patalia*, ſive *Pataria*, aut uti Bonizo Epiſcopus Sutrinus apud Lambecium ſcribit, *Patarea*, ſi quid video, nihil aliud ſignificavit primo, quàm vilium perſonarum congeriem, ac deinde ſeditionem abjectorum artificum, ac gentis indoctae rudiſque, ab Arialdo ſcilicet contra Clerum incontinentem primo excitatam, tum a quibuſdam nobilibus magno animi aeſtu amplificatam. Fortaſſis aut primi, aut plures, ad incohandum hunc motum fuere propolae, quos Mediolanenſibus appellare mos eſt *Patè*, atque inde adinventum *Patariae & Paterinorum* vocabulum, irriſionis & contemtus cauſſâ, quum adeo abjecta gens ac illiterata ſeſe adverſus Clerum erigeret. Sed vix quiſquam heic rem certo attingat, quum Arnulphus ipſe, Synchronus licèt, dum a Greco *Pathos*, quod Latine *dicitur perturbatio*, nominis hujus originem arceſſere videatur Lib. 4. Cap. 12. Hiſtor. Mediolanenſis, dubium ſimul ſeſe teſtetur in aſſequenda *Etymologia vocabuli* iſtius. Quare e cerebro ſuo, uti & in aliis locis, non autem ex veritate rei, *Paterini* nominis Etymon deduxere Octavius Ferrarius, & Aegidius Menagius in Libris Origin. Linguae Italicae, quum a *Pactis* originem ſumſiſſe ſcripſerunt. *Ita primum*, inquit Ferrarius, *in contumeliam Judaei appellati, a Pactis quum pignoribus capiendis, & pecuniâ foenore locandâ caverent, ut niſi intra certam diem uſura penderetur, res pignori oppoſita periret, ac ſimilibus Pactis & conditionibus tranſigerent.* Nunquam Judaei appellati *Paterini* fuere, ſed aut Manichaei, aut Chriſtiani Mediolanenſes in Presbyteros incontinentes zelo diſciplinae Eccleſiaſticae incenſi.

Animadvertenda quoque ſunt verba Willelmi Monachi Cluſini, qui iiſdem temporibus floruit, in Vita Benedicti Abbatis Cluſini, edita a Mabillonio in Actis Sanctorum Benedictinor. Seculo VI. De Witelmo, ſive quiſquis ille ſit, Taurinenſi Epiſcopo, Cuniberti Succeſſore, ait: *Qui prius fuerat Stoicus, ſive, ut ajunt Paterinus, gaudens ſorte mutatâ, quidquid undecumque compilare poterat, ventri donabat avaro.* Ergo qui primum appellati *Paterini* fuere, contemtum ciborum ac veſtium praeferebant, qualem Manichaei Populo inſpirabant. Sed audiendus heic etiam Benzo Albenſis Epiſcopus, ſeu Pſeudo-Epiſcopus, Ughellio ignotus, in ſtomachoſa illa declamatione, ſive Satyra, ſive Panegyrico Henrici IV. Germaniae Regis, quam habes Tom. I. Scriptor. Rerum Germanicar. Menkenii, & quae nihil aliud fuiſſe videtur, niſi *Chronica Benzonis Epiſcopi Albenſis*, memorata a Gualvaneo de la Flamma, ut dixi in Praefatione ad Scriptores Rer. Italicarum. Itaque ibi Lib. 7. Cap. 2. Benzo de Alexan-

xandro II. Pontifice agens, qui antea Anſelmus de Badaclo, ſeu Badagio, patriâ Mediolanenſis, nuncupabatur, ait: *Hic primitus Patariam invenit*. Tum Lib. 4. Cap. 22. Benzo Schiſmaticus vir ita loquitur: *Non eſt, cui poſſim dicere: Stemus ſimul; quia ſi non omnes, plures tamen de ordine Habyſe* (lego *Abiae*, ut Sacerdotes indicentur ſecundùm Evangelium Lucae Cap. I.) *infecit peſtis Patariae, ſicut eſt cernere in Chymera Aſtenſis Eccleſiae*. Ad haec Cap. 35. ejuſdem Lib. 4. addidit: *Altera Fides colitur, cui qui credit, moritur. Hanc Patarini praedicant, aras ei dedicant, contemnunt Sacrificium, & dignum* (lego *divinum*) *Officium*. Ex quo intelligimus, *Patarinos* fuiſſe Benzoni Schiſmatico, qui pro Alexandro II. Papa Sacerdotibus uxoratis adverſabantur. Rurſus Benzo Lib. V. Cap. I. de Hildebrando, qui Sanctus Gregorius VII. Papa fuit, haec habet: *Congregavit Patarinos ex viis & ſepibus, & replevit totam terram urticis & vepribus. Qui dicebant: Non eſt Templum: Non eſt Sacerdotium. Nuptiarum improbabant ſtabile negotium. Sacrificium ridebant, ſedentes in otium*. Quare conjecturam, quam primo poſui, confirmatam vides, ſcilicet *Paterinorum* nomine deridendi cauſâ oneratos fuiſſe Catholicos, Romanae Eccleſiae diſciplinam ſanctiſſimam amplexos, & velut Haereticos traductos fuiſſe, quaſi non ſecus ac Manichaei Nuptias, Templa, Sacerdotes exſecrarentur: quum tamen ii illicitas tantum Presbyterorum Nuptias, damnarent. Undecumque tamen *Patarinorum* appellatio proceſſerit, illud exploratum eſt, Manichaeos deinde apud Inſubres diſſeminatos eodem ipſo nomine deſignatos fuiſſe. Ii enim, ut praefatus ſum, inter ceteros errores averſiſſimum a Catholicis Sacerdotibus animum ſemper geſſere, eorumque auctoritatem ubique conculcabant. Saeculo Chriſti Duodecimo Haereſis hujus morbus obſcuros progreſſus in Lombardia fecit. Fortaſſe novas ei vires miniſtrabat vicina Gallia, in qua praecipue Albigenſium ac Waldenſium Sectae, Manentem ſequutae, in grave incendium eruperant. Neque Mutinenſibus meis eo ipſo Saeculo ignota fuiſſe videtur haec peſtis, quum in Regeſto antiquiſſimo Civitatis hujus Charta legatur Anno MCXCII. in qua deſtrui jubentur *Molendina Patarinorum*. Veri videtur ſimile, iis Molendinis acceſſiſſe nomen, quod ibi ejuſmodi Haeretici conventum facere deprehenſi fuiſſent. Chartam ipſam profero.

Concordia inter Rempublicam Mutinenſem, & Maſſarium Sancti Geminiani, occaſione controverſiae de Canalibus per Urbem decurrentibus, Anno 1192.

IN Chriſti nomine. Anno ejuſdem MCXCII. *Indictione X. die Lunae, qui fuit II. intrante Menſe Novembri. Talis eſt concordia illorum, qui fuerunt electi pro facto Canalis de Porta Baiaaria, habito conſilio Magiſtri Jobannis de Montevelio. Dicunt ſcilicet, quod Canalis novus mittatur in veterem juxſta Duxile de Sanſto Madrone, ſalvâ ratione Domus Sanſti Geminiani, & Molendinum Petri de Cugnente. Et* Molendina Patarinorum penitus deſtruan-

ſtruantur. *Et a Molendino Dragi uſque ad angulnm Clanſure Maznebeli, Molendina neque Molendinum ibi nullo modo fiat. Et Molendina Rolandi Bajamontis & Sociorum, que ſunt ſuperius tornaturâ unâ inferius fiant, & brachium unum de illo ſtatu, qnod nunc manet, ad brachium rationis adbaſſentur. Et Molendina, que ſunt infra foſſam Civitatis, abaſſentnr medietate nnius bracbii rationis. Et Duxile, quod eſt ſuper foſſam Civitatis, per duas partes unins brachii rationis abaſſetur. Et clanſura Domine Abatiſſe uſque ad foſſam Civitatis faciant unum Sdugarium bonum & idoneum, ita quod non impediantnr Canalia Communis, & ſine diſpendio Rolandi Bajamontis & Sociornm. Et pro* Molendinis Patarinorum, *& Petri de Cngnente, dentur eis pro cambio Molendina, que fuerunt Buchedeferro, ad congrnum & conveniens fictum. Praeterea dicnnt, quod Maſſariui Sancti Geminiani debeat tenere aquam a bncba utriuſque Canalis, ſcilicet a novo & a vetero. Et Poteſtas Mntine faciat predicto Maſſario novam buchan in Canali vetero. Et ſingulis annis predicta Poteſtas, vel Conſnles, qni per tempora ernnt, debeant ipſi Maſſario Sancti dare centnm operas bominnm ad voluntatem ipſins Maſſarii, & non plus. Et predictus Maſſarins Sancti, nomine, & ntilitate ipſius Domns, babeat Molendina de Cazata. Et habeat facultatem faciendi & mntandi infra vel ſupra, ſine damno Molendinorum, Communis. Et pro boc debeat tenere Communi duas maxenaturas in Canali vetero, & alias duas in Canali novo, ſalvo jure Canonicorum & Abbatis Sancti Petri, & ejuſdem Domus Sancti, in molendinis ſnis. Et ſi de aqua eſſet contentio inter eos, ſcilicet inter Maſſarinm Sancti, & eos, qui babent, vel qni babebunt Molendina Commnnis utriuſqne Canalis, ſcilicet quod Molendina Communis non haberent aqnam ſufficientem ſecnndùm ſupradictnm modum, in ntroqne Canale: tunc debet eſſe in arbitrio Poteſtatis vel Conſulis, vel in quo eſſet poſitum voluntate ipſius Poteſtatis vel Conſulum, ſalvis omnibus ſupradictis. Et ſi Maſſarius Sancti poterit babere aliquam ntilitatem de aqua ſupradictorum Canalium, a Domo Johannis Dentexelium, infra ducendo aquam extra predicta Canalia pro utilitate ipſius Domus Sancti, babeat. Et ita ſecundùm quod ſupra legitnr promiſit ſolemni ſtipnlatione* Dominus Albertus Adegerius, Poteſtas Mutine *in concordia cum Advocatis ſuis pro Communi obſervare, & firmum tenere.* Et Albertus Agi pro Domo Sancti *obſervare, & firmum tenere, ſolemni ſtipulatione promiſit. Et boc fuit in pleno conſilio ad campanam ſonatam. Teſtes interfuernnt de Conſnlibus Mercatorum Dominus Guizardus de Colornio, Anzelerius & Pegelocius Balduini. Interfuerunt de Porta Citanove Rolandns Bajamontis, Ubertinus de Fredo, Rolandus Perzenarins, Sigezns Seraphini, Tetelmus Mazonns, Armaninus Pegolocius, Magiſter Panzanns, Ubaldus Artarie, Paſſavantius, Compagnonus, Bozalinus, & Dominus Guidocius Domine Navilie, & Dominus Albertns de Borzano. In Porta Bajoarie Jacobus de Gorzano, Gandulſns de Saltino, Rainaldus Iſembardi, Ubertus Poltonerii, & frater ejus Bernardus, Preſulins, Girardns de Bajoaria, Bonifacius de Caſenalbene, Trucolns, Albertinns de Bocadelutio, Janellus Giberti, Grimaldinus, Johannes Matrudus. De Porta Sancti Petri Conradinus & Lanfrancns, Girardinus, Bonus, Accurſns, Gnillielmus Ati, Petrus Pacifice, Canevexius Achilixinns, Ubertus Mule'e, Bernardus de Axano, Petrusbonns Rumiani,*

miani, Albertus Tunſi, Prodomus Orionus. De Porta Albareti Bernardus de Balugula, Aynardinus, Squarcia, Bochacinus, Raynerius Paradiſi, Guirixius, Adaminus, Boſalarius, Bulgarinus, Girardus, Odoricus de Savegnano, Albertus frater ejus, Rolandus Richelmi, Carnelvarius Bonafactis, Carnelvarius Guidonis Martini, & alii plures.

Ego Martinus ſacri Palatii Notarius interfui, & juſſu Domini Alberti Adegerii Mutine Poteſtatis ſcripſi.

Verùm ſubſequenti Seculo Tertiodecimo latius per Langobardicas Civitates, *Patarinorum* ſeu Manichaeorum virus ſeſe effudit, ut proinde contra eos Ferrarienſis Epiſcopus implorare coactus fuerit Ottonis IV. Auguſti praeſidium. Principis hujus edictum nobis ſervavit Peregrinus Priſcianus, circiter Annum Chriſti MCCCCXCV. in Annalibus Ferrarienſibus, quos manu exaratos Bibliotheca Eſtenſis adſervat. Ego illud tenebris ereptum volo.

Ottonis IV. Imperatoris Edictum contra Patarenos ſive Gazaros Haereticos, Ferrariae promulgatum Anno 1210.

OTto Quartus, *Dei gratia* Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. *Notum eſſe volumus univerſis fidelibus Imperii preſentibus & futuris, quod nos volentes intendere conſervationi & augmento Chriſtianae Religionis ad honorem Dei, & ſancte univerſalis Eccleſie*, ſtatuimus & perpetuo edicto ſancimus, omnes Hereticos, Ferrarie commorantes, Patharenos, ſive Gazaros, vel quocumque alio nomine cenſeantur, Imperiali Banno ſubjacere; niſi ad unitatem Eccleſie ſecundùm mandatum Ferrarienſis Epiſcopi convertantur. *Et eos, qui jam dictos Hereticos in ſuis domibus receperint, vel eos publice vel privatim manutenuerint, vel eis conſilium dederint, vel juvamen. Item ſtatuimus, & perpetuò ſancimus, quod omnia eorum mobilia, & immobilia publicentur; & domus, que nunc deſtructe ſunt, & eorum domus, in quibus ſteterint, vel in antea recepti fuerint, vel ſe congregaverint, deſtruantur, & ulterius non liceat alicui eas reaedificare. Hoc enim ſpecialiter praecipimus ſub debito fidelitatis, & ſub obtentu gratie noſtre, Poteſtati, ſive Conſulibus, qui pro tempore fuerint Ferrarie, quod omnia ſupradicta obſervent, & faciant in Civitate memorata inviolabiliter obſervari. Ad cujus rei evidentiam preſentem paginam ſcribi, & Sigillo noſtro juſſimus inſigniri.*

Datum Ferrariae MCCX. Indictione XIII. Octavo Kalendas Aprilis, Imperante glorioſiſſimo Imperatore Ottone Anno Regni ejus XIII. Imperii verò Primo.

In vetuſtiſſimis quoque Statutis Populi Ferrarienſis legitur: *Et fortiam dabo Domino Epiſcopo, ut Patareni exeant de Civitate Ferrariae & Diſtrictu.* Verùm non in una Civitate Ferrarienſi paranda fuit furenti morbo medicina, quum tot alias Urbes eadem peſtilentia divexaret, ita ut Honorius III. Romanus Pontifex per ea ferme tempora Lib. IX. Epiſtol. 146. *Civitatem Brixiae, quaſi quoddam Haereticorum domicilium* appellarit, eoſque inde, quantis potuit, viribus exterminandos curaverit. Quamobrem Fridericus II. Auguſtus, Anno

no Chriſti MCCXX. atque eo ipſo die, quo Imperialem Coronam ex manibus ejuſdem Honorii Romae ſuſcepit, promulgavit in ipſa Baſilica Principis Apoſtolorum celebre alterum Edictum, graviſſimas poenas complectens adversùs Haereticos, eorumque fautores, quod in corpore Juris Civilis adhuc legitur. Inter cetera inquit: *Gazaros, Patarenos, Leoniſtas, Speroniſtas, Arnaldiſtas* (ex Arnaldo Brixiano, cujus perverſa doctrina cum ipſo minime expirarat) *Circumciſos, & omnes Haereticos utriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur, perpetuâ damnamus infamiâ, diffidamus, atque bannimus &c.* Qui nedum heic, ſed & in mox evulgato Ottonis IV. Edicto, appellantur *Gazari*, iidem fuere atque *Cathari*: quo nomine ſe diſtingui volebant novi iſti Manichaei, quos interim vulgus vocitare conſuevit *Patarinos*. Immo ſub *Paterinorum* vocabulo veniebant, quicumque tunc Haeretici Eccleſiam Dei affligebant, ita ut idem eſſet *Paterinus*, atque *Haereticus*. Vide Vitam Nicolai Laurentii Tribuni Romani in hoc Opere a me editam. Vide & alios teſtes congeſtos ab Auctoribus Florentinis Vocabularii *della Cruſca*. Amabant autem Manichaei *Catharorum* titulum ſibi tribui. Mediolani in Mercatorum platea adhuc viſitur lapis poſitus Oldrado Praetori Urbis Anno MCCXXXIII. inter cujus laudes haec recenſetur:

QVI SOLIUM STRUXIT: CATHAROS, UT DEBUIT, UXIT.

Ita ibi ſcriptum pro USSIT. Varia autem nomina nebulonibus iis adhaeſere e diverſis eorum ducibus, atque Urbibus, ubi conſedere. Hinc *Albigenſes* ab Urbe Aquitaniae dicti, & *Bulgari*, quod e Bulgaria, ut praefatus ſum, deſcenderet ejuſmodi Haereticorum Secta. Atque inde poſtea in Italicam & Gallicam Linguam invecta ſunt quaedam vocabula inhoneſta ac infamia, quae adhuc vigent, ex eodem nomine aliquantulum corrupto petita, quod Haeretici ii Bulgari in omni nefariâ libidine volutari vulgo crederentur. Matthaeus etiam Pariſius in Hiſtor. Angl. ad Annum MCCXXXVI. ſcribit: *Circa dies illos invaluit haeretica pravitas eorum, qui vulgariter dicuntur Paterini, & Bugares* (ideſt *Bulgares*) *in partibus Tranſalpinis*. Neque iidem fuere omnium errores, quamquam ſinguli Manetis praecipua deliria profiterentur, *Paſſagini*, quoque, *Joſephini*, *Pauperes de Lugduno*, aliique ex eâdem nequiſſimâ arbore furculi, ipſis temporibus prodiere. Occultabant ii ſtudio enixiſſimo ſeſe, ſuamque doctrinam, & cum Catholicis palam communicantes, clam ſacrilegos ſuos coetus habebant. Seculares vero Magiſtratus, ſortaſſis & non pauci ex Epiſcopis nonnullis in Urbibus, Romano Pontifici ſegnes, immo inertes videbantur in purgandis ab infeſto ſuccreſcente gramine agris ſuis. Quare tunc primum inſtituti ſunt *Inquiſitores haereticae pravitatis*, multaque iis poteſtas attributa, cujus uſus eo impulit furorem Haereticorum, ut *Petrum* Ordinis Praedicatorum, Virum Sanctum, terris eripuerint, & Martyrem caelo donarint. Verùm neque zelus Summorum Pontificum, neque ſolicitudo Inquiſitorum obſtare potuit, quo minus *Fraticellorum* quoque Haereſis in Italiam penetraret, quae tamen e praecedentibus, eodem

Saecu-

Saeculo inclinante, pullulavit. Foediſſimam hanc Sectam nobis deſcripſere non pauci, ac noſtri temporis demum Berninus Tom. 3. Hiſtor. Haereſeon. Plerique Mediolanenſium Scriptorum ad eam quoque Sectam referunt deliramenta *Guilielminae*, quae circiter eadem tempora, multis Mediolani dementaiis, famam ſanctitatis apud imperitum vulgus ſibi conciliavit, ita ut poſt mortem veluti Sancta mulier a Plebeculâ, ejuſque Sectatoribus, impune coleretur. Sed minime cum *Fraticellis* confundenda eſt *Guilielminae* Secta. Et quoniam famoſam hanc feminam parum novere Eccleſiaſticae Hiſtoriae ſcriptores, mihi verò contigit legere in celebri Ambroſiana Bibliotheca ejus Proceſſum authenticum, Anno Chriſti MCCC. Mediolani confectum, atque illius Sectae Hiſtoriam MStam a Clariſſ. Puricellio ſcriptam: neminem toedebit, ut puto, rem a me accipere paucis delineatam, dignam profectò, quae ad poſterorum notitiam tranſeat, ne a muliercularum ſomniis atque praeſtigiis agi ſe in tranſverſum deinceps ſinant.

Ex antiquis Scriptoribus unus ille, quem Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis ad Annum MCCCI. laudat, quique de hac femina loqui videtur, eſt Auctor Annalium Colmarienſium, editus ab Urſtiſio, ſive ſit illius Chronici Continuator ignotus. *Praecedenti Anno*, inquit, *venit de Anglia virgo decora valde, pariterque facunda, dicens, Spiritum Sanctum incarnatum in redemtionem mulierum. Et baptizavit mulieres in nomine Patris, & Filii, ac Sui. Quae mortua ducta fuit in Mediolanum ibi & cremata: cujus cineres Frater Johannes de Viſſemburc Ordinis Praedicatorum ſe vidiſſe pluribus referebat.* Si Guilielminam deſignare hiſce verbis Scriptori huic animus fuit, uti quae dicam perſuadent, in multis ille deceptus eſt. Non ex Angliâ, ſed e Bohemiâ, Mediolanum ſe contulit perditiſſima haec femina. Proceſſus inſcribitur *contra Guilielmam Bohemam, vulgo Guilielminam, ejuſque Sectam.* Ibi verò ante omnia habetur ſententia promulgata contra *Dominum Stephanum Conſanonerium*, Anno Domini MCCXCV. die Mercurii XXIII. Menſis Novembris, quod *a multis retro annis fuerit credens, fautor, receptator, & amicus Haereticorum Sectae de Concorezo.* Eſt autem *Concorezum* Vicus agri Mediolanenſis. Culpatur etiam, quod multa enormia commiſerit contra Fidem Catholicam in favorem Haereticorum, defendendo publice errorem ipſorum, ac tenendo domi ſuae ſcholam eorumdem. Item quod ad flagitiorum ſuorum cumulum, necem ſanctae memoriae Beati Petri Martyris, tunc Inquiſitoris, eum quibuſdam aliis *tractavit cum effectu;* propter quod maleficium bannitus fuit Anno MCCLII. die Sabbati XII. Aprilis, per Dominum Petrum Poteſtatem Mediolani. Aliae quoque ſententiae in eum dictae referuntur: tum is damnatur, & Poteſtati Saeculari traditur. Interfuit hiſce Actis *Frater Stephanardus de Vico Mercato de Ordine Fratrum Praedicatorum*, idem ille, cujus Carmen de Rebus geſtis Ottonis Vicecomitis Archiepiſcopi Mediolanenſis habes editum Tomo IX. Rer. Italicarum. Succedit Proceſſus adversùs *Guilielminam*, cujus Secta ad ullam luxuriae licentiam inclinaſſe nuſquam legitur, ſed quidem dementiſſimis Phantaſiae aut fraudis femineae figmentis abundaſſe. Corius, aliique Scriptores rerum Mediolanenſium, ſequuti heic rumo-

rumores vulgi, a veritate incauti deſcivere. En ergo germana & abſurdiſſima Guilielminae dogmata, quae quamquam nunc riſum facile legenti excitare poſſint, attamen fidem olim ac venerationem invenere apud non paucos è Plebe.

Primo perhibebat *Guilielmina*, ſeſe eſſe Spiritum Sanctum (ſcilicet tertiam Sanctae Trinitatis Perſonam) in ſexu femineo incarnatum, ac natum e Conſtantia, Bohemiae Regis uxore ſimul & Reginâ. Secundo, ſicut Gabriel Archangelus olim Mariae Virgini annuntiaverat Incarnationem Verbi Divini, ſic etiam Raphaël Archangelus Conſtantiae Reginae annuntiaverat incarnationem divini Spiritus, idque ſacro die Pentecoſtes, quo ipſo eadem Gulielmina poſt integrum annum in lucem emiſſa fuit. Tertio, ſicut Chriſtus fuit verus Deus & verus Homo in ſexu virili, ita Gulielmina eſſe ſe venditabat verum Deum & verum Hominem in ſexu femineo, quae Judaeos, Saracenos, & falſos Chriſtianos ſalvatura foret, uti per Chriſtum, ejuſque Sanguinem veri ſalvantur Chriſtiani. Quarto, ipſa aeque ac Chriſtus moritura erat, ſecundùm naturam humanam, non verò ſecundùm divinam. Quincto, reſurrectura & ipſa erat cum corpore humano in ſexu femineo ante univerſi humani generis reſurrectionem, ut aſcenderet in Caelum coram ſuis diſcipulis, amicis ac devotis. Sextò, uti Chriſtus Beatum Petrum Apoſtolum ſuum in terris Vicarium reliquit, eique regendam tradidit Eccleſiam ſuam, ita & *Guilielmina*, nempe Spiritus Sanctus, reliquerat ſibi Vicariam in Orbe terrarum *Mayfredam Ordinis Humiliatorum Sanctimonialem*. Septimo, ad imitationem Sancti Petri, *Mayfreda* iſta *Guilielminae Vicaria* celebratura erat Miſſam ad ſepulcrum *Spiritus Sancti* incarnati: deinde verò ſolemni apparatu eamdem Miſſam repetitura, ac feſſura, & concionatura in maximo Templo Mediolani, & ſubinde Romae in Apoſtolica Sede, ubi futuri erant ei Diſcipuli ac Apoſtoli, aeque atque Chriſto fuerant. Octavo, *Mayfreda* futura erat vera Papiſſa, auctoritate & poteſtate veri Papae praedita, ita ut Papa & Papatus Eccleſiae Romanae, qui tunc erat, abolendus eſſet, & locum daturus Mayfredae Papiſſae, aqua baptiſmo ſacro abluendi erant Judaei, Saraceni, ceteraeque nationes, quae ſunt extra Eccleſiam Romanam, & nondum ſunt baptizatae. Nono, Quatuor Evangeliis antiquis ſublatis, nova quatuor ſucceſſura erant, *Guilielminae* juſſu ſcribenda. Decimo, uti Chriſtus videndum ſe poſt reſurrectionem dederat, idem praeſtitura erat *Guilielmina* ſuis Diſcipulis. Undecimo, euntibus ad *Monaſterium Claraevallis*, ubi ipſa erat tumulanda, tantùm *Indulgentiae* tribueretur, quantum erat proficiſcentibus Hieroſolymam ad Chriſti Sepulcrum: quare ex univerſis terrarum partibus peregrini venturi erant ad ipſius Guilielminae tumulum viſitandum. Duodecimo, Sectatoribus hujus *Sancti Spiritus*, ſcilicet *Guilielminae*, imminebant plurima mala ac mortes, non ſecus atque Apoſtolis Chriſti: ex ipſis verò ejus aſſeclis futuri erant, qui collegas ſuos in morem Judae in manus Cenſorum Fidei traderent.

Haec praecipua fuere abominanda Guilielminae deliria, haec ridenda ſomnia. Reliqua enim ex his conſectaria mitto. Neque verò ea omnia confixerat *Guilielmina* ipſa, ſed quidem ſtultiſſima illa *Mayfreda*, atque impius

impius quidam *Andreas Saramita*. Fortaſſis ii ſtatuerunt ſibi ante oculos deliramenta non diſſimilia Simonis Magi, quae Euſebius deſcribit in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & Epiphanius in Panario. Quod mirere ſimul ac doleas, *Guilielmina*, fortaſſis Anno Chriſti MCCLXXXI. e vivis erepta, tumulata primo fuit Mediolani in Templo Sancti Petri ad Hortum: exinde verò ſub initium ſubſequentis Anni MCCLXXXII. ejus oſſa tranſlata fuere extra Urbem ad Coenobium Claraevallenſe, ſingulari Sepulcro commendata. Ipſam Monachus concione panegyricâ laudavit veluti Sanctam, & morborum curatione mirabilem. Lampades & cerei ad ejus tumulum accenſi. Praeterea tres feſtivi dies quotannis in illius honorem ab ejus aſſeclis ad Monaſterium Claraevallenſe inſtituti fuere. *Mayfreda* ipſa in privatis aedibus Miſſam celebrabat, ejuſque gregales ei manum & pedes oſculabantur, ab ipſa vicifſim benedictionem, & interdum hoſtias ad inſtar Euchariſtiae recipientes. Vide quaeſo, quid poſſit inſipientis & indoctae gentis opinio ac caecitas relicta ſibi. Verùm non diu paſſus eſt verae Eccleſiae ſuae cuſtos Deus in Populo tam religioſae & Catholicae Urbis triumphare ejuſmodi monſtra. Anno Chriſti MCCC. detecta eſt Guilielminae Secta, atque oſſa illius flammis data, Sepulcrum verò everſum. *Andreas Saramita*, ac *Mayfreda Sanctimonialis*, anteſignani hujuſce haereſis, ac pertinaces Guilielminae alumni, ipſi quoque in rogo vitam reliquere. Atque hunc exitum habuit phantaſtica Guilielminae Tragoedia.

Nunc ad alteram non diſparem, ſed longe pejorem progrediamur, quàm nobis Ferrarienſis Civitas ſuppeditavit. Ibi *Armannus Pungilupes*, quem *Hermannum* alii perperam appellant, veterum Gnoſticorum errores renovaſſe fertur. Immo eum complures Scriptores, ac prae ceteris Wadingus, Frsticellorum Auctorem ac Haereſiarcham, neſcio quibus tabulis freti opinantur. Verùm ſunt mihi eorum temporum monumenta, queis praeeuntibus affirmo, Armannum Ferrarienſem & iis praeceſſiſſe, & nihil aliud ab eo praeſtitum fuiſſe, niſi profiteri *Catharorum* errores, eumque adhaeſiſſe duntaxat *Sectae de Bagnolo*, quae non ſecus atque altera de *Concoregio*, ſuperius memorata, propagines Waldenſium, Albigenſium, & Catharorum, ſive Manichaeorum fuere. *Bagnolum* autem fuit Oppidum Provinciae, ubi altas radices egit venenoſa haec arbor, quae ut habet Reinerus Cap. 6. contra Waldenſes, propagines ſuas extendit *in Tuſciam ſive in Marchiam, vel in Provinciam*. Quales autem errores fuerint Bagnolenſium, Albigenſium, & Concoregienſium Haereticorum (neque enim, uti etiam accidit in aliis Haereſibus, eadem omnium ſententia erat, quamquam eadem foret origo) ex Peregrini Priſciani Libris MStis Lector ediſcere poterit. Haec illius verba.

Et quoniam in Haereſim Bagnolenſem *Armannum prolapſum fuiſſe teſtes ſuprascripti affirmant, idcirco neceſſarium duximus, Haereſeos ipſius Capitula & errores, breviſſime tamen, ſcribere, ut plene omnino habeatur Hiſtoria iſta, & medullitus intelligatur. Non praetereuntes, & eiſdem fere temporibus tres viguiſſe Sectas*, Albigenſium *ſcilicet*, *illorum* de Bagnolo, *& illorum* de Concoretio. *Quas per characteres* A. B. C. *ſignabimus*; A. Albigenſem *denotante*: B. Bagnolenſem: C. Con-

C. Concoretianam. *Et quamquam inter ſe aliquantulum diſcrepent, & nonnunquam conveniant, breviter tamen & perpulchre diſcrepantia & concordantia apparebunt in ordine tabulae ipſius.*

Quod duo ſunt Principia. Unum penitus Bonum: alterum penitus Malum A. & B.

Quod Deus bonus non creavit iſta viſibilia corpora. A. & B.

Quod tantùm uni Deo non ſubjiciuntur omnia. A. & B.

Quod Deus bonus non eſt Creator omnium rerum. A. & B.

Quod Chriſtus non eſt major omnibus. A. B. C.

Quod Deus non damnabit aeternaliter. A. & B.

Quod Deus non infundit nec creat novas Animas. A.

Quod modò non vadunt homines ad requiem, vel infernum. A. B. C.

Quod Chriſtus non habuit noſtras poenalitates. A. B. C.

Quod Deus non facit nec fecit aliquid periturum. A. B. C.

Quod Chriſtus non duxit Carnem de Coelo. A. & B.

Quod Chriſtus non eſt Deus A. B. C.

Quod Chriſtus non eſt filius Beatae Mariae. A. & B.

Quod Chriſtus non ſumſit carnem de Beata Maria. A. & B.

Quod Beata Maria non fuit mulier. A. & B.

Quod Chriſtus non fuit verus Homo. A. & B.

Quod Chriſtus non comedit corporaliter. A. & B.

Quod Chriſtus non fuit paſſus in Cruce, vel in carne. A. & B.

Quod Chriſtus non fuit mortuus verè. A. & B.

Quod Chriſtus non aſcendit in carne in coelum. C.

Quod Chriſtus non reſurrexit, & quod non fuit mortuus. A. & B.

Quod non reſurrexit in carne. C.

Quod non deſcendit ad inferos. A. B. C.

Quod Spiritus Sanctus non datur in baptiſmo manus vel aquae. A. B. C.

Quod Johannes Baptiſta malus fuit. A. & B. & *Quidam* C.

Quod non fuit homo carnalis. A. & B. & *Quidam* C.

Quod non eſt reſurrectio Corporum. A. B. C.

Quod parvuli non poſſunt ſalvari. A. B. C.

Quod Lex Moiſis non eſt bona, nec Prophetae. A. B. C.

Quod Patres antiqui veteris Teſtamenti non ſalvantur. A. B. C.

Quod vetus Teſtamentum non eſt a Deo bono. A. B. C.

Quod Moiſes fuit malus. A. B. C.

Quod per Legem Moiſis non fuit, nec eſt ullo modo ſalvatio. A. B. C.

Quod Deus bonus non eduxit Populum Iſraëlis de Aegypto. A. B. C.

Quod Deus pater bonus non eſt loquutus Patribus antiquis. A. B. C.

Quod Deus bonus non dedit Circumciſionem. A. B. C.

Quod Adam non fuit a Deo. A. B. C.

Quod ante adventum Chriſti non fuerunt aliqui boni. A. B. C.

Quod Chriſtus non eſt aequalis Patri. A.

Quod res iſtae viſibiles non ſunt a Deo. A. B. C. *Dicunt tamen illi de Concoretio, quod a Deo ſunt creaturae, ideſt, quod fecit quatuor Elementa, & ex iis quatuor poſtea Lucifer diſpoſuit creaturas quaslibet in ſuo genere, ſicuti ſunt. Alii verò dicunt, quod nec materiâ, nec diſpoſitione, nec formâ fecit Deus aliquid viſibile. Et ſi aliquando concedunt feciſſe viſibilia, dicunt de illis, quae ſunt Angelis viſibilia.*

Quod ſecundùm Vetus Teſtamentum inimicus non eſt diligendus. A. B. C.

Quod Angeli, qui ceciderunt, ſunt oves, de quibus in Evangelio A. *Et pars illorum de* B.

Quod Baptiſmus aquae nihil eſt, & nullius, efficaciae. A. B. C.

Quod ſine impoſitione manuum non datur Spiritus Sanctus. A. B. C.

Quod in Eccleſia Dei non ſunt boni & mali. A. B. C.

Quod obeſt ſubdito & ſacrato mala vita Praelati. A. B. C.

Quod in Eccleſia Dei non debent eſſe Sacerdotes, & Diaconi, ſcilicet mali. A. B. C.

Quod mali Presbyteri non poſſunt miniſtrare. A. B. C.

Quod Eccleſia non debeat poſſidere aliquid niſi in communi. A. B. C.

Quod nullus malus poteſt eſſe Epiſcopus. A. B. C.

Quod Eccleſia materialis non eſt bona, nec ibi orandum. A. B. C.

Quod Eccleſia non debet perſequi malos. A. B. C.

Quod Eccleſia non poteſt excommunicare. A. B. C.

Quod in Eccleſia non debent eſſe Subdiacones, nec Acolythi. A. B. C.

Quod Eccleſia non poteſt facere Conſtitutiones. A. B. C.

Quod non debent fieri..... ſepelitiones mortuorum. A. B. C.

Quod unctio Olei Sancti nihil eſt. A. B. C.

Quod Sacramentum Altaris nihil eſt. A. B. C.

Quod eleemoſynae non debent dari niſi bonis. A. B. C.

Quod non eſt orandum nec cantandum praeter Dominicam Orationem. A. B. C.

Quod Peccatum non eſt a libero arbitrio. A. B. C.

Quod Originale Peccatum nihil eſt. A. B. C.

Quod Homo non poteſt poenitere poſt peccatum. A. B. C.

A

Quod non poteſt fieri Peccatum, niſi quod factum fuit in Caelo. A. & B.

Quod aliud non eſt opus Diaboli, quam Peccatum. A. B. C.

Quod ignis Purgatorii nihil eſt. A. B. C.

Quod Iuſternus nihil eſt. A. & B.

Quod bonus Deus vivificat, non occidit. A. B. C.

Quod malus Deus vivificat, & occidit B *corpora.* A. B. C.

Quod Deus, qui dat gratiam, non vindicat per bonos, nec per malos. A. B. C.

Quod ille Deus, qui vindicat, non dat gratiam. A. B. C.

Quod malum poenae non eſt a Deo bono. A. B. C.

Quod Animae non damnabuntur. A. & C.

C *Quod Mundus ſemper fuit, & ſemper erit.* A. B. C.

Quod ſolâ Fide non poſſit homo ſalvari quocunque caſu. A. B. C.

Quod homo non poteſt ſalvari cum patre & matre. A. B. C.

Quod non eſt Confitendum. A. B. C.

Quod Judicium factum eſt. A. B. C.

Quod Matrimonium malum eſt. A. B. C.

D *Quod quilibet non poteſt ſalvari.* A. B. C.

Quod peccatum eſt comedere carnes. A. B. C.

Quod per proximum non intelligitur omnis homo. A. B. C.

Quod nullus eſt vitandus. A. B. C.

Quod Uſura non eſt prohibita. A. B. C.

Quod non debet homo reſtituere. A. B. C.

Quod juramentum non debet fieri. A. E B. C.

Quod non licet alicui occidere. A. B. C.

Quod homo non eſt tradendus Juſtitiae, propter hoc, quod poteſt converti. A. B. C.

Quod Diabolus poteſt in creaturis. A. B. C.

Quod eſt aequale praemium in Patria. A. B. C.

Quod homo poteſt dare Spiritum Sanctum. A. B. C.

1 1

Quod Spiritus Sanctus & Spiritus Paracletus non ſunt idem. A. B. C.
Quod interior homo non eſt Anima. A. B. C.
Quod non debent radi tapita. A. B. C.

Vivere deſiit *Armannus Pungilupus* Anno MCCLXIX. tantsque illum ſanctitatis fama e veſtigio ſubſequuta eſt, ut vulgus univerſum ad illius tumulum confluxerit, multique corporis incolumitatem, uti decepti putabant, ejus apud Deum precibus conſequutos ſe ſuiſſe dictitarent; atque is paſſim Beatus & Sanctus a Plebe appellaretur & crederetur. Ricobaldus Ferrarienſis Hiſtoricus, cujus Pomarii poſtremam partem habes in Tomo IX. Rer. Italicar. auctor eſt, Theodoſii Magni Auguſti Corpus ab Honorio Imperatore ejus filio Ravennam fuiſſe translatum, atque in Eccleſia Beati Laurentii in ſpecioſo Mauſoleo collocatum: quod quidem adverſantem habet fidem veterum Scriptorum. Tum ſubdit Ricobaldus: *Ipſam autem Eccleſiam conſtrui fecit Honorius per Lauricium. Cujus Sepulcrum fuit illud, quo in Eccleſia Ferrarienſi jacet Armannus, quem Ferrarienſes venerantur, uti Dei amicum.* Ita Ricobaldus circiter Annum MCCXCV. ſcribens, quum Haeretico Armanno larva nondum detracta fuiſſet. In Templo maximo Ferrariae tumulatus eſt Armannus; & quum in dies augeretur miraculorum fama ad ejus Sepulcrum patratorum, non tantùm Canonici Ferrarienſes, ſed & ipſe *Epiſcopus Albertus*, vir alioqui ſanctitate vitae celebris, & a Ferrarienſibus *Beati* appellatione donatus, ſuum duxerunt, Proceſſum de iis inſtruere, ac teſtes audire. Hujus Proceſſus partem, Apoſtolicae Sedi, ſacriſque Judicibus oblatam, ſervavit nobis Peregrinus Priſcianenſis, ſupra mihi memoratus, diligentiſſimus Ferrarienſium antiquitatum ſcrutator. Quam proinde ego quoque ad omnium eruditionem, evulgare ſtatui, ut quiſque propoſito hoc exemplo intelligat, quam caute circumſpecteque in ejuſmodi rebus ſit procedendum, & ſeveritatem judicii laudet ac amet, quam Apoſtolica Sedes in piorum hominum Sanctitate perpendenda ſemper adhibuit, noſtriſque praecipue temporibus rigidius adhibere pergit. Neque mirum, minus peritos ad tempus ludificatos interdùm fuiſſe a peſtilenti illo hominum genere. Exterius enim Cathari ſeveram Pietatis ſeu Religionis ſpeciem praeferebant, & contemnere mundana quaeque videbantur. Ita ad ſeducendos Urbevetanos, decurrente Saeculo Chriſti Duodecimo, *quidam Florentinus, perditionis filius, nomine Diotesalvi, ſe aſpectu venerabilem ac honeſtum inceſſu, & exteriori habitu mentiendo, primus poſt Hermanninum Parmenſem, doctrinam Manichaeorum peſſimam in Urbeveteri ſeminavit.* Iis per Epiſcopum inde exturbatis, *duae Mulieres ſucceſſerunt, quae praeferentes exterius religionis Eccleſiaſticae qualitatem, Eccleſiarum limina frequentando, &, ut videbantur, intentae divinis Officiis audiendis, in veſtibus ambulantes ovium, interius luporum ſimilitudinem obtinebant. Harum ſimulata religione deceptus Epiſcopus, eas in confraternitate Clericorum, cauſsâ orationis ſtatutâ, admittendas cenſuit. Quumque una illorum, Milita nomine, tamquam altera Martha, videretur eſſe ſolicita pro tecto Majoris Eccleſiae reparando, altera, Julitta videlicet, velut altera Maria, vitam contemplativam videretur totis viribus amplexari; pars maxima matronarum noſtrae Civita-*

vitatis, & quidam earum amici, eas coeperunt ſicut ſanctiſſimas feminas venerari &c. Haec e Vita Sancti Petri Parentii, edita a Clariſſimo Papebrochio in eximio Opere Actor. Sanctor. ad diem XXI. Maji, & a Johanne Canonico Urbevetano ſcriptâ Anno Chriſti MCXCIX. quo Sanctus ille vir ab ipſis Haereticis, tantam Religionem ſimulantibus, interfectus fuit. Quid etiam ante paucos annos Lutetiae Pariſiorum acciderit de quodam Pariſio, ad cujus recentem tumulum curationes non paucae morborum ferebantur, non Gallia tantum, ſed & Italia probe tenet. Atque haec praemiſiſſe licuerit, ut intelligant hoſpites in eorum tempo- A rum Hiſtoriâ, quantâ arte perdita Manichaeorum progenies impietatem, erroreſque ſuos contegeret, ita ut interdum & ipſia ſacria Paſtoribus fucum faceret. Verùm Deus, Eccleſiae ſuae cuſtos, nunquam paſſus eſt, eorum quemquam diu effugere meliorum ac ſapientiorum oculos, atque ad internoſcenda & tollenda ejuſmodi monſtra, ſacrum praecipue Ordinem Praedicatorum, Eccleſiae dedit ineunte Seculo Tertiodecimo, quo tandem Pungilupi nuper memorati hypocriſis & impietas in publicum diem pertracta fuit, uti ſequentia monumenta oſtendent. Sed narratio praecedat, quam pollicitus ſum, ſcilicet: B

Inquiſitio miraculorum, quae ferebantur patrata ad Sepulcrum Armanni Ferrarienſis, Anno 1269.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Amen. Anno a Nativitate ejuſdem Milleſimo Ducenteſimo Sexageſimo Nono, die XVI. intrante Menſe Decembri. Vir Dei Beatus Armannus, *natione* Ferrarienſis, *peractâ longi temporis ſpatio coram Deo & hominibus poenitentiâ laude dignâ, vigiliis, jejuniis, & orationibus vacans, fidelis & caſtus, humilis, patiens, miſericors, benignus & ſimplex, verâ ſimplicitate columbae, Deo devotus, & Virgini gloriosae, ſicut Domino placuit, Chriſti Crucem bajulans, miraculoſe ab ipſo vocatus, diem clauſit extremum. Cujus feliciſſimus obitus in horae breviſſimo ſpatio, ultra quàm credi poſſit, Ferrarienſibus dictis innotuit. Et catervae hominum & mulierum ad Majorem Eccleſiam, ubi exanime Corpus ejus delatum erat, ſubitò confluxerunt. Cujus digno Corpore ſepulturae cum exſequiarum ſolemnitate tradito reverenter,* C *Rex excelſus, cujus miles in Mundo extiterat, ipſum virum Dei Armannum mox coepit clarificare miraculis, quorum quaedam inferius declarantur.*

Die XII. exeunte Decembri, Nova Mulier filia quondam Maiuardini de Maderio, & uxor Johannini de Achille, de Contrata Sanctae Mariae de Vado Civitatis Ferrariae, jurata in praeſentia venerabilis patris Domini Alberti, *Dei gratiâ,* Epiſcopi Ferrarienſis, D *& diſcretorum virorum Dominorum Friderici Archipresbyteri, Ferrarini Canonici Ferrarienſis, & nobilium etiam virorum Dominorum Aldegherii de Fontana, Petrocini de Menabobus, Petri ejus filii, & aliorum multorum, dicere veritatem ſuper ejus infirmitate & liberatione, ſuo ſacramento firmavit, & dixit, quod paſſa eſt circa novem annos in oculo dextro, & ab octo diebus citra invaluit in eodem oculo tumor & paſſio, ita quod ex eo aliquo* E

modo

modo videre non poterat. Et hodie perſonaliter contulit ſe ad majorem Eccleſiam, ubi requieſcit Corpus viri Dei Armanni. Et ter cum devotione flexis genibus inclinavit ſe coram ejus tumulo, devote ſupplicans Deo Patri, ut ob merita praefati viri Dei Armanni, ipſam a praefata infirmitate curaret, & reciperet viſum. Quo dicto oblationem obtulit. Qua oblata mox tumor ſitus in ipſo oculo ab eodem evanuit, & viſum recepit.

Eâdem die in preſentia teſtium praeſcriptorum, Gisla uxor quondam Caſtellani, de dicta Contrata Sanctae Mariae de Vado, teſtis jurata dixit ſuo ſacramento, quod ſeptem anni ſunt, quod ipſa naſcit dictam Novam, & vidit in ejus oculo paſſionem uſque in hodiernam diem, ſecundùm quod dicta Nova ſuo ſacramento firmavit.

Die XI. exeunte Decembri, Gisla, quae fuit de Lendenaria, uxor Stephani de Villanova, qui moratur in Contrata Burgitovi, jurata in praeſentia dicti Domini Epiſcopi, & virorum, & diſcretorum Dominorum Friderici Archipresbyteri, Amedei, Ferrarini Canonicorum, Alberti Capellani, & Coſſue Manſionarii, Ferrarienſium, dicere veritatem ſuper ejus languore & liberatione, ſuo ſacramento dixit: Quod decem & octo annis ſteterat impedita de brachio dextero uſque in hodiernum diem, & non poterat ad os ſuum portare, nec in eo quidquam tenere. Et heri proxime elapſo cum reverentia & devotione vovit Deo & beato Armanno, quod ad ejus tumulum offerret unum brachium cum manu cereum, & unam candelam aeque longaevam, ut ipſa eſt, & quod ejus Vigiliam jejunaret in pane & aqua ſemper dum viveret, & nocte ventura ad ejus Tumulum vigilaret. Et eodem voto ſic ſolemniter celebrato, conferens ſe coram Sepulcro beati Armanni, per totam noctem vigilavit ibidem in pura devotione & reverentia. Et hoc ſiquidem mane poſtea praeſente, dum Chriſti Corpus a Sacerdote levaretur in altum in dicta majori Eccleſia, in qua ipſa tunc erat dicta Gisla, reverentiâ ipſius Chriſti Corporis erexit ſe, & ambas manus & brachia libere levavit in altum, & ab infirmitate dicti brachii liberata eſt.

Eodem die Stephanus, vir prefatae Gislae, teſtificatus eſt, praeſtito juramento in praeſentia ſuprascriptorum Dominorum, quod dicta uxor ejus Gisla uſque in hodiernum diem in brachio dextro paſſa eſt, ut ſupra ſuo aſſeruit ſacramento, ſed ignorat, qualiter a languore, quo tenebatur, in eo reſumſerit ſanitatem.

Eodem die Gavardus Brentator de Burgonovo, juratus in praeſentia dictorum Dominorum, ſuo ſacramento dixit, quod filia ſua Murcheſina, puella octo annorum, praeſens ibidem a tempore nativitatis ipſius, utroque latere claudicabat. Et die Mercurii proxime elapſo dicta puella in hora Veſperarum rogavit eum cum fletu, ut eam ad beati Armanni Sepulcrum deferret, quia ipſa ſperabat, quod eam erigeret. Et tunc ipſe accepit eam in ulnis ſuas, & detulit eam ad Sepulcrum beati Armanni, & poſuit eam reverenter ſuper capſam, in qua requieſcit Corpus ejus. Et dum ipſa puella ſteriſſet ibidem ſpatio horae unius, ipſe quaeſivit ab ea, qualiter ſe habebat. Et ipſa reſpondit: Bene. Et tunc ipſe erexit eam in Eccleſia. Et videntibus omnibus ibidem aſſtantibus, ipſa coepit recta ire. Quae puella praefens dixit, quod dum liberaretur, ſentiebat per loca paſſiones meare in modum formicarum.

Die IV. exeunte Decembri, Adelaſia uxor Andrioli de Pizolbano de Cornacervina, jurata in praeſentia dicti Domi-

Domini Epiſcopi, & Dominorum Ranzerii Camerarii Domini Epiſcopi, Presbyteri Alberti, Raynerii, Coſſae, & multorum aliorum Laicorum, ſuo ſacramento dixit, quod ſpatio annorum duorum paſſa eſt dolorem & ardorem in oculis, & male videbat. Et ſi volebat videre Corpus Chriſti, quum levabatur, oportebat eam cum manibus oculorum palpebras elevare. Et die heri elapsâ proximâ venit ad Tumulum beati Armanni, & genibus flexis cum magna devotione inclinavit ſe ante tumulum, & oſculans terram, rugavit cum reverentia Deum, ut eam beati Armanni meritis liberaret. Et apertis oculis intuita fuit paleas ſuper terram exiſtentes ibidem, & dolorem & ardorem innatum oculis non ſenſit, & viſum melius ſolito, priuſquam dictam habuit paſſionem recepit.

Eodem die Bonmartinus filius Rubei Beatricis de eadem Terra, Alchenda ejus uxor, & Albigunda uxor Bene de Levalgallo de dicta Terra, teſtes jurati, in praeſentia praeſcriptorum Dominorum ſuo ſacramento cuncta firmarunt, quae dicta Adelaſia de infirmitate ſua ſuperius proprio aſſerunit ſacramento.

Die III. exeunte Decembri, Marinellus Calegarius de BuccaCanalium, juratus in praeſentia dicti Domini Epiſcopi, & Dominorum Friderici Archipresbyteri, Ferrarini, & Amedei Canonicorum Ferrarienſium, ſuo ſacramento dixit, quod decem & octo Menſium ſpatio ſtetit Guttâ (*) detentus tunc ab iliis infra uſque ad pedes, uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini, proxime nunc elapſam. Et vix ſe in lecto volvere poterat: & fortiter cruciabatur in anchis & truribus. Et non poterat die vel nocte quieſcere. Et in Vigilia praedictae Nativitatis Chriſti ante diem venit ad Tumulum beati Armanni, & ſtetit ibi per totam diem uſque poſt Nonam ſuppliciter & devote, & ſupplicans Deo, ut ipſum beati Armanni meritis liberaret a Guttâ, quâ tenebatur. Et in hora pulſationis Campanae officialium ſenſit ſe ſine ſolito anchorum, coxarum, & crurium dolore. Et coepit ire libere & ſine baculo recte, quod prius facere non valebat.

Eodem die Dominicus Deodatus de Vedrariis, teſtis in praeſentia dictorum Dominorum, ſuo ſacramento dixit, quod ante Nativitatem Domini proxime elapſam vidit Marinellum praedictum ire cum baculo, tamquam Guttâ detentum, & vidit eum ire more ſolito ſine baculo.

Ego Petrus Novellus, Dei gratiâ, ſacri Imperii & Curiae Epiſcopalis Ferrarienſis Notarius praeſcriptis omnibus & ſingulis praeſens fui, & juſſu Domini Epiſcopi ſcripſi.

Et ego Matthaeus de Triſigale, Imperiali auctoritate publicus Notarius ſupraſcripta Miracula vidi, & legi de verbo ad verbum, & in publicam formam redegi de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi, *Dei & Apoſtolicae Sedis gratiâ,* Ferrarienſis Epiſcopi, *nihil addens, minuens, vel mutans de iis, quae in ipſis continentur, & ſcripta ſunt per Petrollum Novellum Notarium, quod intellectum vel ſententiam mutet, niſi fortè in compoſitionibus literarum, vel in punctis.*

Ego Albertus de Brinis, Curiae Epiſcopalis Ferrarienſis publicus Notarius, quia praedictum exemplum praedictorum Miraculorum exemplatum manu praedicti Matthaei Notarii auſcultavi

(*) *Guttâ detentus:* ideſt *Gottoſo*, five *travagliato dalla Gotta*. Notiſſimus eſt hic morbus articularis, qui quum pedes afficit *Podagra* nuncupatur, quum verò manus *Chiragra* dicitur; generice verò ab Italis omnibus, *Gotta* appellatur.

tavi diligenter cum ſcripturis authenticis, ſcriptis manu Petri Novelli Notarii, non inveniens aliquid in eo additum vel diminutum, quod ſenſum mutes, vel ſententiam, ideo me in eo ſubſcripſi, & ſignum meum appoſui de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi Ferrarienſis Epiſcopi, currente MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. intrante Octobri.

Ego Mercatellus de Brinii, Curiae Epiſcopalis Ferrariae Notarius, hoc exemplum praedictorum Miraculorum, manu Matthaei Notarii exemplatum, diligenter cum authenticis Miraculis auſcultavi. Et quia nihil inveni additum vel minutum, quod ſenſum mutet vel ſententiam, quàm in authentico contineatur eodem, ideo de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi Epiſcopi Farrarienſis, manu propria me ſubſcripſi in MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. Menſis Octobris.

Sequitur & haec altera Inquiſitio, Anno 1270.

ITem infraſcripta Miracula, quae Largitor bonorum omnium dignatus eſt antedicti beati Armanni meritis patenter effundere ſuper iis, per venerabilem patrem Dominum Albertum, Dei & Apoſtolicâ gratiâ Ferrarienſem Epiſcopum, examinatione ad praedicta diligenti, ſecundùm quod dicta teſtium & aſſertiones languentium infraſcriptorum continent, ſcripta per me Salveſtrinum Notarium de Valleriis, praeſente ac mandante dicto Domino Epiſcopo, evidentiſſime patuerunt in MCCLXX.

Die Sabbati IV. Januarii, Domina Candiana uxor Petrocini Mazzi de Contrata Sancti Romani Ferrarienſis, in preſentia dicti Domini Epiſcopi, & aliorum multorum tam Clericorum quàm Laicorum, juravit dicere verisatem ſuper infirmitate ac liberatione filiae ſuae Thomaſinae temporis duorum annorum: quam coram eodem Domino Epiſcopo detulit; & ſuo juramento firmavit; quod dicta ejus filia quatuor menſium ſpatio fuit & ſtetit fiſtularum morbo ex utroque latere in coxis multipliciter aggravata, ita quod in diſperatione liberationis jam erat. Et ſic oppreſſa fuit uſque ad diem Vigiliae Nativitatis Domini nuper elapſum. Et ſic ſtando Domina vovit dictam ejus filiam Deo, & beato Armanno, quod ſi eadem filia ſua liberaretur, ipſa illam adduceret coram Sepulcro beati Armanni, & ibi offerret imaginem ceream ad inſtar ipſius. Et voto praedicto facto, die proxima praecedente dictam Vigiliam, in die praedicto Nativitatis Domini praedicta Thomaſina ejus filia liberata eſt, ſolidatis ulcerationibus fiſtularum, oſtenſis ibidem dictis ulcerationibus coram dicto Domino Epiſcopo, & gentium non modica quantitate; quae ex toto ſolidae apparebant.

*Eodem die coram praedictis, Dominus Henoch Medicus, Civis Ferrarienſis, teſtis juratus ſuper praedictis, ſuo ſacramento aſſeruit, quod ipſe habuit dictam puellam filiam ipſius Dominae Candianae, quae erat ibi praeſens, in cura, & multum inſtitit liberationi & * medicamus ejus, ſpatio unius Menſis & plus. Et ſcit pro certo, quod ipſa erat atroci paſſione fiſtularum oppreſſa in coxis. Et dum videret incurabilem eſſe infirmitatem, eamdem licentiavit, & reliquit eam. Et dixit praedictae matri puellae, ut ligaret eam, & bene faceret ei quod melius poſſet. Et fuit hoc parum ante feſtum Nativitatis*

nuper

nnper elapſum. Et incontinenti dicta mater puellae, dum attuliſſet illam ad ipſum, vidit eam liberatam, de hoc valde miratus fuit poſt feſtum praedictum. Eodem die, & coram praedictis, Dominus Antonius, qui dicitur Dech, Medicus, Civis Ferrarienſis, teſtis juratus, dixit ſuo ſacramento ſuper praedictis, quod ipſe ante feſtum Nativitatis nnper elapſum, interfuit pluries & plnries cum Domino Henoch Medico, quando ipſe ligabat, & curabat antedictam * Thomaſinam filiam Dominae Candianae. Et vidit ipſam oppreſſam morbo fiſtularum in coxis ex utroque latere; quae ita infirmabatur ex hoc, quod ipſa erat in deſperatione liberationis. Et incontinenti poſt feſtum ipſum Nativitatis vidit eam liberatam, quae ibi praeſens erat.

Die Mercurii XV. Januarii, Bona filia Helenae de Contrata Sanctae Mariae Novae Ferrarienſis, in praeſentia dicti Domini Epiſcopi, & non modica gentium quantitate, in Epiſcopali Palatio congregatâ, jnravit dicere veritatem ſuper infirmitate & liberatione ſui. Et proprio juramento firmavit, quod ipſa, jam eſt unus annus & plus, quod habuit & habebat dnas (*) Gumbas ſive Boclas, unam in pectore, & alteram in ſpatulis. Et ſtetit dicto morbo & languore oppreſſa uſque ad diem Martis nuper elapſum de nocte. Et ſic eâ ſtante in Majori Eccleſia Ferrarienſi prope Sepultnram beati Armanni, dum rogabat Deum, ut precibus & meritis beati Armanni liberaret eam, ipſa incontinenti ſenſit ſe liberatam ibidem nocte praedicta, ita quod ex anteriori parte ex toto liberata eſt, & ex altera parte quaſi liberata, ita quod Gumba anterior non apparebat, & poſterior modicum cernebatur, dum ſe patenter omnibus demonſtraret.

Eodem die & loco, & in praeſentia praedictorum, Helena mater Bonae praedictae, teſtis jurata dixit ſuper praedictis, quod dicta Bona ejus filia detenta fuit vitio ex infirmitate praedicta, ſtando ſemper cum ea, ſecundùm quod in dicto ipſius continetur. Et praeſens erat cum ea, quando ipſa vovit ſe Deo pro liberatione ſua, & quando liberata fuit in nocte praedictâ. Et ſacramento affirmavit omnia ita vera eſſe, ſicut in dicto ipſius Bonae continetur. Domina Domola de Contrata Sanctae Mariae Novae, uxor quondam Reſtani, teſtis jnrata ſuper praedictis, ſuo ſacramento dixit, quod ipſa eſt vicina Bonae predictae, & bene agnoſcit & agnovit eam, jam eſt din, & vidit ipſam infirmam, jam eſt unus annus & plus, cum duobus Gummis ſive Boclis, una ex parte ante, altera ex parte poſteriori in ſpatulis, uſque ad diem Martis nuper elapſum. Et poſtea die Mercurii vidit ipſam liberatam, ſicut in dicto ſuo continetur. Sed non fuit praeſens quando liberata fnit.

Die Sabbati XVIII. Januarii, Benatus de Portu Francolini, Ferrarienſis dioeceſis, coram praedicto Domino Epiſcopo, & maxima gentium quantitate, jnravit dicere veritatem ſuper infirmitate & liberatione filii ſui Benvenuti, aetatis duorum annorum, ibi praeſentis. Et ſacramento dixit, quod dictus ejus filius crepitus (**) erat, & ſtetit ſic detentus acriter illa infirmitate, quod vix ſe poterat movere, ſex menſium ſpatio, & plus uſque ad paucos dies poſt mortem beati Armanni.

Et

(*) *Gumbas ſive Boclas*, nempe Italice *Gomme ovvero Boceiole*, quibus vocabulis vulgo donari ſolent morboſi ejuſmodi tumores.

(**) *crepitus erat*: ideſt *Crepato*, quo vocabulo uti ſolemus nos Itali, ut enterocelicum, ſeu herniâ laborantem ſignificemus.

Et quum ipſe audivit, quod Deus faciebat miracula pro meritis beati Armanni, ipſe vovit filium ſuum praedictum Deo & beato Armanno, quod ſi liberaretur idem puer ſuus, ipſe offerret ei ſtatuam unam cereamad inſtar ejuſdem. Quo facto paucis diebus tranſactis idem puer liberatus eſt, & ſolidatus omnino, qui ſe ibidem patenter omnibus demonſtrabat.

Polellus de Pedrettis de Francolino, & Johanna uxor antedicti Bennati, & mater dicti Benvenuti, coram praedictis, teſtes jurati dixerunt ſuo ſacramento, praedicta omnia vera eſſe, quae dictus Bennatus de facto filii ſui Benevenuti aſſeruit ſupra in dicto ſuo. Et hoc dixerunt ſe bene ſcire, ſicut perſonae, quae quaſi quotidie ſimul morantur.

Die Sabbati XVIII. Januarii, Flordemoute mulier, quae dicitur Dulcis, filia quondam Nordiglii de Figarolo, in praeſentiâ antedicti Domini Epiſcopi conſtituta, & multitudine gentium in Epiſcopali Palatio congregatâ, juravit dicere veritatem ſuper infirmitate & convaleſcentia ſui. Et dixit ſuo ſacramento, quod ipſa contracta fuit, & ſtetit a principio vitae ſuae uſque ad hodiernum diem, ſeu ad noctem nuper elapſam, in qua liberata eſt. Et nata fuit contracta. Et dum audiret miracula, quae fiebant meritis beati Armanni, & ipſa ſic contracta maneret in anchis ex utroque latere, quod fortiter claudicando vix poterat ſe movere, contulit ſe ad Majoreus Eccleſiam Ferrarienſem, ubi Corpus beati Armanni jacebat, cum reverentia Deo ſupplicans, ut beati Armanni meritis eam ab hujuſmodi inconvaleſcentia liberaret. Et ſic ſtando in orationibus prope Sepulcrum, ſenſit ſe ex utroque latere liberatam nocte jam dicta. Et dixit, quod paſſa eſt magnum dolorem,

A *quando liberabatur, ita quod clamaſſet alta voce, niſi propter verecundiam remaniſſet. Quae mulier incontinenti viſa eſt ab omnibus palam ire non claudicando.*

Eodem die & loco, coram praedictis, Vicentia uxor Alberti Vedelle de Figarolo, amita antedictae Floremonte, teſtis jurata ſuper praedictis dixit ſuo
B *ſacramento, quod ipſa agnoſcit praedictam Flordemonteam a die nativitatis ſuae, quia ipſa eſt Neptis ſua. Et ſcit, quod ipſa contracta nata fuit ex utroque latere in anchis, ita quod fortiter claudicando vix poterat ſe movere. Et ſtetit ſic contracta uſque ad diem hodiernum de nocte, in qua liberata eſt. Et dixit, quod ipſa venit*
C *cum ea ad corpus beati Armanni, & tota illa nocte cum ea ſtetit, quando liberata eſt. Mathelda uxor quondam Maideburg Notarii de Figarolo, teſtis jurata dixit, quod bene ſcit, quod praedicta Flordemonte nata fuit contracta ex utroque latere in anchis. Et ſemper agnovit eam a tempore nationis ſuae, & ſemper vidit eam ita contrac-*
D *tam uſque ad diem hodiernum de nocte, qua liberata eſt in Eccleſia Majori.*

Die Veneris XXI. Februarii, Dominicus de Civitate Juſtinopolitana, quae vulgariter dicitur Caput Iſtriae, coram Domino Jacobo Archipresbytero de Azano, Vicario antedicti Domini Epiſcopi, in Palatio Epiſcopali, congregatâ ibi magnâ gentium quantitate, corpo-
E *rali ab eo praeſtito juramento dixit, quod quum ipſe de praeſenti Menſe Februarii detentus eſſet & moraretur in carcere in eadem Terra, occaſione cujuſdam homicidii, ſuper quo infamatus erat, de quo dicebat ſe non fuiſſe culpabilem, & per Poteſtatem ipſius Terrae jam condemnatus eſſet mortis judicio, tunc quidam coecus venit in Plateam Civitatis ejuſdem caneudo quae-*

dam ex miraculis, quae dicebantur de beato Armanno, prope Palatium, ubi ipſe morabatur in carcere. Ad quem gentes de Terra undique accurrebant. Et hoc viſo ab ipſo Dominico per quamdam feneſtram & audito, incontinenti vovit ſe Deo & Beatae Mariae Virgini, quod ſi liberari poſſet ab illo periculo meritis beati Armanni, ipſe jejunaret per totam illam hebdomadam, & Sepulturam beati Armanni viſitaret. Et ſic jejunando & orando, quadam nocte ante diem, in quo morti tradi debebat, dum ipſe multum ſudaret prae timore mortis, ipſe coepit quodammodo dormire, ut eſſet quaſi ſemiſopitus. Et tunc viſum fuit ei, quod quidam homo pallidus & macilentus venerit ad eum, dicendo haec verba: Surge & recede de loco iſto. *Et incontinenti fuit excitatus, & invenit ſe in Platea Civitatis abſque compedibus, quibus detinebatur in carcere, abſque auxilio alterius perſonae. Et hoc modo aſſeruit dictum periculum evaſiſſe, dum ſe ad beati Armanni tumulum contuliſſet* (*).

Ego Salveſtrinus de Valeriis Notarius, iis omnibus praeſens fui, & ut ſupra legitur, de mandato dicti Domini Epiſcopi ſcripſi & publicavi.

Ego Matthaeus de Triſagale, Imperiali auctoritate publicus Notarius, ſupraſcripta Miracula vidi & legi de verbo ad verbum &c. ut ſupra.

Ego Allercinus de Brinis, Curiae Epiſcopalis Ferrarienſis Notarius, quia praedictum exemplum praedictorum Miraculorum &c. ut ſupra.

Ego Martatellus de Brinis, Curiae Epiſcopalis Ferrarienſis Notarius, hoc exemplum Miraculorum diligenter cum authentico exemplavi. Et quia nihil &c. ut ſupra. *In MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. Menſis Octobris.*

Tertia Inquiſitio, Anno eodem 1270.

IN Chriſti nomine Amen. Anno Domini MCCLXX. Indictione XIII. die IV. intrante Februario, Ferrariae in Palatio Epiſcopali, coram venerabili patre Domino Alberto Epiſcopo Ferrarienſi, praeſentibus teſtibus rogatis atque vocatis Dominis Amedeo Canonico Ferrarienſi, Coſſa Manſionario ejuſdem Eccleſiae Ferrarienſis, Johanne Vixigarolle Notario, Juliano filio Thomaſini Sartoris Notario, Magiſtro Meſio, & aliis multis.

Dominicus qui fuit de Terviſia, & nunc moratur ad Sanctum Johannem, diſtrictus Imolae, teſtis juratus, mandato Domini Epiſcopi praedicti, & de veritate dicenda ad interrogationem ſibi factam per dictum Dominum Epiſcopum dicit, quod Zardina filia Bertaldi ejus filii, quae habet duos annos, nata eſt impedita manu dextrâ, ita quod tantum tenebat pugillum clauſum cum pollice incluſo palmae & digitis. Quae puella ibi erat praeſens coram Domino Epiſcopo praedicto & praedictis teſtibus. Et dicit, quod ipſe ceſtis voluit huic Sancto viro Armanno dare manum & pedem de cera, ſi liberaretur. Et liberata eſt meritis iſtius Sancti viri Armanni. Maria uxor dicti Domi-

(*) Hoc unum ſufficit ad prodendam nimiam credulitatem eorum temporum, atque ad detrahendam fidem Miraculis, quae ad Pungilupi interceſſionem peracta dicebantur. Miraculum hoc tam grande ab aſſertione pendet unius hominis, e longinquis partibus venientis, & Ferrariae ignoti, & nullum teſtem adferentis. Neque ſuſpicati ſunt boni Ferrarienſes, Pararenum aliquem immiſſum, ut hujuſmodi confictâ narratione ſibi illuderet, uti revera factum credere juvat.

* Domini, & avia dictae Zardinae, teſtis jurata, mandato Domini Epiſcopi praedicti continuò & de veritate dicenda, ad interrogationem ſibi factam per ipſum Dominum Epiſcopum, dicit, quod dicta Zardina ejus neptis filia Bertaldi ejus filii, quae habet duos annos tantùm, nata eſt impedita manu dextra, ita quod tantùm tenebat pugillum clauſum, cum pollice incluſo palmae & digitis. Et dicit, quod ipſa teſtis unà cum viro ſuo praedicto vovit dare manum & pedem de cera, & offerre ante Sepulcrum corporis hujus Sancti viri Armanni, ſi liberaretur. Et liberata eſt meritis hujus benedicti viri Armanni.

Eodem die & loco, & eiſdem praeſentibus, Avenance Mantuana, teſtis jurata, mandato Domini Epiſcopi praedicti, & de veritate dicenda, ſuo juramento dicit ad interrogationem ſibi factam per ipſum Dominum Epiſcopum, quod ipſa teſtis vidit dictam puellam Zardinam ſic impeditam, quod ipſa tenebat ſemper pugillum clauſum cum pollice incluſo palmae & digitis, ita quod nullo modo manum poterat aperire. Et nunc ipsà teſte praeſente liberata eſt ante Monumentum hujus Sancti viri Armanni, & ejus Corporis benedicti.

Eodem die & loco & horâ, Perſenda de Adria, filia quondam Ubaldi, jurata mandato dicti Domini Epiſcopi, & de veritate dicenda, ſuo juramento dicit ad interrogationem ſibi factam per Dominum Epiſcopum ſupradictum, quod exſtitit paralytica toto corpore & lingua a tempore citra, quo ſe homines verberabant, ita quod non poterat loqui nec moveri. Et die Veneris ultimo Januarii, venit ſua ſponte ad Corpus beati Armanni, & corde vovit dare ſtatuam eidem, ſi liberaretur, & liberata eſt.

Eodem die & loco & horâ & eiſdem praeſentibus, Martinus Anati de Adria, juratus mandato dicti Domini Epiſcopi, ad interrogationem ſibi factam per dictum Dominum Epiſcopum, ſuo juramento dicit, quod ipſe teſtis vidit Perſendam de Adria filiam Ubaldi praedictam paraliticam toto corpore & lingua, ita quod non poterat loqui nec ire, & nunc liberata eſt. Eodem die & loco & horâ, & eiſdem praeſentibus, & praeſente Perſenda, Dominicus filius quondam Gerardi de Adria, teſtis juratus mandato dicti Domini Epiſcopi, de veritate dicenda, ſicut Martinus praedictus, ad interrogationem ſibi factam per Dominum Epiſcopum, dicit ſuo juramento, quod ipſe teſtis vidit Perſendam de Adria filiam Ubaldi praedictam paraliticam toto corpore & linguâ, ita quod non poterat loqui, nec ire, & nunc liberata eſt.

Ego Apollonius, Dei gratiâ ſacri Palatii, Ferrarienſiſque Notarius, Magiſtri quondam Johannis de Contrata Buccacanalium filius, interfui, & mandato praefati Domini Epiſcopi, ac etiam rogatus, ſubſcripſi.

Ego Matthaeus de Triſigale &c.

Ego Albertinus de Brinis &c.

Ego Mercatellus de Brinis &c. ut ſupra in prima Inquiſitione.

Quarta Inquiſitio, Anno 1280.

Milleſimo Ducenteſimo Octuageſimo, die IV. intrante Januario, Angelus Civis Ariminenſis, Conſtratae Sancti Franciſci, juratus in praeſentia Domini Epiſcopi, Fratris Manfredi familiaris ejus, & multorum aliorum,

suo ſacramento dixit, quod paſſus eſt Guttam in anchis & cruribus uſque in hodiernum diem. Et dum rediret Paduam, intellexit de mirabilibus beati Armanni. Et voto per eum facto, venit ad ejus Tumulum. Et obtulit ibidem unam imaginem cerae. Et oblato munere vigilavit nocte cum devotione ante praefatum Tumulum. Et circa matutinum ſenſit ſe ſine dolore Guttae, & liberatum.

Die V. intrante Januario, Daniela filia quondam Danielis Barberii de Villanova, jurata in praeſentia dicti Domini Epiſcopi, & coram multis perſonis aliis ibidem adſtantibus, ſuo ſacramento dixit, quod a tempore ſuae nativitatis ambabus partibus claudicabat. Et eâ exiſtente cum devotione hac nocte ad Tumulum beati Armanni, reſumſit melioritionem paſſionis ipſius, & melius incedit ſolito, & parum viſa eſt claudicare.

Eodem die Beneventus frater ipſius Danielae & Sabilia de Villanova, teſtes jurati, palam coram omnibus ibidem adſtantibus teſtificati ſunt, quod dicta Daniela ambabus partibus claudicabat, & poſquam venit ad Tumulum beati Armanni, meliorata eſt, & incedit melius ſolito & rectius.

Die V. intrante Januario, Johanna quondam filia Guidonis de Torcis de Mellarià, jurata coram dicto Domino Epiſcopo & multis aliis, palam ſuo aſſeruit ſacramento, quod erat tota perdita a latere dextro, & habebat manum dextram contractam, & pugillum manus ejuſdem claudere non valebat. Hac nocte quidem proxime elapſa dum ſtaret, cum devotione ad Tumulum beati Armanni, reſumſit ſanitatem ipſius manus & brachii, & pugilli liberationem, claudendi & aperiendi eumdem. Et hoc palam oſtendit omnibus, & dixit, quod incedit rectius ſolito.

Eodem die Beneventa mater Franciſchini Nautae de eâdem Terrâ, ſuo ſacramento jurata coram omnibus ibidem adſtantibus dixit, quod novit dictam Johannam, & eam ita paſſam, ut ipſa Johanna praedixit, duxit ad Sepulcrum beati Armanni die heri proximè nunc elapſo, & tunc liberatam vidit eamdem.

Die XI. exeunte Januario, Bertholus filius Petri de Cogomario, juratus in praeſentia dicti Domini Epiſcopi, & Domini Coſſae Manſionarii Epiſcopatus Ferrarienſis, & aliorum multorum, ſuo ſacramento dixit, quod per quindecim dies ante beati Armanni obitum perdiderat brachium ſiniſtrum, ita quod de ipſo brachio nullo modo poterat ſe juvare. Defuncto autem beato Armanno, contulit ſe cum devotione ad Sepulcrum beati Armanni, & vovit eidem cum devotione, quod de labore ſuo comburi faceret ante Sepulcrum ejus lampadem unam. Et ante Sepulturam ejus moram traxit de die & nocte. Et quarta die poſt obitum ipſius uſque in praeſentem diem hodie quidem meritis ipſius viri Dei reſumſit ipſius brachii ſolitam libertatem & ſanitatem. Eodem die India mater dicti Bertholi, & Flora de Contrata Sancti Laurentii ejus Amita, teſtes juratae, ita verum eſſe de paſſione brachii, quam dictus Bertholus dixit ſe paſſum, dixerunt publice, ut Bertholus idem aſſerunt.

Eodem die Dominus Coſſa Ferrarienſis Manſionarius, & Petrus Placentinus de Contrata Sancti Pauli, teſtes jurati in praeſentia dicti Domini Epiſcopi, & aliorum multorum ibidem adſtantium, ſuo ſacramento dixerunt, eos vidiſſe dictum Bertholum, impeditum in brachio ſiniſtro, ita quod de ipſo nullo modo poterat ſe juvare; & eo ſtante ante Tumulum beati Armani, viderunt eum hodie habere dicti bra-

brachii libertatem, qua prius carere viderant.

Die VII. exeunte Januario, Petrus filius Bonſignorii de Contrata Sancti Thomaſii, juratus in praeſentia dicti Domini Epiſcopi, & Fratris Jacobi Prioris Fratrum Eremitarum Conventus Ferrarienſis, & Fratris Hugonis ejuſdem Ordinis, ſuo ſacramento palam coram eis, & omnibus ibidem adſtantibus, dixit, quod ſtetit duobus annis continuis impeditus brachio & manu ſiniſtris. Et eo ſtante hac nocte proxime elapsâ ante beati Armanni Tumulum, facto eidem cum devotione voto, quod cinget cum una candela capſam ligneam, in qua conditum eſt Corpus ejus, ac offeret ibidem imaginem unam cerae, & eidem uno anno ſerviret in pulſatione tintinnabuli, in toto ipſius manus & brachii ſoſpitatem & libertatem recepit, ducens & circumducens brachium memoratum & manum in conſpectu omnium libere, ſicut aliud.

Eodem die Frater Jacobus, & Frater Hugo Ordinis Eremitarum, coram dicto Domino Epiſcopo, & aliis multis ibidem adſtantibus, ipſum Petrum ita fuiſſe impeditum uſque in praeſentem diem, poſtquam eum noverant, in brachio & manu, ut praedixit, in verbo veritatis firmarunt.

Die penultimo Menſis Januarii, Bona filia Zambonelli de Sancta Maria Donis Bononienſis Dioeceſis, in praeſentia Dominorum Amedei Ferrarienſis Canonici, Ferrarienſis Presbyteri, Petri Archipresbyteri Furmiguanae, & Dulcis Manſionarii Epiſcopatus, coram dicto Domino Epiſcopo, & aliis multis ibidem adſtantibus, ſuo ſacramento dixit, quod uſque in hodiernum diem ſtetit pede dextro naturaliter claudo, nec poterat in terram mittere niſi tantùm digitos pedis ipſius. Et voto cum devotione facto Deo & beato Armanno, totum pedem praedictum, ſicut alium, ponit in terram, incedit rectâ, & omnibus ſe oſtendit.

Eodem die Zambonellus pater dictae Bonae, & Domina Thomaſina ejus mater, ita verum eſſe, ut praedixit dicta Bona eorum filia, proprio ſacramento teſtificando firmarunt.

Die ultimo Januarii, Nicola filius Rodulphi Barberi de Medelana, juratus coram dicto Domino Epiſcopo, & in praeſentia Dominorum Raynerii Camerarii ejus, Fratris Alberti & Fratris Manſredi de Campoguola, Coſſae Manſionarii Epiſcopatus, & aliorum multorum, ſuo ſacramento aſſeruit, quod dum ipſe cujuſdam ſalicis deſuper ligna incideret, jam eſt menſis unus elapſus, incidit ſibi pollicem manus ſiniſtrae, ita quod cecidit ſuper palma manus, & paulo ſe tenebat de pelle ipſius digiti. Quumque veniſſet domum, tota die illa & nocte ſequenti prae dolore ipſius digiti quieſcere nequivit ullo modo. Die autem ſequenti vovit reverenter Deo & beato Armanno dare ei unum brachium cereum cum manu, ſi a paſſione vulneris illius liberaret eumdem, & quieſcere poſſet. Nocte quidem ſequenti quietè dormivit, & non perſenſit dolorem ipſius vulneris ſolitum. Mane autem facto, dum Medicus, qui medebatur eidem, ſolveret ſibi praefatum digitum, ut ei mederetur, apparuit digitus ille abſque cicatrice aliqua ſolidatus; & ipſum digitum omnibus ibidem adſtantibus, nullo de eo ſigno vulneris apparente oſtendit.

Eodem die Francolinus de dicta Villa juratus teſtis in praeſentia dictorum Dominorum & aliorum multorum ibidem adſtantium aſſeruit, ſe vere uno vidiſſe digitum dicti Nicolae ſic inciſum, ut ipſe Nicola ſuo aſſeruit ſacramento; & mane ſequenti vidit memoratum digitum, ſicut nunc apparet, abſque cicatrice aliqua ſolidatum.

Die

Die IX. intrante Majo, Domina Johanna, uxor Domini Paganotii de Civitate Paduae, jurata coram dicto Domino Epiſcopo, & in praeſentia multorum Laicorum ibidem adſtantium, publice ſuo ſacramento aſſeruit, quod filia ſua Sophia parvula, quam habebat ibidem, talem habebat in oculis paſſionem, quod propter ipſius morbi violentiam nequibat Solem, vel aliquam igneam claritatem aſpicere. Sed in loco obſcuro videbat, ſed male. Ipſa verò auditâ famâ beati Armanni, duxit eam Ferrariam. Et voto facto pro ea, quod offerret ei duos oculos cerae, ſi eam a morbo liberaret, eadem hodie eâ manente cum dicta filia ſua ante Tumulum beati Armanni in devotione & oratione, dicta puella liberata eſt, & aſpicit Solem & lumen igneum.

A *Eodem die Bonus frater dictae Dominae Johannae, & Blanceta filia quondam Baſtae de dicta Civitate Paduae, teſtes jurati in praeſentia praedictorum, palam ita verum eſſe, ut dixit Domina Johanna, de paſſione & liberatione dictae filiae ſuae praedixit, proprio eorum ſacramento firmarunt.*

Ego Petrus Novellus, Curiae Epiſcopalis Ferrarienſis Notarius, iis omnibus praeſens juſſu dicti Domini Epiſcopi praedicta omnia ſcripſi, & publicavi.

B *Ego Matthaeus de Triſegale, Imperiali auctoritate publicus Notarius &c.*

Ego Albertinus de Brinis, Curiae Epiſcopalis &c.

Ego Mercatellus de Brinis Curiae &c. ut ſupra. *In MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. Menſis Octobris.*

C

Quincta Inquiſitio miraculorum, quae dicebantur patrata ad Sepulcrum Armanni Ferrarienſis, ſpectans, ut videtur, ad eumdem Annum 1280.

Die Sabbati XVII. Maji, Bonaventura filia Dominici de Bando Ravennatenſis Dioeceſis, & uxor Johannis de Guarinis de Portu majori, in praeſentia jam dicti Domini Epiſcopi, & magna gentium quantitate in Epiſcopali Palatio, juravit dicere veritatem ſuper paſſione & liberatione ſua. Et dixit ſuo juramento, quod in Menſe Auguſti nuper elapſo, fuerunt duo anni completi, quod ipſa oppreſſa & detenta fuit ex malignis ſpiritibus, qui dicebant ſe eſſe novem numero. Qui multipliciter eam vexabant, & irremediabiliter offendebant, & faciebant eam turpia & inhoneſta loqui. Nec poterat comedere nec dormire: & maxime a feſto Paſchae Reſurrectionis nuper elapſo uſque modo ad diem hodiernam, qua liberata eſt. Et dixit, quod ipſa venit die beri, & conducta fuit ad Sepulturam beati Armanni in majori Eccleſia Ferrarienſi. Et quum fuit ibi, dicti Spiritus nominaverunt ſe, dicentes, quod ipſi erant novem. Et hodie in mane tempeſtive ipſa exiſtente ibidem, dicti Spiritus reliquerunt eam, & abierunt ab ea. Et dixit, quod tunc erant cum ea praeſentes Dominicus de Bando pater ejus, & Adelardus de Portu, qui conduxerunt eam.

D

E

Eodem die & loco & teſtibus praedictis, Dominicus de Bando pater dictae Bonaventurae, & Adelardus de Portu, jurati ſuper praedictis, teſtificati ſunt, & ſuo ſacramento firmarunt, omnia & ſingula vera eſſe, quae dicta Bonaventura dixit, & in ſuo dicto ſuperius continetur de verbo ad verbum. Et hoc dicunt ſe bene ſcire tamquam homi-

bomines, cum quibus ipſa quaſi moratur aſſidue. Et qui conduxerunt eam, & praeſentes fuerunt omnibus ſupradictis. Et ipſa Bonaventura viſa eſt ibidem ab omnibus morari & loqui ſatis diſcrete, & ſine ulla vexatione Spirituum malignorum.

*Die Sabbati XVII. Maii, Aloyſia de Layde de Breſſello, Parmenſis dioeceſis, in praeſentia dicti Domini Epiſcopi, & non modica gentium quantitate in Epiſcopali Palatio, juravit dicere veritatem ſuper paſſione & liberatione ſui. Et ſuo ſacramento dixit, quod ipſa, jam ſunt octo Menſes & plus, fuit detenta & oppreſſa ex duobus Spiritibus malignis, qui multipliciter eam vexabant, & faciebant eam inſanire, ita quod comedere ac dormire non poterat. Et ſic eam tenuerunt, uſque ad diem hodiernam, qua liberata eſt. Et quum ipſa hodie veniſſet ad Tumulum beati Armanni, in Majori Eccleſia Ferrarienſi, dicti Spiritus receſſerunt ab ea, & ſic liberata eſt. Et dixit, quod tum ea venerunt & erant de Breſſello uſque ad * vocabulum beati Armanni, Delay maritus ejus, & multi alii de dicta Terra. Delay maritus dictae Aloyſiae, & Zanes Petriboni de Breſſello, teſtes jurati teſtificati ſunt, & ſuo ſacramento ibidem firmarunt omnia & ſingula vera eſſe, quae dicta Aloyſia ſupra in dicto ſuo aſſeruit. Et de verbo ad verbum ita dixerunt eſſe, ſicut in ejus dicto continetur. Et hoc dixerunt ſe bene ſcire, tamquam ii, cum quibus ipſa moratur, & qui cum ea venerunt & fuerunt praeſentes praedictis.*

Die Veneris VI. Junii Rolandinus filius quondam Zanelli Rolandi de Caſtregnano, Mutinenſis Dioeceſis, juratus in praeſentia praenominati Domini Epiſcopi, & aliorum multorum, dixit, quod quum ipſe quadam nocte eſſet cum bobus ſuis, quos tuſtodiebat in paſcuis, accidit ei, quod ipſe habendo oculos, amiſit lucem & loquelam. Et tunc contracta fuit ei manus dextra ita, quod nec videre, nec loqui, nec cum dicta manu aliquid facere vel operari poſſet. Et ſic impeditus fuit, & ſtetit ſpatio duorum annorum & plus. Et dixit, quod ipſe vovit ſe Deo & beato Armanno, & tentulit ſe ad Sepulturam ejus, & ibi ſtetit octo diebus in orationibus; ita quod per Dei gratiam, & ex meritis beati Armanni hodie liberatus eſt, ita quod viſum & loquelam recepit, & ex contractione manus liberatus eſt. Et viſus eſt ibi ab omnibus palam loqui & videre & operari cum manu praedicta, ſicut homo ſanus.

Ego Salveſtrinus de Valeriis Notarius, iis omnibus praeſens fui, & ut ſupra legitur de mandato dicti Domini Epiſcopi ſcripſi & publicavi.

Ego Matthaeus de Triſigale &c.

Ego Albertinus de Brinis &c.

Ego Mercatellus de Brinis &c. ut ſupra. *In MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. Menſis Octobris.*

Epiſtola quorumdam Sacerdotum Ferrarienſium ad Johannem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Cardinalem, de Armanni Pungilupi Fide Orthodoxa, Anno 1272.

Venerabili in Chriſto patri & domino, Domino Johanni Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali, *Petrus Prior Monaſterii Sancti Romani, Alexius Prior Sanctae Mariae de Vado, Guido Prior Sanctae Agne-*

Agnetis, Antonius Prior Sanctae Juſtinae, Johannes Prior Sancti Michaëlis, Benevenutus Prior Sancti Nicolai, & Petrus Prior Sancti Johannis de Caſtro Thealdi Ferrarienſis, reverentiam in Domino & ſalutem. Noverit Paternitas veſtra, quod Sacerdotes infraſcripti de ſpontanea voluntate vobis praeſentibus dixerunt, proteſtati ſunt, & confeſſi in Fide Dei & Deum verum, & per Ordinem Sacerdotii, quem Dei gratiâ obtinuerunt, aſſerentes, ſe recepiſſe temporibus diverſis ad poenitentiam & confeſſionem in foro Poenitentiali, & in judicio animae bonae memoriae Armannum, *dictum vulgo* Pungilupum, *virum in Domino venerandum, cujus Corpus in Eccleſia Ferrarienſi requieſcit in pace. Et hoc ſecundùm modum & formam proteſtationum & confeſſionum ipſorum Sacerdotum, de quibus confeſſionibus inferius evidenter apparet. Et quia dicti Sacerdotes ſunt homines in Fide recti, & in bonis operibus perſeverantes, ſicut in iis in Civitate Ferrariae publica & bona fama laborat, confeſſionibus ipſorum plenam fidem duximus adhibendam. Et praecipue, quia praedictum Armannum in die ſui obitus & ante, nec ſcivimus nec credidimus neque audivimus alicujus mortalis peccati contagione reſperſum. Quin immo credimus, quod exigentibus rectâ Fide & operibus bonis, quae vigebant in eo, animam illius ante conſpectum Omnipotentis Dei ſic honorifice collocari, ac propter hoc confeſſiones ipſas fecimus noſtrorum Sigillorum pendentium munimine roborari. Supplicamus itaque Paternitati & dominationi veſtrae, quatenus confeſſionibus ipſis indubitanter dignemini fidem plenariam adhibere.*

Coram vobis praedictis Dominis & Prioribus confiteor & dico de pura & ſpontanea voluntate ego Presbyter Zambonus, Archipresbyter Plebis Gaibanae Ferrarienſis Dioeceſis, quod ſunt ſex anni vel quinque, quod ego ſtabam ſicut Capellanus cum venerabili patre Domino Alberto, *Dei & Apoſtolicâ gratiâ nunc & tunc* Ferrarienſi Epiſcopo. *Et me exiſtente Capellano dicti Domini Epiſcopi, ut dictum eſt, Armannus, qui dicebatur vulgariter Pungilupus, pluries venit ad me, dicens & proteſtans, quod volebat confiteri peccata ſua cum praedicto Domino Epiſcopo Ferrarienſe. Sed idem Dominus Epiſcopus pluribus occupationibus impeditus erat, propter quas idem Armannus quum ipſius praeſentiam ad confitendum pectata ſua commode habere non poterat, ipſe Armannus ſtans devote ac reverenter ante me etiam genibus flexis ſicut homo, qui videbatur valde contritus, & auferens capellinam, quam gerebat in capite, in ſignum reverentiae, quinque vicibus aut ſex, ſicuti firmiter credo de vicibus, generaliter peccata ſua temporibus diverſis mihi confeſſus fuit, incipiendo a peccatis, quae contraxerat ante adoleſcentiam, ſcilicet in pueritia, & in ipſa adoleſcentia, & etiam poſt. Et etiam confitendo peccata ſua, quae contraxerat, & commiſerat temporibus antedictis. Poſtulabat inſuper de peccatis ſuis ſibi a Deo & a me poenitentiam & indulgentiam exhiberi. Auditis autem confeſſionibus illius temporibus diverſis in foro poenitentiali, & videns, quod exinde triſtis eſſet, & verè contritus atque confeſſus, ſecundùm qualitatem & quantitatem exceſſuum, eidem injunxi & injungebam poenitentiam competentem. Et inſuper a peccatis ſuis, ut moris eſt, abſolvi & abſolvebam eumdem.*

Coram vobis praedictis Dominis & Prioribus confiteor & dito de pura & ſpontanea voluntate ego Presbyter Rayne-

nerius

nertus Capellanus Ecclesiae Ferrarien-
sis, quod per duos annos ante obitum
praedicti Armanni, quondam ipse idem
Armannus pluries venit ad me, dicens,
quod volebat peccata sua mihi confite-
ri. Et trahens ipsum ad locum secre-
tum in Ecclesia Ferrarienſi, ipse idem
Armannus devote & reverenter fuit
ante praesentiam meam genibus flexis,
sicut homo, qui multum videbatur tri-
stis & contritus de peccatis suis. Et
pluries mihi confessus fuit peccata sua,
exprimendo nominatim peccata sua,
quae commisisset, & de quibus videba-
tur recordari. Quibus confessis petebat
sibi a Deo & a me poenitentiam &
absolutionem exinde exhiberi. Quibus
peccatis auditis, viso etiam quod verè
contritus atque confessus esset, secundùm
quantitatem & qualitatem peccatorum
suorum, imposui & imponebam sibi poe-
nitentiam competentem, & absolvi eum
pluries & absolvebam, ut dictum est,
a peccatis suis.

Coram vobis praedictis Dominis &
Prioribus confiteor & dico pura & sin-
cera voluntate ego Presbyter Albertus
Ecclesiae Ferrarienſis Mansionarius,
quod olim, quum essem Capellanus Ec-
clesiae Ferrarienſis, & postquam fui
in eadem Ecclesia Mansionarius, ultra
duodecim vices ego recepi ad poenitenti-
am & confessionem in foro poenitentia-
li in eadem Ecclesia Ferrarienſi Ar-
mannum Ecclesiae Ferrarienſis Paro-
chianum, & in domo dicti Armanni
dedi sibi poenitentiam, & audivi con-
fessionem ipsius pluries, dum esset infir-
mus. Et in Quadragesima proxima
praecedenti obitum praedicti Armanni,
idem Armannus confessus fuit mihi in
foro poenitentiali peccata sua, ita quod
videbatur de peccatis suis multum tri-
stis & verè contritus, lacrymas emit-
tendo; & propterea cum devotione pe-
tebat sibi injungi a Deo & a me poe-

A *nitentiam de peccatis suis, & absolu-*
tionem peccatorum suorum exiberi. Post
ejus confessiones imponebam & imposui
poenitentiam secundùm quantitatem &
qualitatem peccatorum suorum, & absol-
vi eum pluries, & dedi ei absolutio-
nem a peccatis suis. Et ipse idem Ar-
mannus pluries duxit me ad uxorem
suam Mariam nomine, quando infirma-
B *batur, ut ei darem poenitentiam. Et*
dicebat uxori suae: Ecce dictus Pre-
sbyter Albertus. Et ego rogo te, ut
bene & perfecte confitearis ei omnia
peccata tua.

Coram vobis praedictis Dominis Prio-
ribus confiteor & dico de pura & spon-
tanea voluntate ego Presbyter Bonaven-
tura Capellanus Ecclesiae Sancti Salva-
C *toris Ferrarienſis, qui fui & sum Ca-*
pellanus Ecclesiae Ferrarienſis per tres
annos, & sunt undecim anni. Et in prae-
dictis tribus annis pluries venit ad me
Armannus, qui vulgariter dicebatur Pun-
gilupus, dicens, quod volebat mihi con-
fiteri peccata sua. Et multoties in eadem
Ecclesia peccata sua mihi confessus fuit
reverenter atque devote, stando ante
D *praesentiam meam, sicut homo, qui vi-*
debatur tristis & contritus multum de
peccatis suis, quae commisisset. De qui-
bus peccatis confessus, petebat sibi a
Deo & a me poenitentiam imponi &
absolutionem exinde sibi exhiberi. Et
ego auditis suis peccatis, quia videba-
tur mihi, quod ipse esset verè contritus
atque confessus, secundùm quantitatem
E *& qualitatem peccatorum suorum impo-*
sui & imponebam poenitentiam compe-
tentem, absolvi eum pluries & absolve-
bam a peccatis suis. Et pluries in
praedictis tribus annis in festivitatibus
Nativitatis Domini & in Resurrectio-
ne communicavi eumdem.

Coram vobis praedictis Dominis &
Prioribus confiteor & dico de pura &
spontanea voluntate ego Presbyter Gau-

dulfus Capellanus Eccleſiae Ferrarienſis, quod olim circa unum menſem & dimidium, ante obitum piae memoriae Armanni, qui vulgo dicebatur Pungilupus, qui erat Parochianus Eccleſiae Ferrarienſis, ipſe idem Armannus venit ad me, & devote, dicens, quod volebat mihi confiteri peccata ſua, & generaliter in foro poenitentiali confeſſus fuit mihi genibus in terram peccata ſua & cum devotione & reverentia. Quibus peccatis auditis, quia videbatur mihi, quod verè eſſet contritus atque confeſſus, exprimendo peccata ſua, quae commiſerat, & petendo exinde poenitentiam ſibi imponi & abſolutionem ſibi dari, & a me etiam exhiberi ſecundùm quantitatem & qualitatem peccatorum ſuorum poenitentiam impoſui & imponebam, & ipſum a vinculo peccatorum ſuorum abſolvi.

Coram vobis praedictis Dominis & Prioribus dico & proteſtor & confiteor de pura & ſpontanea voluntate ego Frater Benevenutus, Prior Eccleſiae Sancti Nicolai Ferrarienſis & Presbyter, quod jam ſunt decem anni, & plures, quod praedictus Armannus quondam quolibet bis ad minus, ſcilicet in Quadrageſima ſemel, & ſemel ante feſtum Nativitatis Domini, veniebat ad praedictam Eccleſiam Sancti Nicolai, ſicut ego vidi. Et erat in praedicta Eccleſia cum praedeceſſore meo, nomine Domino Raynaldo quondam, coram eo praedicto praedeceſſore meo idem Armannus flexis genibus multum devote & reverenter, ita quod videbatur confiteri peccata ſua dicto meo praedeceſſori, qui erat Sacerdos & ſenex, & ab eo recipere poenitentiam, ſicut ego firmiter credo. Et audivi etiam ab eodem Armanno, quod bene erant viginti quinque anni eo anno, quo praedictus Armannus obiit, quod ipſe fuerat confeſſus peccata ſua praedicto meo praedeceſſori, & ab eo receperat poenitentiam. Et dico, quod in feſto Beatae Luciae proxime praeterito fuerunt duo anni, quo dictus Armannus venit ad praedictam Eccleſiam Sancti Nicolai, ut acciperet poenitentiam more ſolito a praedicto meo praedeceſſore. Sed quia idem praedeceſſor jam erat aetatis decrepitae, nec intendere & audire confeſſionem ipſius & imponere poenitentiam de ſuis peccatis poterat, incontinenti traxi eum ad locum convenientem ad hoc in eadem Eccleſia, in qua coram me ſedit in terra devote & reverenter. Et tandem mihi confeſſus fuit peccata ſua. Et impoſitâ ei per me poenitentiâ competenti, abſolvi eum a peccatis ſuis. Factâ verò confeſſione per eum, ipſe idem Armannus verè contritus & confeſſus, ut videbatur, petiit a me Corpus Chriſti. Sed ego reſpondi ei, quod non darem ſibi Corpus Chriſti, niſi ſuper hoc haberem licentiam a Presbytero ſuo Parochiali. Sed eâ receptâ licentiâ traderem illud eidem. Qui receſſit, nec poſt rediit. Qui die Lunae ſequenti mirifice diem clauſit extremum.

Coram vobis praedictis Dominis & Prioribus dico & confiteor de pura & ſpontanea voluntate, quod poſſunt viginti quinque anni eſſe vel circa, quod ego Presbyter Johannes Rector Eccleſiae Sancti Blaſii de Ferraria, eram in Eccleſia Beatae Luciae de Roncogallo Ferrarienſis Dioeceſis, in feſto Beatae Luciae. Et Armannus quondam, qui dicebatur vulgariter Pungilupus, ſimiliter erat ibi propter ipſum feſtum. Qui venis ad me, dum eſſem in Eccleſia Sanctae Luciae. Et devote & reverenter confeſſus fuit mihi in foro poenitentiali peccata ſua generaliter. Poſt quam confeſſionem de peccatis ſuis impoſui ſibi poenitentiam ſecundùm quantitatem & qualitatem peccatorum ſuorum, & abſolvi eum poſtmodum a peccatis ſuis.

Quae confeſſiones omnium ſupraſcriptorum Presbyterorum dictis Prioribus factae fuerunt, & ..... Priore Sancti Andreae de Ordine Eremitarum, & Fratre Gregorio de eodem Ordine, & praeſentibus teſtibus rogatis & vocatis Dominis Presbytero Petro Archipresbytero Plebis Furmignanae Ferrarienſis Dioeceſis, Presbytero Petro Rectore Eccleſiae Sancti Stephani de Ferraria, Presbytero Bono Rectore Eccleſiae Sancti Michaëlis de Gaibana Ferrarienſis Dioeceſis, Presbytero Franciſco Rectore Eccleſiae Sanctorum Coſmae & Damiani de Focomortuo Ferrarienſis Dioeceſis, Fratre Nicolao Monacho Monaſterii Sancti Romani Ferrarienſis, Magiſtro Boſio de Ducato, & aliis pluribus tam Clericis quàm Laicis.

Et ego Ribaldinus, Civis Ferrarienſis, Imperiali auctoritate Notarius, currente Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo Secundo, die Jovis III. exeunte Menſe Aprilis, ſupraſcriptas confeſſiones recepi, & die Veneris ſequenti, eodem Menſe Aprili praeſentibus praedictis Sacerdotibus eas legi & publicavi, & in praeſentia praedictorum Priorum & teſtium eaſdem Confeſſiones rogatus ſcribere ſcripſi, & in publicam formam redegi.

Actum in Canonica Ferrarienſi, Indictione XV.

Et ego Matthaeus de Triſegale, Imperiali auctoritate publicus Notarius, ſupraſcriptas confeſſiones vidi & legi de verbo ad verbum, & in publicam formam redegi de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi, *Dei & Apoſtolicâ gratiâ* Ferrarienſis Epiſcopi, *nihil addens, minuens, vel immutans de iis, quae in ipſis confeſſionibus ſcripta ſunt per Ribaldinum, Civem Ferrarienſem, quod ſenſum mutet vel ſententiam, niſi forte in compoſitionibus literarum, Syllabarum, dictionum, vel in punctis.*

Ego Albertinus de Brinis, Curiae Epiſcopalis Ferrarienſis publicus Notarius, quia praedictum Exemplum manu praedicti Matthaei Notarii auſcultavi diligenter cum ſcripturis ſcriptis manu Ribaldini Notarii, non inveniens in eo aliquid additum vel diminutum, quod ſenſum mutet vel ſententiam, ideo me cum ſigno meo appoſito ſubſcripſi de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi Ferrarienſis Epiſcopi, currente MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. intrante Octobri.

Ego Mercatellus de Briuis, Curiae Epiſcopalis Ferrarienſis Notarius, hoc exemplum ſcriptum manu Matthaei Notarii, ſumtum cum authentico, ſcripto manu Ribaldini Notarii ſupraſcripti, diligenter cum eiſdem authenticis auſcultavi. Et quia nihil in eo inveni additum vel minutum, quàm in authentico contineatur eodem, ideo de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi Epiſcopi Ferrarienſis, manu propria me ſubſcripſi in MCCLXXXVI. Indict. XIV. die IV. menſis Octobris.

Verum haec omnia aut figmenta fuere Haereticorum, ut gregali ſuo, ſuiſque perverſis dogmatibus honorem ac fidem apud imperitum vulgus conciliarent; aut fiduciae ſeu credulitati bonorum hominum, ſimulatâ Haereticorum pietate hac hypocriſi deceptorum, tribuenda ſunt; aut etiam piorum hominum Fidei in Deum abſcribenda ſunt. Neque enim ad Sanctos, ſed ad Omnium Patrem Deum pertinet beneficia praeter naturam impertiri. Neque heic opus eſt, referre, quae de Miraculis Magorum & Seductorum Theologi tradunt, neque ea addere, quae habet Guibertus Abbas Lib. I. de Pign. Sanctor. in fine ad quaeſtionem: *Utrum*

trum Deus ſimplices quoſque exaudiat, quum per eos invocantur, quos eſſe Sanctos non conſtat. Id, inquam, opus non eſt, quum infra ex nonnullorum teſtimonio ſatis evinci poſſit, illuſiſſe revera ſycopantas & nebulones illos Catholicis in Pungilupi ſanctitate obſtruenda. Illuſit & ipſe Pungilupus; nam uti ex infra legendis liquebit, deprehenſus ipſe Anno Chriſti MCCLIV. a ſacris Fidei Quaeſitoribus Ferrariae, impiarum ſententiarum propugnator, in vincula conjectus eſt, & priſtinis erroribus ejuratis, ſe in unitate Fidei Catholicae perſtiturum ſemper eſt pollicitus. Sed ſacramenti praeſtiti, ut primùm potuit, contemtor, pejora delirare perrexit, & incredibili Hypocriſi peſtilentem doctrinam celare tanto ſucceſſu, ut non paucis fucum facere ac illudere potuerit. Neque in alium finem is identidem Catholicis Sacerdotibus ſua peccata confitebatur, niſi ut eos deciperet, & ſe Catholicum iis perſuaderet. Interea is vivebat vitam *Pauperum de Lugduno*, ideſt Haereticorum, atque in ea mortuus eſt. Vigilabant tamen ſacri Cenſores Fidei Ferrariae degentes, atque Anno MCCLXX. Proceſſum inchoarunt adversùs eumdem Armannum, quem videlicet aut ſuſpicabantur, aut ſatis noverant militaſſe in caſtris Haereticorum. Producta eſt inquiſitio in annos complures, donec plane compertâ Pungilupi impietate, Bonifacius VIII. Romanus Pontifex Archipresbyterum aliosque Canonicos Capituli Ferrarienſis Anno MCCC. Romam accerſivit, ut ſi quid pro falſo creditâ Armanni Sanctitate afferendum haberent, in Romana Curia producerent. Id conſtabit e Charta, quam ſubjiciendam heic duxi.

Proteſtatio Procuratoris Capituli Canonicorum Ferrarienſium in Curia Romana pro cauſſa Armanni Pungilupi, Anno 1300.

IN nomine Domini, Amen. Anno Nativitatis ejuſdem Milleſimo Tercenteſimo, Indictione XIII. Menſis Aprilis die Sexto, Pontificatus Domini Bonifacii Papae VIII. *Anno IV. Conſtitutus* Dominus Bonfamilius Canonicus Ferrarienſis, *Procurator & procuratorio nomine venerabilium virorum Archipresbyteri & Capituli Ferrarienſis, ante oſtium Palatii Domini Papae, per quod intrabatur ad ipſum Dominum Papam, petiit a Simone de Aquaſperga, ejuſdem Domini Papae Oſtiario, qui tunc dictum cuſtodiebat oſtium, quod permitteret ipſum intrare ad Dominum Papam: quia volebat ſe coram eo praeſentare nomine procuratorio Archipresbyteri & Capituli ſupradicti juxta citationem eis ſactam per Dominum Epiſcopum Ferrarienſem ex parte ipſius Domini Papae, & parere in omnibus ipſius Domini Papae mandatis, & facere & parere ſuper contentis in citatione praedicta, quod juſtitia ſuaderet. Qui Oſtiarius reſpondit & dixit, quod non erat tempus intrandi ad Dominum Papam & ipſum Procuratorem intrare non permiſit. Et tunc incontinenti dictus Procurator procuratorio nomine, quo ſupra, dixit & proteſtatus extitit coram dicto Oſtiario, & ante dictum oſtium, praeſente me Notario & teſtibus infraſcriptis, quod per eum non ſtabat, quin intraret ad ipſum Dominum Papam, & ſe coram eo praeſentaret, ac pareret in omnibus ſuis beneplacitis & man-*

mandatis, & pareret & faceret, quod in ipſa citatione demandatur. Et quod tempus ſibi & dictis Dominis ſuis non curreret, nec in aliquo praejudicium generari deberet ad faciendum praedicta. Et quàm cito poterit ad ipſum Dominum Papam iverare intendit, & omnia facere, quae circa contenta in ipſa citatione erunt neceſſaria, ſeu etiam opportuna.

Actum Laterani, praeſentibus Fratre Aegidiolo Converſo Monaſterii Sancti Antonii Ferrarienſis, Magiſtro Cambio de Sexto, Procuratore in Curia Romana, & Bartholomaeo de Madio de Alatra teſtibus ad hoc vocatis & rogatis.

Et ego Alexander Mercurii de Alatra, publicus Apoſtolicâ & Imperiali auctoritate Notarius, praedictis interfui, & rogatus hoc Inſtrumentum ſcripſi, & ſigno meo ſignavi.

Tum rite negotio pertractato, in Haereticum perſonatum, ejuſque profanos cineres, ſententia damnationis promulgata eſt, Tumulus dejectus, & ſuperſtitioni factus finis. Acta Proceſſus apud Priſcianum ſupra laudatum extant, eaque nunc publici juris facta, non injucunde, ut ſpero, excipiet Lector. Prae ceteris animadverte, nullam in iiſdem Actibus occurrere libidinis foediſſimae, ac turpium conventuum culpam, Armanno ejuſque Sectae objectam: quam tamen culpam in id genus Haereticos ſaepe impactam videas.

Examen teſtium contra Armannum Pungilupum Haereticum Ferrarienſem, ab Anno 1270. uſque ad Annum 1288.

CAP. I.

Quod Punzilupus fuit Credens Haereticorum.

Magiſter Ferrarinus de Lignamine in MCCLXX. die VIII. intrante Auguſto, juratus dixit, quod Punzilupus erat Credens Haereticorum, *& diligebat eos. Et vidit eum uci & ſtare cum Martino de Campitello, qui fuit haereticus.*

Frater Thebaldinus de Poenitentia in MCCLXX. die IV. intrante Novembri, juratus dicit, quod pluries audivit dici, & a multis perſonis, quod Punzilupus erat Credens Haereticorum, & quod dicebat verba, quae erant contra Fidem Catholicam.

Dominus Henricus, qui erat Officialis Inquiſitoris in MCCLXX. die III. exeunte Novembri juratus dicit, quod audivit dici, & fama erat, quod Punzilupus erat credens Haereticorum.

Frater Bonfadinus de Ordine Praedicatorum in MCCLXX. die III. exeunte Novembri juratus dicit, quod antequam intraret Ordinem, cognovit Punzilupum, & reputabatur Credens Haereticorum.

Frater Ricobaldus de Ordine Minorum in MCCLXX. die primo intrante Decembri, dixit verbo veritatis, quod quum eſſet in Saeculo, erat vicinus Punzilupi, & ſtabat juxta domum ſuam. Et quod dictus Punzilupus habebatur Credens Haereticorum.

Dominus Menabos Parvus, qui fuit Credens Haereticorum, & recipiebat Haereticos, in MCCLXX. die IX. intrante Decembri, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens Haereticorum. Et audivit dici inter eos, quod ipſe Punzilupus erat nutritus cum Haereticis per viginti annos.

Dominus Mutinenſis in MCCLXX. die I. Decembris, juratus dicit, quod Dominus Manjapanis de Scajolis, & Gerardinus de Alfero, & Tancredus de Sancto Vitali, & Punzilupus habebat familiaritatem & domeſticitatem cum eis, *& ſtabat multum in domo Dominae Marcheſinae, in qua ſtabant Haeretici. Et iſti conſueverunt eſſe Credentes Haereticorum. Sed ſi modò ſunt, neſcit.*

Domina Veneria, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXIV. die penultimo Menſis Novembris, jurata dicit quod Punzilupus fuit Credens, receptator, & familiaris Haereticorum. Ubi aſſignat cauſas, quare hoc dicit. Cauſae autem ſunt, quia ipſe duobus annis vel circa ante mortem *ipſius Punzilupi, ipſe Punzilupus* ſcienter duxit Haereticos ad domum ipſius teſtis. *Et quia* vidit ipſum facere reverentiam uni Haereticae. *Et quod* vidit eum dare conſolamentum uni mulieri. *Et quia ipſe Punzilupus* frequenter dixit dictae teſti verba haeretica.

Manfredinus Notarius, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXV. die penultimo Januarii, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens, familiaris, & receptator Haereticorum. Ubi aſſignat cauſas, quare hoc dicit, quae ſunt. Quod a ſeptemdecim annis circa audivit ipſum Punzilupum frequenter dicere verba Haeretica. *Et quia* vidit eum pluries familiariter & private loqui cum uno Haeretico. *Item dixit, quod fama erat inter Credentes Haereticorum, quod Punzilupus erat credens & amicus eorum.*

Domina Bengepare, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXIV. die X. intrante Novembri, jurata dicit, quod Punzilupus de Ferraria fuit Credens Haereticorum Sectae de Baniolo. *Et dicit, quod audivit Catharos facere multas truffas, & dicere verba deriſoria de illis de Eccleſia Romana, dicens:* quomodo dicent poſtea illi de Eccleſia Romana, quod nos ſimus mali homines, quum ipſi fecerunt unum de noſtris Sanctum? *Et quod publica fama erat inter eos, quod Punzilupus praedictus erat de ſuis, & Credens eorum.*

Dominus Gabriel filius Dominae Triviſanae, qui ambo fuerunt Credentes Haereticorum, in MCCLXXXV. die VII. Februarii, juratus dicit, quod audivit pluries a matre ſua, quae ſtabat cum Haereticis, quod Punzilupus erat bonus homo, intelligens de bonitate Haereticorum; & quod erat Credens & amicus Haereticorum.

Duragia in MCCLXX. die V. exeunte Julio, jurata dicit, quod audivit a multis perſonis, Punzilupum fuiſſe Credentem Haereticorum.

Gavinus de Satta, qui ſtetit cum Domino Menabove de Ferraria, qui tenebat Haereticos in domo, juratus dicit, quod audivit Haereticos dicentes: quicquid dicatur per Fratres, vel per alios de Eccleſia Romana, Punzilupus fuit bene de noſtra gente, & fuit bene credens noſter. *Et de hoc erat publica fama inter eos.*

Dominus Jacobinus Judex, in MCCLXX. die V. intrante Julio juratus dicit, quod credit, Punzilupum fuiſſe Credentem Haereticorum. Interrogatus quare? reſpondit: quia non ibat ad Eccleſiam niſi raro, & quia non habebat conſilium ab aliquo Sapiente Eccleſiaſtico: & quia multa mala dicebat de Clericis.

Rengarda de Verona in MCCLXXXV. die VI. exeunte Aprili, jurata dixit, quod modò ſunt octodecim anni, vel viginti anni, vel id circa, ut credit de tempore, quod ipſa vidit Armannum

de

de Ferraria (qui ſepultus eſt in Eccleſia Ferrariae , & reputatus Sanctus in ipſa Civitate) in Civitate Veronae . Et ipſe Armannus tamquam credens & amicus Haereticorum venit ad domum dictae teſtis ad viſitandam matrem dictae teſtis , pro eo quod ipſa erat Credens Haereticorum , & receptabat eos. Et ibi moratus eſt.

Manfredinus , qui fuit Credens Haereticorum , in MCCLXXXV. die penultimo Jannarii juratus dicit , quod infra tempus viginti ſeptem annorum multoties vidit patrem ipſius teſtis in Statione ſua , tenentem Librum Evangeliorum in manibus , & legentem , & exponentem Scripturas per modum praedicationis dicto Punzilupo , & praeſentibus etiam aliquando Gerardino de Alfero , & aliquando praeſente Clemente de Vicoëntia , & Manjapane de Scajolis . Et quod pater dicti teſtis exponebat aliquando aliquam auctoritatem in commendatione Haereticorum , appellando eos oves & hujuſmodi . Et ſimiliter quando exponebat auctoritates in detractionem Miniſtrorum Eccleſiae , appellando eos lupos rapaces perſequentes Chriſtianos , ideſt Haereticos , dictus Armannus reſpondebat : Bene poteſt eſſe: & credo quod ita ſit , ſicut vos dicitis .

Bonmercatus , qui fuit Credens Haereticorum , in MCCLXXXVIII. die VII. Aprilis juratus dicit , quod Punzilupus fuit Credens , familiarit , & amicus Haereticorum , quod ſcit ex eo , quod frater dicti teſtis , qui fuit Credens Haereticorum , frequenter dixit ipſi teſti , quod Punzilupus erat Credens , familiaris , & amicus Haereticorum , & diligebat eos . Item ex eo quod Punzilupus frequenter commendavit dicto teſti Haereticos , dicendo : quod boni homines ſunt ſolùm Haeretici , & qui tenent viam eorum , & quod ipſi ſoli ſunt in via ſalutis , & nulli alii ; *Et praedicta fuerunt a duobus annis vel dimidio , vel circa ante mortem Punzilupi . Item ex eo quod Punzilupus quatnor annis ante ipſius mortem , fecit reverentiam uni Haeretico , praeſente ipſo teſte & vidente .*

Caſtellanus Calegarins , qui fuit Credens Haereticornm , in MCCLXXXVIII. die VI. intrante Madio , juratus dicit , quod Punzilupus fuit Credens , amicus , & familiaris Haereticorum , & habet ipſum ipſe teſtis pro Haeretico ; quod ſcit ex eo , quod modò ſunt viginti duo anni , vel circa , quod ipſe teſtis vidit Punzilupum familiariter loquentem cum Johanne Bergamaſcho haeretico , & cum qnondam Domina Bonſavere ſub porticu domus dictae Dominae . Et qnum intraſſent oſtium dictae Domus , dicta Domina , & Haereticus , & Pnnzilupus , vidente & praeſente teſte , adoravernnt & reverentiam fecerunt dicto Haeretico dicta Domina & Punzilupus . Item ex eo quod tempore mortis Punzilupi , anteqnam ſepeliretur , quum perſonae currerent ad videndum eum , ipſe teſtis cum Oldeberto de Cauriano , & cum Bonbomo ſimiliter iverunt ad videndum eum : & quum ipſe teſtis obloqueretur de Punzilupo , dicendo , quod erat pejus quàm una beſtia , Dominus Oldebertus dixit ipſi teſti : Cave , quid dicas , quia ipſe fuit Conſolatus cum Comatre tua , *intelligendo de uxore ipſius Oldeberti .*

Domina Jacoba , quae fuit Credens Haereticorum , in MCCLXXXVIII. die XXVIII. Maji , jnrata dicit , quod quidam Zunta Merzarius haereticus poſt mortem Punzilupi dixit dictae teſti , quod dictus Punzilupns , dum viveret , ſerviebat ſibi , ſcient ipſum eſſe Haereticum , de rebus ſuis & bonis manutenebat enm , & senebat eum in privato , & non manifeſtabat eum ; quum tamen

tamen ipſe Punzilupus ſciret, ubi dictus Zunta ſtabat in domo, & quum dicta teſtis diceret dicto Zuntae: Erat Punzilupus de veſtra gente? *ipſe dixit:* Erat bene de noſtra gente, & Credens noſter.

Quod Punzilupus fuit Credens Haereticorum, probatur per hoc, quod adoravit, & reverentiam fecit Haereticis ſecundùm eorum ritum. *Item per hoc quod* Conſolamentum dedit & accepit ab Haereticis. *Iſti enim actus proprie pertinent ad ritum Haereticorum. Et qui talia perpetrant,* Credentes *eſſe utique convincuntur. Item per hoc quod* male *ſenſit de* Corpore Chriſti. *Et quod dixit,* quod in fide Romanae Eccleſiae non eſt ſalus. *Quae omnia infra ponuntur ſub propriis Rubricis.*

CAP. II.

Quod Punzilupus fuit de eccleſia Sectae Haereticorum de Bagnolo.

Albertinus, qui fuit Haereticus, in MCCLXXIII. die III. intrante Auguſto, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Catharus Conſolatus. *Et dicit quod fecit eidem Albertino reverentiam in domo ſua ejuſdem Punzilupi, & alibi etiam pluries. Et dicit, quod idem Punzilupus venit vel ivit Veronam, jam ſunt ſex anni vel circa, occaſione cujuſdam carcerati, qui fugerat ſibi, ut dicebat. Et tunc ipſe Punzilupus* recepit manuum impoſitionem in Verona in domo Catharorum, *quam tenet Dominus Bergongius pro Haereticis,* a Domino Alberto Epiſcopo Sectae de Bagnolo, *& a Domino Michaële, qui eſt filius Major in ipſa Secta, & ab ipſo eodem Albertino, qui & ipſe erat Filius Major & Viſitator eorum in dicta Secta in Lombardia.*

A *Domina Bengepare, in MCCLXXIII. die V. intrante Novembri, jurata & confeſſa eſt, ſe aliquando habuiſſe fidem Haereticorum Sectae de Bagnolo, cujus erat Epiſcopus &c. Dicit quod Punzilupus* fuit Credens Haereticorum Sectae de Bagnolo. *Et dicit, quod audivit, Catharos facere multas truffas &c.*

B *Conſtantia de Pergamo, in MCCLXXIV. die XXII. intrante Martio, jurata dicit, quod fuit in Sermione a quatuòr menſibus citra. Et ibi loquuta fuit cum* Domino Laurentio Epiſcopo Haereticorum, *cum Guillelmo de Borgogna, cum Martino Darinda de Verona, & cum Franciſco de Pedemonte, omnibus de Secta de Bagnolo, & cum*

C *aliis multis Haereticis ultra triginta. Et dicit dum ipſa quaereret a Domino Franciſco, qui dicitur Magnus, & Dominus inter eos, an verè Punzilupus de Ferraria fuiſſet de ſuis, & de Secta eorum, tunc dicit, quod reſpondit ſibi idem Dominus Franciſcus:* Si tu recipis manus impoſitionem a nobis, ego dicam tibi totam veritatem de

D illo facto. *Et dicit, quod tunc, poſtquam recepit manus impoſitionem ab eis, tunc dixit Dominus Franciſcus, praeſente Domino Guillelmo, quod octo anni erunt in Madio, quod in Domo de Spata de Verona, in qua ſtabat Dominus Burgundius praedictus, Punzilupus* fuit Conſolatus per praedictum Dominum Guillelmum & Martinum Darindam Haereticos &c.

E *Magiſter Albertus Gratiani, qui longo tempore fuit Credens Haereticorum in MCCLXXXVIII. die XVI. Julii, juratus dicit, quod modò ſunt circa triginta anni, quum ipſe teſtis eſſet Mantuae, quod* Johannes de Caſalolto, Epiſcopus Haereticorum Sectae de Bagnolo, *petivit ab ipſo teſte, quomodo faceret, & quomodo ſe haberet*

rec Armannus, qui dicitur Punzilupuc. Et hoc petivit dictus Episcopus pro eo, quod ipse Armannus erat Amicus & Familiaris ejus. Item dicit, quod jam sunt vigintiocto anni, quod Punzilupus dixit dicto testi pro eo, quod ipse sciebat, quod ipse testic erat Credenc Haereticorum, si cognoscebat Martinum de Campitello Haereticum Sectae ecclesiae de Bagnolo. Qui respondit, quod sic. Et tunc dictuc Punzilupuc dixit dicto testi cum magno affectu: Si Deus te salvet, salutabis eum ex parte mea, quando videbis eum.

Argumentum, quod Punzilupuc fuit de Secta praedicta, est, quod Uxor *ipsius* Punzilupi fuit Consolata per Michaëlem, qui erat Filius Major in ipsa Secta, *ut dicit Michaël haereticus, qui est testis tertius decimus. Verisimile enim est, quod ambo fuerint de eadem Secta. Item per hoc, quod pluries receptavit & reverentiam fecit eidem Albertino, qui similiter erat Filius Major & Visitator in dicta Secta. Item quod ipsemet Punzilupuc confessus fuit coram Inquisitoribus, quod* ipse fecit reverentiam secundùm morem Haereticorum Martino de Campitello Haeretico.

CAP. III.

Quod Punzilupus pluries adoravit, & fecit reverentiam Haereticis secundùm eorum ritum.

Domina Veneria, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXIV. die penultimo Mensis Novembric, jurata dicit, quod duobuc annic vel circa ante mortem Punzilupi, ipse Punzilupus duxit ad domum ipsius testis scienter Elicam Haereticam. Cui Haereticae ipse Punzilupuc, videute & praesente ipsa teste, fecit

A *reverentiam in domo habitationis ipsius testis, secundùm eorum ritum.*

Albertinus Michaël, qui fuit Haereticuc, in MCCLXXIII. die III. intrante Augusto juratus dicit, quod Punzilupus fuit Catharus Consolatus. *Et dicit, quod fecit eidem Albertino reverentiam in domo sua ejusdem Punzilupi, & alibi etiam pluries. Et dicit, quod idem Punzilupus venit Veronam, jam sunt sex anni &c.*

B *Bonaventura de Sancto Georgio de Verona, in MCCLXXXV. die XII. intrante Octobri, juratus dicit, quod posset esse circa vigintiquatuor annos, quod ipse ivit de Ferraria Vicentiam cum Fraere Armanno, qui dicebatur Punzilupuc. Et ibidem intraverunt domum cujusdam, qui dicebatur Franciscuc, & erat Haereticuc. Quae domus erat in Contrata Sancti Petri. Et tunc dictuc Punzilupus fecit magnam reverentiam dicto Francisco, & genuflexit ante eum dicendo haec verba:* Benedicite, bene, bone Christiane. Et tunc dictus Franciscus levabat ipsum blandiendo multum. Et instruebat etiam me Bonaventuram dictus Punzilupus facere tales reverentias, & dicere talia verba. Quod & feci, nesciens quid facerem. Personae, quae praesentes erant, quando ista faciebat, sunt hae: Uxor dicti Franciscì, quae mortua est, Filius ejusdem Franciscì, qui postmodum captus fuit pro Haeretico, & mortuus est: Domina Spetia de eadem Contrata: Bonaventura uxor quondam Aldregheti de eadem Contrata: Michaël quondam Pulzati de Contrata Pusterlae: Albertinus & Leonarda ejus uxor de Contrata Sancti Petri: & quaedam, quae vocabatur Vincentia, quae nunc mortua est. *Item dicit, quod frequenter intravit dictam domum cum Punzilupo, & coram*

rant praedictis perſonis, quae concurrebant illuc, dictus Punzilupus faciebat magnam reverentiam dicto Franciſco ſupradicto modo. Item dicit, quod in eadem Civitate fuit in pluribus aliis domibus ad tales perſonas, ideſt Haereticos. Et ſemper, quando dictus Punzilupus intrabat, dicebat ſupradicta verba, Benedicite, bene, bene, boni Chriſtiani. *Et genuflectebat ante eos, ut ſupra dictum eſt.*

Bonmercatus, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXVIII. die IX. Aprilis, juratus dicit, quod ipſe cum tribus aliis Credentibus iverunt ad viſitandum duos Haereticos, quorum unus erat infirmus. Et ſtando cum eis contigit, Punzilupum tranſire, quaerendo panem pro carceratis. *Et tunc dominus domus, ubi erant Haeretici, vocavit Punzilupum pro eo, quia ſciebat eum eſſe Credentem Haereticorum. Et quum Punzilupus intraſſet domum, ubi erant Haeretici, videntibus omnibus, fecit magnas caritias, & oſtendit magnam amicitiam & familiaritatem dictis Haereticis, & omnibus aliis, qui erant ibi cum Haereticis. Et ibidem in praeſentia omnium praedictorum dictus Punzilupus fecit reverentiam illi Haeretico, qui non erat infirmus, & adoravit eum, ſecundum quod Credentes Haereticorum conſueverunt adorare & facere reverentiam Haereticis ſecundùm eorum ritum.*

Caſtellanus, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXVIII. die XX. Maji, juratus dicit, quod modò ſunt circa vigintidùo anni, quod ipſe teſtis vidit Punzilupum familiariter loquentem tum Johanne Haeretico, & tum quondam Domina Bonſavere Haeretica, ſub porticu domus dictae Dominae. Et quum intraſſet domum dicta Domina, & Punzilupus, & ipſe Haereticus, ipſo teſte remanente ſub porticu ante oſtium, ſtatim intra oſtium dictae Domus Punzilupus, & quidam filius dictae Dominae, depoſitis capellinis ſive biretis, quas habebant in tapite, & dicta Domina cum eis, inclinaverunt ſe ad dictum Haereticum, & adoraverunt eum, & ſibi reverentiam fecerunt ſecundùm ritum Haereticorum, unus vidente alio, & ipſo teſte praeſente & vidente.

Armannus, qui alio nomine dicitur Punzilupus, in MCCLIV. dixit ſuo juramento coram Inquiſitoribus, quod aliquando adoravit & fecit reverentiam Martino de Campitello Haeretico Conſolato, *ſecundùm quod conſueverunt facere Credentes Haereticorum ipſis Haereticis. Item dixit, quod eamdem reverentiam fecit cuidam alii Haeretico, de cujus nomine non recordatur. Et hoc fuit in domo, quae quondam fuit Claribaldini.*

CAP. IV.

Quod Punzilupus dixit, quod in Fide Romanae Eccleſiae non erat ſalus, ſed in ſolis Haereticis.

Domina Veneria, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXIV. die penultimo menſis Novembris, jurata dixit, quod duobus annis vel circa ante mortem Punzilupi, & infra..... Item dicit, quod poſt praedicta circa idem tempus, quando dictus Armannus ibat quaerendo eleemoſynas pro carceratis, frequenter intravit domum habitationis ipſius teſtis, & hortabatur ipſam teſtem, quod eſſet firma in Fide Haereticorum, dicendo quod in ipſis ſolis erat ſalus, & quod erant boni homines. *Et quum dicta teſtis diceret aliquando dicto Armanno.....*

Man-

Manfredinus Notarius, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXV. die penultima Januarii dicit, quod modò ſunt vigintiſeptem anni vel circa, quod Pater dicti teſtis, qui & ipſe erat Credens Haereticorum, pluribus annis vendidit ferrum in quadam Statione Epiſcopi Ferrarienſis. Et quod quaſi omni die infra praedictos annos Punzilupus veniebat &c. Item dixit, quod pluſquam centies audivit eum tum dicto patre ſuo loquentem male de Miniſtris Eccleſiae, dicendo quod erant mali homines, & non faciebant opera Dei, nec erat in eis, nec in Fide Romanae Eccleſiae, ſalus: ſed erant deceptores animarum: & quod erant lupi rapaces, qui perſequebantur bonos homines & Eccleſiam Dei, intelligendo de Eccleſia Haereticorum.

Albertinus, qui fuit Haereticus, in MCCLXXIII. die III. intrante Auguſto juratus dixit, quod Punzilupus venit Veronam, jam ſunt ſex anni vel circa. Et tunc dictus Punzilupus retepit manus impoſitionem in domo Catharorum &c. Et dicit, quod tunc quaeſierunt a dicto Punzilupo ſi acceperat poenitentiam a lupis rapacibus, qui perſequuntur bonam gentem; hoc eſt ab aliquo Fratrum Praedicatorum vel Minorum, vel ab aliquo alio Sacerdote Romanae Eccleſiae. Et dicit, quod reſpondit, quod non acceperat, nec actiperet ab aliquo de lupis rapacibus. Et dicit, quod tunc abſolverunt eum a ſacramento, quod fecerat Fratri Aldrevandino Inquiſitori de ſtando mandatis Romanae Eccleſiae.

Bonmercatus, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXIII. die VII. Aprilis, juratus dixit, quod circa annum & dimidium ante mortem Punzilupi, ipſe teſtis loquendo cum Punzilupo juxta domum Epiſcopalem de Ferraria, petivit a dicto Punzilupo, quomodo ſtaret tum Fratre Stephanino Ordinis Praeditatorum. Qui reſpondit, quod male, & quod erat malus home, & boni homines ſunt ſolùm Haeretici, & qui tenent viam illorum: & ipſi ſoli ſunt in via ſalutis, & nulli alii, *Et hoc ipſum & conſimilia verba audivit ipſe teſtis frequenter poſtea a dicto Punzilupo. Item dicit, quod Punzilupus frequenter hortatus fuit ipſum teſtem, quod ſtaret firmus in Fide Haereticorum, quia, ut dictum eſt, in ipſis ſolis erat ſalus.*

Ad probationem iſtius Rubricae, ſciunt teſtes aliarum Rubritarum.

CAP. V.

Quod Punzilupus male ſenſit & male loquutus eſt de Corpore Chriſti.

Dominus Henricus, qui erat Officialis Inquiſitoris, in MCCLXX. die III. exeunte Novembri, juratus dicit, quod audivit dici, & fama erat, quod Punzilupus erat Credens Haereticorum. Et quod audierat, male ſentiebat de Corpore Chriſti. *Idcirco quum ipſe teſtis eſſet* (*) *Cazzagazaro, & ſemel inveniſſet eum in Platea Civitatis Ferrariae, dixit ei:* Audivi de te Punzilupe, quod male ſentias de Corpore Chriſti. Ego habeo officium capiendi Haereticos. Ego capiam te. *Et tunc dicit, quod idem Punzilupus reſpondit ſibi:* Quid creditis vos? *Et quum idem teſtis reſponderet:* Ego credo, quod ſit verè Corpus Chriſti, poſtquam ſacrificatum eſt

(*) *Cazzagazaro* vocabulum Ferrarienſis Dialecti, qua *Gazaro* pro *Cdtaro* dicebatur. Italice pronuntiares *Caccia-Cdtaro*: quo quidem titulo utebantur ii, qui Catharos ſeu eorum ſectarios inſectabantur ex officio. Vide infra Cap. VI.

per Sacerdotem, ſicut credo, quod debeo mori; *tunc idem Punzilupus reſpondit:* Et ego amore veſtri ita volo credere ab hinc in antea.

Frater Bouſadiuus Ordinis Praedicatorum, in MCCLXX. die III. exeunte Novembri, juratus dicit, quod poſtquam fuit in Ordine, audivit pluries Punzilupum dicentem: Quod ſi Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti eſſet ita magnum, ſicut mons, modò eſſet comeſtum. *Et dicit, quod nolebat adorari versùs Orientem, ſed adorabat versùs Occidentem. Et dicebat ipſe Punzilupus publice, quod nolebat adorare versùs partem illam, ubi adorabant Prevedones Clericones.*

Manfrediuus Notarius, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXV. die penultimo Januarii, juratus dicit, quod a viginti ſeptem annis citra &c. Item dicit, quod Punzilupus non credebat, quod ille panis & vinum, quod Sacerdos ſacrificat in Altari, ſit Caro & Sanguis Chriſti. *Et audivit ipſum Punzilupum dicentem cum patre ipſius teſtis, qui erat Credens Haereticorum:* Iſti Clerici de Eccleſia volunt facere me credere, quod ille panis, & vinum, quae Sacerdos Sacrificat in Altari, ſit Caro & Sanguis Chriſti. *Et dicebat:* Non eſt diu, quod ego vidi Sacerdotem Sancti Juliani, qui poſuit tantum de vino in Calice, quod ipſe Sacerdos fuit inde inebriatus.

Domina Duragia in MCCLXX. die IV. exeunte Julio jurata dicit, quod audivit ab aliquibus viciuis, Punzilupum circa tempus, quo ipſe Punzilupus mortuus eſt, quod idem Punzilupus conſuevit in die Paſchae accipere unum magnum panem, & unum buttatium vini, & dabat pluribus comedere & bibere, & quum conſumtum eſſet, dicebat; Quid dicunt iſti Prevedones, lupi rapaces, Corpus Chriſti non poſſe conſumi? Ecce nos conſumſimus unum tam magnum panem, & buttatium vini.

Magiſter Aprilis de Ferraria in MCCLXX. die IV. exeunte Julio juratus dicit, quod audivit, quod Punzilupus conſuevit, unum magnum panem, & unum buttatium vini accipere: & comedebat cum aliquibus, & poſtea dicebat: Quid dicunt iſti Prevedones & Fratones, quod Corpus Chriſti non poteſt conſumi? Ecce nos comedimus tam magnum panem, & buttatium vini.

Armannus, qui alio nomine dicitur Punzilupus, in MCCLIV. dixit ſuo juramento coram Inquiſitoribus &c. Item confeſſus fuit, quod aliquando dixit: Quomodo ſunt ſtulti iſti Sacerdotes, qui credunt claudere Deum in Pixide! *loquendo de Corpore Chriſti, quod Sacerdotes ſacrificant in Altari. Tamen dixit, quod hoc dicebat pro ludo.*

CAP. VI.

Quod Punzilupus dedit, & accepit Conſolamentum ab Haereticis ſecundùm eorum ritum.

Albertinus, qui fuit Haereticus Sectae de Bagnolo, in MCCLXXIII. die III. intrante Auguſto, juratus dicit, quo audivit Punzilupum, qui modò ſepultus eſt in Eccleſia Ferrariae, dicentem, dum viveret, quod Pater ſuus & Mater ſua Cathari fuerunt. *Et dicit, quod ipſe Punzilupus* fuit Catharus Conſolatus. *Et dicit, quod fecit eidem Albertino reverentiam in domo ſua ejuſdem Punzilupi, & alibi etiam pluries. Et dicit, quod idem Punzilupus venit, vel ivit Veronam, jam ſunt ſex anni, vel circa, occaſione cujuſdam carcerati, qui fugerat ſibi,*

ut dicebat. Et tunc ipſo Punzilupus recepit manus impoſitionem in Verona in domo Gatharorum, *quam tenet Dominus Berguudius pro Haereticis*, a Domino Alberto Epiſcopo Sectae de Bagnolo, *& a Domino Michaële, qui eſt filius Major, in ipſa Secta, & ab ipſo eodem Albertino, qui & ipſe erat Filius Major, & Viſitator eorum in dicta Secta in Lombardia. Et dicit, quod tunc quaeſierunt ab eodem Punzilupo, ſi acceperat poenitentiam a lupis rapacibus, qui perſequuntur bouam gentem: hoc eſt ab aliquo Fratrum Praedicatorum, vel Minorum, vel ab aliquo alio Sacerdote Romanae Eccleſiae. Et dicit, quod reſpondit, quod non acceperat, nec acciperet ab aliquo de lupis rapacibus. Et dicit quod tunc abſolverunt eum a ſacramento, quod fecerat Fratri Aldevraudino Inquiſitori, de ſtando mandatis Romanae Eccleſiae.*

Conſtantia de Pergamo, quae fuit Conſolata in Sermione, in MCCLXXXIV. die XII. intrante Martio, jurata dicit, quod fuit in Sermione a quatuor menſibus citra. Et ibi loquuta fuit cum Domino Laurentio Epiſcopo Haereticorum, cum Guillelmo de Bergogna, cum Martino Dariudo de Verona, & cum Franciſco de Pedemonte, omnibus de Secta de Bagnolo, & cum multis aliis Haereticis ultra viginti. Et dicit, quod recepit ibi manus impoſitionem a Domino Guillelmo ejuſdem Sectae coram multis Haereticis: Et hoc fecit, ut melius poſſet explorare facta Haereticorum, qui erant in Sermione, quia propter hoc miſerat eam Frater Timedeus Inquiſitor Haereticorum. Et dicit, quod dum illa quaereret a Domino Franciſco, qui dicitur Magnus, & Dominus inter eos, utrum Punzilupus de Ferraria fuiſſet de ſuis, & de Secta eorum, dicit, quod reſpondit ſibi idem Dominus Franciſcus: Si tu recipis manuum impoſitionem a nobis, ego dicam tibi totam veritatem de illo facto. Et dicit tunc, poſtquam recepit manus impoſitionem ab eis, quod ante dixit ei Dominus Franciſcus praeſente Domino Guillelmo: quod octo anni erunt in Madio, quod in Domo de Spata de Verona, in qua ſtabat Dominus Berguudius, praedictus Punzilupus fuit Conſolatus per praedictum Dominum Guillelmum, & Martinum Darindam Haereticos. *Et tunc fuerunt Conſolati ſecum Dominus Mezzagonella de Verona, & Azolina ſocrus ejuſdem.*

Domina Philoſophia de Verona, in MCCLXXXIV. die IV. Octobris, jurata dicit, quod modò ſunt XV. anni vel circa, quod quaedam Mulier, quae vocabatur Spera, olim Domicella Marchioniſſae Eſtenſis, dum detineretur captiva per Inquiſitorem Ordinis Minorum apud Veronam, conquerendo dixit, audiente ipſo teſte: Heu quàm parum ſteti in iſta poenitentia! Nam fueram facta bona Chriſtiana ab illo benedicto Armanno, qui tunc temporis ditebatur eſſe Sanctus apud Ferrariam, & dicebatur Sanctus apud Ferrariam, & dicebatur facere miracula, quum eſſet mortuus. *Et tamdem dicta Spera permiſit ſe comburi propter crimen Haereſeos. Item dicit, quod circa idem tempus ipſa teſtis audivit a quadam Credente Haereticorum, quae vocabatur Garſenda de Verona, quod ſupradictus* Armannus duxerat, & fecerat vitam Pauperum de Lugduno, & tamdem fuerat Conſolatus in Secta Haereticorum &c.

Domina Veneria, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXIII. die penultimo menſis Novembris, jurata dicit, quod dictus Armannus non ſolùm fuit Credens, Receptator, & Fautor Haereticorum, *ſed etiam fuit* Haereticus

ticus Conſolatus. *Quod ſcit ex eo, quod circa praedictum tempus circa unum annum ante mortem praedicti Armanni, Lanfrancus Haereticus, & dictus Armannus venerunt ad domum habitationis duarum Haereticarum Conſolatarum, quae morabantur Ferrariae in Contrata Sancti Silveſtri: quarum una vocabatur Gisla, & alia Maria. Quae Haereticae habebant unam Sociam, quae ſimiliter vocabatur Maria, quae erat Credens & ſerviens earum. Et quum dictae Haereticae vellent, quod dicta Maria ſerviens earum reciperet Conſolamentum, ipſae Haereticae miſerunt dictam Mariam ſervientem ſuam pro dicta teſte. Quae teſtis venit ad praedictam domum praedictarum Haereticarum. Et ibi invenit praedicta teſtis praedictos Lanfrancum, & Armannum. Et tunc praeſente ipſa teſte & dictâ Gislâ & dictâ Mariâ Haereticis, dictus* (*) Lanfrancus Haereticus, & Armannus dederunt & fecerunt Conſolamentum, & manus impoſitionem ſuper caput, tenendo Librum in manibus ſecundùm morem Haereticorum, dictae Mariae *ſervienti praedictarum Gislae, & Mariae Haereticarum. Et dicta teſtis videndo, quod ipſe Armannus impoſuit manum ſuam ſuper caput in dicto Conſolamento dictae Mariae, admirans dixit omnibus, qui erant ibi:* Ego credebam, quod iſte Armannus eſſet ſolùm Credens. Sed videtur quod ipſe ſit Haereticus Conſolatus. *Et dicti Lanfrancus, & Armannus dixerunt ipſi teſti, quod dictus Armannus fuerat Conſolatus ab Haereticis, ſecundùm ritum Haereticorum apud Veronam, ubi habuerat copiam bonorum virorum, ideſt Haereticorum. Et hoc ipſum dixerunt dicti Lanfrancus, & Armannus poſtea pluries ipſi teſti. Item dicit ipſa teſtis, quod ipſi Lanfrancus & Armannus rogaverunt dictam teſtem, quod non manifeſtaret dictum Armannum de praedictis. Et hoc non dixit odio vel amore.*

Dominus Nicolaus filius quondam Domini Aſiati de Brixia, qui ſtat Veronae, in MCCLXXXV. die V. exeunte Apriti juratus dicit, quod modò ſunt octo anni vel circa, quod ipſe teſtis erat Officialis Inquiſitoris, & Cazzagazaro pro Eccleſia Veronae. Et quum capti eſſent multi Haeretici in Sermione, propter quod quidam Frater Aldevrandinus Ordinis Praedicatorum, tunc Inquiſitor Haereticorum in Provincia Lombardiae, ſcripſit dicto teſti, rogando eum, quod ipſe deberet diligenter inquirère, ſi dicti Haeretici ſcirent aliquid de quondam Armanno, qui alio nomine dicitur Punzilupus, qui eſt ſepultus in Eccleſia Cathedrali Ferrariae. Et tunc dictus teſtis interrogavit Inquiſitorem, qui tunc faciebat officium Veronae, ſi aliquid inveniſſet a praedictis Haereticis de dicto Punzilupo. Qui Inquiſitor reſpondit ei tamquam Officiali ſuo, quod ipſe invenerat per confeſſionem duorum Haereticorum, quod dictus Punzilupus fuerat Conſolatus per Haereticos ſecundùm eorum ritum in Civitate Veronae in Hoſpitio de Caſtello, vel in Domo de Spata, ut credit de domo, quia propter longitudinem temporis non bene recordatur de nomine Domus. Item dicit, quod dictus Inquiſitor promiſit dicto teſti de iis facere publicum inſtrumentum, cauſâ mittendi Fratri Aldevrandino Inquiſitori praedicto. Sed quia dictus Inquiſitor ſubitò receſſit de Verona, & ivit ad Curiam Romanam, dictum Inſtrumentum non fuit factum.

Si-

(*) Conſolamenti haereticorum ritum hoc vides per impiam manuum impoſitionem, ſimulque colligis Conſolamentum idem conlatum tantummodo ab iis Catharis fuiſſe, qui antèa fuerant Conſolati, ſeu Conſolamentum ipſum ab aliis Sectæ ſuæ acceperant.

Simon Bovandreae, Civis Veronae, Notarius & Officialis Inquiſitoris apud Veronam in MCCLXXXV. die IV. exeunte Aprili, juratus dicit, quod modò ſunt ſeptem anni vel octo, quod ipſe teſtis in Civitate Veronae in Camera Inquiſitoris, & ipſo Inquiſitore praeſente vidit & legit quamdam ſcripturam in Actis Inquiſitionis, in qua videbatur contineri, quod Punzilupus fuit Conſolatus per Haereticos in Civitate Veronae ſecundùm eorum ritum. Determinabatur autem in ipſa ſcriptura domus, in qua fuerat Conſolatus. Sed dictus teſtis non bene recordatur de nomine domus. Fuerunt autem haeretici, qui haec dicebant, circa quatuor: ſed de eorum nominibus non bene recordatur; quorum unus loquebatur de viſu, ut ipſe teſtis credit, alii verò videbantur inducere praeſumptiones pro dicto facto. Item dicit dictus teſtis quod non bene recordatur, quid factum ſit de dicta ſcriptura, ſed bene certus eſt, quod vidit & legit in Actis Inquiſitionis.

Dominus Jacobinus de Ceſſo in MCCLXX. die ultimo Octobris, juratus dicit, quod habuit quemdam hominem, qui laborabat ad Fornacem, qui vocabatur Conradinus. Qui dixit ei, quod erat Patarenus, & de Secta Patarenorum. Et qui dixit ei, quod Fratres Praedicatores voluerunt eum ſemel capere, ſed ipſe natavit ultra Padum &c. Et dixit, quod idem Conradinus dixit ſibi, quod Punzilupus erat de ſuis, & de Secta Patarenorum. Et dicit, quod fuit eo tempore, quo Punzilupus mortuus eſt.

Magiſter Caſtellanus Calegarius, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXVIII. die VI. intrante Majo, juratus dicit, quod quando Punzilupus erat mortuus, quam adhuc corpus ejus eſſet in Eccleſia Epiſcopali nondum traditum ſepulturae, ipſe teſtis una cum quondam Oldeberto & Bonhomo iverunt ad videndum eum. Et quum dictus teſtis diceret de corpore Punzilupi, quod eſſet pejus quàm una beſtia, ipſe Oldebertus reſpondit: Cave, Compater, quid dicas, quia ipſe Conſolatus fuit cum Comatre tua; intelligendo de uxore ipſius Oldeberti.

Argumentum, quod Punzilupus Conſolatus eſt, eſt, quod Pater & Mater & Uxor fuerunt Haeretici Conſolati, ut dicit Albertinus &c.

CAP. VII.

Quod Punzilupus habuit familiaritatem, converſationem, collocutionem & amicitiam cum Haereticis, & viſitavit eos.

Magiſter Ferrarius in MCCLXX. die VIII. intrante Auguſto, juratus dicit, quod Punzilupus erat Credens Haereticorum & diligebat eos. Et vidit eum uti, & ſtare cum Martino de Campitello Haeretico a tribus annis citra in carceribus, & dicebat, quod ipſe Martinus erat bonus homo. Et dicebat, quod ſi haberet bonos homines (loquendo de Patarenis) quod non permitteret eos comburi, nec alios. Item dicit, quod dictus Punzilupus dixit ei, quod iverat cum ipſo Martino, quando ducebatur ad ignem, uſque ad ripam ſtendo.

Dominus Mutinenſis, in MCCLXXII. die primo Decembris, juratus dicit, quod Dominus Maniapanis de Scajola, & Girardinus de Alfero, & Tancredus de Sancto Vitali, & Punzilupus habebant familiaritatem & domeſticitatem (*) &c.

Manfredinus Notarius, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXV. die

(*) *Vide ſupra Cap. Primum.*

die penultimo Januarii, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens, Amicus, & Familiaris Haereticorum &c. Item dicit, quod poſtquam Punzilupus dixerat dicto teſti, quod juraverat mandata Eccleſiae, antequam ipſe moreretur, per aliquod tempus, captus fuit quidam Haereticus, qui vocabatur Johannes, & faciebat ſe dici Chriſtianum, ut credit, de nomine. Et dum detineretur in carcere Epiſcopi Ferrariae, dictus teſtis miſſus a patre ſuo ad ipſum haereticum, frequenter viſitavit dictum haereticum in tartere, rogando eum, quod non accuſaret patrem ſuum, & hortando eum, quod ſtaret firmus in fide haereticorum. Et tunc vidit frequenter dictum Punzilupum venientem ad viſitandum dictum Haereticum, ſciens eum eſſe haereticum in tartere, & loquentem cum eo familiariter. Sed quae verba diceret non audiebat. Item dixit, quod poſtquam dictus Haereticus relictus fuit in manibus Poteſtatis, & in carcere detineretur in Palatio Communis Ferrariae, vidit frequenter dictum Punzilupum eunsem ad ipſum haereticum, & loquentem cum eo familiariter, & private ſolum cum ſolo in camerula, in qua detinebatur dictus haereticus. Sed quid diceret, neſcit. Et infra. Item dicit, quod fama erat inter Credentes Haereticorum, quod dictus Punzilupus erat Credens, & Amicus Haereticorum. Item dicit, quod audivit Jacobam, quae tenebat Haereticos in domo, & veniebat ad domum ipſius teſtis ad accipiendum victualia pro ipſis Haereticis, dicentem: Punzilupus eſt bene noſter Amicus. Et quando vadit ante domum meam, vocat me, & dicit: Accipiatis iſtum panem album, & date illis bonis viris; *intelligendo de haereticis:* & dicatis, quia bene mundus eſt. *Et aliquando etiam dabat ei ſicus.*

Aymolinus in MCCLXXXV. die VII. intrante Februario, juratus dicit, quod vidit Punzilupum ſtantem & converſantem in domo Dominae Marcheſinae, exiſtentibus Haereticis in dicta domo. Et vidit eum frequenter loquentem familiariter cum dicta Domina Marcheſina, quae erat Haeretica, & ſemper tenebat in domo ſua Haereticos.

Albertinus Sogarius in MCCLXX. die X. intrante Decembri, juratus dicit, quod Martinus de Campitello, qui fuit Haereticus, dixit ei: Ego veni Ferrariam pro Punzilupo, quem credo meliorem Chriſtianum de Terra iſta.

Dominus Menabot parvus, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXX. die IX. intrante Decembri, juratus dixit, quod audivit ab Haereticis, quod Punzilupus erat nutritus cum Haereticis per viginti annos vel circa.

Rengarda de Veronà, filia Garſendae, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXV. die VI. exeunte Aprili, jurata dixit, quod modò ſunt octodecim anni vel circa, quod ipſa vidit Punzilupum in Civitate Veronae. Et dicit, quod ipſe tamquam Credens & Amicus Haereticorum venit ad domum dictae teſtis ad viſitandam matrem ipſius teſtis pro eo quod & ipſa erat Credens & receptatrix Haereticorum. Et ibi manſit duos dies & duas noctes, & ibi comedit & bibit. Et tunc audivit pluries Punzilupum loquentem & conferentem cum matre ipſius teſtis de fide & factis Haereticorum. Et audivit, quod ipſe nominavit Pauperes de Lugduno, & alias Sectas Haereticorum. Sed de verbis, quae dicebant, non recordatur. Item ditit, quod ipſa teſtis ſemel una cum matre & Punzilupo iverunt causâ videndi & viſitandi Haereticos ad domum quondam Dominae Belliardae, & ibidem in eadem domo inve-

Digitized by Google

venerunt plures Haereticos, & Haereticas. Et tunc vidit Punzilupum una cum matre ipſius teſtis ſcienter loquentem familiariter & diu cum ipſis Haereticis. Sed dicta teſtis quid dicerent, non audiebat. Item dicit, quod eiſdem diebus venit ad domum ipſius teſtis Bonaventura Belaſmagra Epiſcopus Hsercticorum. *Et ibidem Punzilupus una cum matre ipſius teſtis loquuti ſunt diu & private cum dicto Haeretico. Et dicit, quod non vidit Punzilupum facere reverentiam dicto Haeretico.*

Domina Beatrix uxor quondam Aegidii de Buſſo, in MCCLXX. die V. intrante Julio, jurata dixit, quod audivit a quadam ſua vicina, quae vocabatur Mira de Verona, quod Punzilupus dixit pluries Mirae: Ego volo, quod veniatis mecum ad Praedicationem Patarenorum, & audietis verba eorum, quae ſunt valde bona.

Domina Veneria, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXIII. die penultimo menſis Novembris, jurata dixit, quod Punzilupus fuit Credens, Familiaris, & Receptator Haereticorum. Quod ſcit ex eo, quod dictus Punzilupus duxit ſemel Lanfrancum de Monte Clero Haereticum Conſolatum, ſciendo dictus Punzilupus ipſum eſſe Haereticum, ad domum habitationis ipſius teſtis. Et quum quaereret a dicto Lanfranco, quis eſſet ille homo, quem duxerat ſecum, reſpondit Dominus Lanfrancus: Non timeatis, quia ipſe eſt verus Amicus noſtrae gentis, *intelligendo de Haereticis:* Et quod Hacretici de Verona etiam habent eum pro Bono Amico. *Et dictus Lanfrancus dixit dictae teſti:* Dictus Punzilupus receptat me in domo habitationis ſuae, quando indigeo; & ſervit mihi de rebus ſuis & bonis, & pluries aſſociavit me per Civitatem Ferrariae. *Et dicit, quod hoc fuit duobus annis vel circa ante mortem dicti Punzilupi. Item dicit, quod circa idem tempus Punzilupus duxit ad domum dictae teſtis quamdam Haereticam, nomine Elycam, ſciens ipſam Haereticam eſſe. Et tunc dictus Punzilupus dixit dictae teſti:* Ego duco vobis iſtam bonam mulierem, quae rogavit me, quod ducerem eam ad vos. *Et tunc dicta Haeretica dixit Punzilupo:* Eatis cum Deo, quia ego volo remanere hcie. *Et tunc dictus Punzilupus, antequam recederet, fecit dictae Elycae reverentiam, ſecundùm ritum Haereticorum, vidente & praeſente dicta teſte. Et quum receſſiſſet Punzilupus, dixit ipſa Elyca dictae teſti:* iſte Punzilupus eſt Bonus Amicus Noſter. Et datus eſt mihi pro bono & legali Amico Noſtro ab Hacreticis. Et aſſociat me pro negotiis meis per Civitatem. Et receptat me in domo habitationis ſuae, quando indigeo, & ſervit mihi de rebus ſuis &c.

Bonaventura de Sancto Georgio de Verona, in MCCLXXXV. die X. intrante Octobri, juratus dixit, quod poteſt eſſe circa vigintiquatuor annos, quod Ego ivi cum Punzilupo Vicentiam. Et ibidem in eadem Civitate in Contrata Sancti Petri intravi cum eo pluries domum cujuſdam Haeretici nomine Franciſci cum Haeretico Punzilupo, qui faciebat ei magnam reverentiam genuflectendo. Et tunc dictus Franciſcus levabat eum, blandiendo ei multum. Et dictus Punzilupus inſtruebat me Bonaventuram facere hujuſmodi reverentias; quae & feci, neſcius quid facerem. *Item dicit, quod dictus Punzilupus ſemel comedit cum dicto Franciſco, & ejus Uxore, & Filio. Et jejunavit tum illo die.* Et ego etiam comedi eum eis de illis cibis, de quibus comedebant. *Item dicit, quod quando Punzilupus in-*

trabat domum dicti Franciſci, & faciebat ei reverentiam, praeſentes erant Uxor dicti Franciſci, quae mortua eſt, & Filius ejus, qui poſtmodum detentus fuit pro Haereſi, & modo mortuus eſt. Item quaedam, quae vocatur Spetia, & quaedam, quae vocabatur Bonaventura, ambae de Contrata Sancti Petri, & quaedam, quae vocabatur Vincentia, quae modo mortua eſt. Item dicit, quod intravit cum dicto Punzilupo plures alias domos in eadem Civitate ad tales perſonas, ideſt Haereticos, quibus dictus Punzilupus ſemper faciebat reverentiam.

Dominus Gabriel filius Dominae Triviſanae, qui ambo fuerunt Credentes Haereticorum, in MCCLXXXV. die VII. Februarii, juratus dicit, quod audivit a Matre ſua pluries, quae ſtabat cum Haereticis, quod Punzilupus erat bonus homo, intelligendo de bonitate Haereticorum, & quod erat Credens & Amicus eorum.

Magiſter Johannes Miniſter Fratrum de Poenitentia, in MCCLXX. die XI. intrante Decembri juratus dicit, quod ſemel invenit Punzilupum in Contrata Sancti Pauli, & dixit ei dictus Punzilupus, quod veniebat de Arimino, & quod erant in Arimino multae domus Patarenorum. Et quum ipſe teſtis quaereret ab eo, quomodo cognoſceret dictas domos, reſpondit ei: Ego bene cognoſco eas, quia habent aliqua ſigna, per quae cognoſco eas. *Et quum ipſe teſtis diceret:* Indicate illa; *ipſe Punzilupus dixit:* Hoc ego nolo facere.

Dominus Jacobinus Judex, in MCCLXXIII. die V. Intrante Julio, juratus dicit, quod fama erat, & a pluribus audivit, quod Punzilupus ſaepe viſitabat Haereticos, qui erant in Romagnola, & maxime Arimini. *Et quod nuper ante mortem ſuam viſitaverat quemdam Epiſcopum Haereticorum.*

A *Bonmercatus, qui fuit Credens Haereticorum in MCCLXXVIII. die VII. Aprilis juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens, Amicus, & Familiaris Haereticorum. Item quod circa quatuor annos, antequam Punzilupus moreretur, ipſe teſtis una cum Oldeberto, Bertramino, & Alberto, qui omnes Credentes Haereticorum erant, in domo una erat cum duobus Haereticis. Et tunc Punzilupus tranſiens, inde vocatus intravit, ubi erant Haeretici. Et tunc Punzilupus*

B *videntibus omnibus praedictis, fecit magnas caritias, & oſtendit magnam amicitiam, & familiaritatem dictis Haereticis. Et etiam omnibus praedictis. Et in praeſentia omnium praedictorum fecit reverentiam uni de praedictis Haereticis. Et recedentibus omnibus praedictis, Punzilupus remanſit cum Haereticis, & hortabatur & conſolabatur, pro ut poterat, unum de praedictis*

C *Haereticis, qui erat infirmus.*

Caſtellanus, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXVIII. die XX. Maji, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens, Amicus, & Familiaris Haereticorum. Quod ſcit ex eo quod modò ſunt circa viginti unus anni, quod ipſe teſtis vidit & audivit, quod quondam Petrus de Romaninis ante domum ipſius teſtis dixit Punzilupo: Vultis vos videre unum Patarenum? *Cui reſpondit:* Ego utique veniam. Ita velo. *Et tunc dictus Petrus duxit Punzilupum in domum dicti teſtis, ut*

D *videret Patarenum; ſed Patarenus non erat ibi. Et tunc Punzilupus receſſit de domo praedicta. Item dicit, quod modò ſunt circa vigintidua anni, quod ipſe teſtis vidit Punzilupum familiariter loquentem cum Johanne Bergamaſco Haeretico, & cum Domina Benſavere ſub porticu domus dictae Dominae. Et quum intraſſent oſtium dictae domus dicta Domina &* Punzilupus,

E *viden-*

vidente & praeſente dicto teſte adoraverunt, & reverentiam fecerunt dicto Haeretico. Item dicit, quod ipſe Punzilupus dixit frequenter ipſi teſti, ſi ſciret, ubi eſſent Haeretici, vel ſi haberet in domo eos, quia eos volebat libenter videre, & loqui eis.

Domina Jacoba uxor quondam Brexani, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXVIII. die XXVIII. Maji, dicit ſuo juramento, quod quondam Zonta Merzarius Haereticus, poſt mortem Punzilupi dixit dictae teſti, quod dictus Punzilupus, dum viveret, ſerviebat ſibi, ſciens eum eſſe Haereticum, de rebus ſuis, & bonis, & manutenebat eum, & tenebat eum in privato, & non manifeſtabat eum. Quum tamen ipſe Punzilupus ſciret, ubi dictus Zuta ſtabat in domo, & quum ipſa teſtis diceret dicto Zuntae: Erat Punzilupus de gente veſtra? *ipſe dixit:* Erat bene de noſtra gente, & Credens noſter.

Magiſter Albertus de Gratiano, qui longo tempore fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXVIII. die XVI. Julii juratus dicit, quod jam ſunt vigintiocto anni, quod Punzilupus dixit dicto teſti pro eo, quod ipſe ſciebat, quod ipſe teſtis erat Credens Haereticorum, ſi cognoſcebat Martinum de Campitello Haereticum. Qui reſpondit, quod ſic. Et tunc dictus Punzilupus dixit dicto teſti cum magno affectu: Si Deus te ſalvet, ſalutabis eum ex parte mea, quando videbis eum. *Item dicit, quod circa idem tempus, quando tres Haeretici debebant comburi, quod horâ combuſtionis ipſi Haeretici dederunt calceos ſuos dicto Punzilupo, tamquam familiari & noto eorum. Item dicit, quod modo ſunt circa triginta anni, quum ipſe teſtis eſſet Mantuae, quod Johannet de Caſalolto Epiſcopus Sectae Haereticorum de Bagnolo, petivit ab ipſo teſte, quid faceret, & quomodo ſe haberet Armannus, qui dicitur Punzilupus. Et hoc petivit dictus Epiſcopus pro eo quod ipſe Armannus erat amicus & familiaris ejus.*

Jacobinus Calegarius in MCCLXXXVIII. die IV. exeunte Julio, juratus dicit, quod ſunt vigintiquatuor anni, vel circa, quod vidit ſemel, quod quondam Armannus, qui dicitur Punzilupus, & quondam Thomaxinus, qui fuit de Cremona, venerunt ad Gerardum Haereticum, & familiariter & private loquuti ſuerunt cum dicto Haeretico ſuper ripam Padi. Et quum dictus teſtis eſſet juxta eos, dederunt ſibi unum faſciolum de juncis de ſalice, & licentiaverunt eum. Et hoc fecerunt, ne ipſe teſtis audiret eos quid dicerent.

Patet, quod Punzilupus fecit, quod dicitur in Rubrica, cum Haereticis; *quibus fecit reverentiam. Item* cum Haereticis, *a quibus accepit, & dedit Conſolamentum. Item* cum Haereticis, *quos ſociavit, & quorum Nuntius fuit, & quos receptavit. Quae omnia patent in propriis Rubricis.*

CAP. VIII.

Quod Punzilupus loquutus eſt verba haeretica dicendo male, & detrahendo Miniſtria Eccleſiae, appellando eos Daemonea & Lupos rapaces pro eo quod ipſi perſequuntur bonos homines ideſt Haereticos; & commendando Haereticos, appellando eos bonos homines; & blaſphemando & deteſtando juſtitiam, quae fit de Haereticis, dicendo per verba ſua, quod *peccatum erat comburere bonos homines,* ideſt Haereticos.

Frater Bonſadinus de Ordine Praedicatorum, in MCCLXX. die III. exeunte Decembri, juratus dicit, quod

Punzilupus publice in Platea, quando videbat religioſos Fratres Praedicatores, vel Minores, flectebat genua, & dicebat: **Ecce Daemones. Ecce Lupi rapaces.**

Frater Johannes Miniſter Fratrum de Poenitentia, in MCCLXX. die XI. intrante Decembri, juratus dicit, quod audivit Punzilupum frequenter dicentem multa mala de Paſtoribus Eccleſiae, & viris Religioſis, & Eccleſiaſticis. Et dicit, quod audivit eum dicentem; quod ex quo homines dediti erant Credentibus Haereticorum, numquam poterant inde evelli.

Tancredus, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXI. die XII. intrante Decembri, juratus dicit, quod tempore, quo Punzilupus fuit saptus pro haereſi per Fratrem Aldevrandinum, audivit eum dicentem, quod numquam diligeret Fratrem Aldevrandinum, quia fecerat ignominiam de ſorpore ſuo; & quod Frater Aldevrandinus erat Lupus rapax.

Frater Albizo de Ordine Fratrum Praedicatorum, in MCCLXX. dicit verbo veritatis, quod quum ſemel iret ipſe & alius Frater cum quondam Catharo, qui ducebatur ad ignem, praedicando eum, quod Punzilupus ſequebatur eos, & ibat modò ad iſtum, modò ad illum, dicendo: **Iſti ſunt Daemones. Iſti ſunt Lupi rapaces, qui faciunt comburi bonos homines.** *Item dicit, quod pluries vidit Punzilupum in Platea Civitatis Ferrariae, & alibi flectendo genu, & dicendo:* **Utinam Deus non parcat mihi, ſi ego umquam parcam ſibi propter Fratrem Aldevrandinum, qui eſt Lupus rapax, & filius Diaboli, quia interficit bonos homines.**

Manfredinus Notarius, qui fuit Credens Haeresicorum, in MCCLXXXV. die penultimo Januarii, juratus dicit,

A *quod a vigintiſeptem annis citra, pluſquam tenties audivit Punzilupum dicentem ſum patre ipſius teſtis, qui erat Credens Haeretisorum, mala de Miniſtris Eccleſiae, dicendo, quod erant mali homines, & non faciebant opera Dei, nec erat in eis, nec in Fide Romanae Eccleſiae ſalus; ſed erant deceptores animarum; & quod*

B *erant Lupi rapaces, qui perſequebantur bonos homines, & Eccleſiam Dei, intelligendo de Eccleſia Haeretitorum. Item dicit, quod poſtquam audierat, quod Frater Aldevrandinus fecerat ipſum Punzilupum jurare mandata Eccleſiae, per aliquod tempus combuſtus fuit quidam Haereticus, nomine Martinus de Campitello. Et dum duceretur ad comburendum, audivit Punzilupum dicentem pluribus audientibus:* **Videte, qualia opera ſunt iſta! comburere iſtum vetulum bonum hominem! Terra non debet ſuſtinere illos, qui faciunt talia.**

C *Albertinus, qui fuit Haeretitus, in MCCLXXIII. die III. intrante Auguſto, juratus dicit, quod Punzilupus venit Veronam, jam ſunt ſex anni. Et tunc ipſe Punzilupus fuit Conſolatus ab Haeretitis. Et tunc quaeſierunt ab eodem Punzilupo, ſi acceperat poenitentiam a Lupis rapacibus, qui perſequuntur bonam gentem, hoc eſt ab aliquo Fratrum Praedicatorum vel Minorum, vel ab aliquo alio Sacerdote Romanae Eccleſiae. Et reſpondit, quod non accepit nec acciperet ab aliquo de Lupis rapacibus. Et dicit, quod tunc abſolverunt eum a ſacramento, quod fecerat Fratri Aldevrandino Inquiſitori de ſtando mandatis Eccleſiae Romanae.*

D

E *Magiſter Ferrarinus de Lignamine in MCCLXX. die VIII. intrante Auguſto, dicit, quod audivit Punzilupum dicentem, quod Martinus de Campitello, qui fuit Haeretitus, erat bonus homo.*

homo. Et dicebat, quod ſi haberet bonos homines, loquendo de Patarenis, quod non permitteret eos comburi. Item dixit, quod dictus Martinus erat bonus homo, & ſi haberet ipſum in domo ſua, quod non dimitteret eum comburi pro poſſe ſuo, nec alios. Item dicit, quod audivit Punzilupum dicentem, quod Fratres Minores & Eremitae erant mali homines, & Fratres Praedicatores erant pejores, & quod ipſi erant Lupi rapaces, qui deſtruebant bonos homines, qui faciebant bona opera, loquendo de Patarenis.

Tancredus, qui fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXI. die XII. exeunte Octobri, juratus dicit, quod tempore, quo combuſtus fuit quidam Haereticus ſenex, jam ſunt circa quatuor anni, audivit Punzilupum dicentem, quod combuſtus erat quidam ſanctus Pater, loquendo de illo Haeretico.

Domina Veneria, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXIV. die penultimo menſis Novembris, jurata dicit, quod duobus annis vel circa ante mortem Punzilupi, quando ipſe Punzilupus *ibat quaerendo eleemoſynas pro carceratis, frequenter intravit domum habitationis ipſius teſtis: & hortabatur ipſam teſtem, quod eſſet firma in fide Haereticorum, dicendo, quod in ipſis ſolis erat ſalus, & quod erant boni homines. Et quum dicta teſtis aliquando diceret ei: Quomodo decipitis Mundum, quia portatis Crucem, & videmini eſſe multum de illis de Eccleſia Romana? ipſe reſpondebat:* Non. Eſt ibi vis, quia facio ad hoc, ut non cognoſcar.

Dominus Jacobinus Judex, in MCCLXXIIII. die IV. intrante Julio, juratus dicit, quod Punzilupus dicebat multa mala de Clericis.

Bonmercatus, qui fuit Credent Haereticorum, in MCCLXXXVIII. die VII. Aprilis, juratus dicit, quod circa unum annum & dimidium ante mortem Punzilupi, ipſe teſtis loquendo cum Punzilupo juxta domum Epiſcopalem de Ferraria, petivit a dicto Punzilupo, quomodo ſtaret cum Fratre Stephano Ordinis Praedicatorum. Qui reſpondit, quod male, eo quod erat malus homo; & quod boni homines ſunt ſolùm Haeretici, & qui tenent viam eorum, & quod ipſi ſoli ſunt in via ſalutis, & nulli alii. Et hoc ipſum, & ſimilia verba audivit ipſe teſtis frequenter poſtea a dicto Punzilupo.

CAP. IX.

Quod Punzilupus fuerit diffamatus de Haereſi.

Dominus Henricus Officialis Inquiſitoris, in MCCLXX. die III. exeunte Novembri, juratus dicit, quod audivit dici, & fama erat, quod Punzilupus erat Credens Haereticorum.

Frater Johannes Miniſter Fratrum de Poenitentia, in MCCLXX. die XI. intrante Decembri, juratus dicit, quod fama erat inter Credentes Haereticorum, quod Punzilupus erat Credens & Amicus Haereticorum.

Daniel, in MCCLXXIV. die VI. exeunte Junio, juratus dicit, quod fama erat in Ferraria ante mortem Punzilupi, quod ipſe erat Credens Haereticorum. Interrogatus, quomodo ſcit, hoc dicit: quod audivit a quodam Nepote Punzilupi, qui vocabatur Bonaventura Papardus, quod ipſe Punzilupus non erat in Fide; & a multis aliis, de quibus non recordabatur.

Domina Bengepare, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXIV. die V. intrante Aprili, jurata dicit, quod audivit, a Catharis fieri multas truffas, & dici verba irriſoria de illis

lis de Eccleſia Romana, dicentibus: Quid dicent poſtea illi de Eccleſia Romana, quod nos ſimus mali homines, quum ipſi fecerint unum de noſtris Sanctum? *Et quod publica fama erat inter eos, quod Punzilupus erat de ſuis, & Credens eorum.*

Gavinus de Sacca, qui ſtetit cum Domino Menabove Parvo de Ferraria, in MCCLXXIV. die VI. intrante Aprili, juratus dicit, quod audivit Haereticos dicentes: Quidquid dicatur per Fratres, & per illos de Eccleſia Romana, Punzilupus fuit bene de noſtra gente, & fuit bene noſter Credens. *Et de hoc erat publica fama inter eos.*

Frater Mutinenſis de Poenitentia, Notarius de Ferraria, in MCCLXXXV. die VII. Februarii, juratus dicit, quod modò ſunt XXVIII. anni, vel pauci anni plus, ut credit de tempore, quo ipſe teſtis fuit praeſens, ubi quondam Punzilupus de Ferraria ſuper crimine Haereſis, de quo erat infamatus, juravit mandata Eccleſiae in manibus Fratris Aldevrandini Inquiſitoris.

Frater Araſinus Pergamenſis, Ordinis Praedicatorum, in MCCLXX. die VII. intrante Junio, dicit & confeſſus eſt verbo veritatis, quod quum eſſet de Conventu Pergamenſi, quaeſivit a quodam Mercatore Pergamenſi, qui veniebat de Venetiis, quae nova erant in partibus illis, unde veniebat. Reſpondit; Bona; quia unus Sanctus apparuit Ferrariae. *Cui quum dixiſſet:* Hoc non eſt impoſſibile, *dixit:* Fratribus veſtris, & Minoribus non placet, quia habebatur Suſpectus de Haereſi.

Dominus Jacobinus Judex, in MCCLXXIII. die V. intrante Julio, juratus dicit, quod fama erat, & a pluribus audivit, quod Punzilupus ſaepe viſitabat Haereticos, qui erant in Romandiola, & maxime Arimini. *Et quod nuper ante mortem ſuam viſitaverat quemdam Epiſcopum Haereticorum.*

Ad hoc etiam facit, quod dicitur infra in Rubrica. Ibi dicitur, quod Punzilupus juravit, & captus eſt pro crimine Haereſis.

CAP. X.

Quod Punzilupus relapſus fuit in crimen Haereſis, poſtquam juravit mandata Inquiſitoris ſuper eodem crimine.

AD oſtendendum, quod Punzilupus relapſus fuerit in crimen Haereſis, primo oſtendendum eſt, quod ipſe abjuravit Haereſim in manibus Inquiſitorum. Secundo oſtendendum eſt, quo tempore juravit. Tertio oſtendendum eſt, quid poſt juramentum commiſit in crimine Haereſis.

CAP. XI.

Quod Punzilupus abjuravit Haereſim in manibus Inquiſitorum, & tempus, quo juravit.

IN Chriſti nomine. Amen. Anno ejuſdem Nativitatis Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo Quarto, Indictione Duodecima, Ferrariae, die Secundo exeunte Martio: in loco Fratrum Praedicatorum de Ferraria; praeſentibus teſtibus vocatis & rogatis, Doudeo de Magnano, Albertino Guidonis Dente, Benevenuto de Belenzonis, Goffredo de Vaſſuris, Baldizone ſuo fratre, Villano de Raſuris, Bonfiglietto ſuo fratre, & multis aliis. Ibique Armannus, qui praenomine dicitur Punzilovo, *de Contrata Sancti Pauli de Ferraria, pro eo quod eſſet diffamatus de Haereſi, & propter hoc citatus, venit*

ad

ad praeſentiam Fratris Aldevrandini Prioris Fratrum Praedicatorum de Ferraria, & Fratris Aegidii, Inquiſitorum Haereticae pravitatis in Provincia Lombardiae ex auctoritate Apoſtolica. In quorum manibus dictus Armannus ſive Punzilupus abjuravit omnem Haereſim, & juravit mandata Eccleſiae, & dictorum Inquiſitorum, & dicere veritatem ſuper iis, de quibus fuerit interrogatus, & ſub poena Centum Librarum Ferrarienſium. Quae poena toties committatur, & poſſit exigi cum effectu, quoties inventus fuerit veritatem non dixiſſe, & feciſſe contra ea, quae per eum abjurata & promiſſa ſunt. Et pro iis omnibus obſervandis &c.

CAP. XII.

Quod Punzilupus poſtquam juravit, commiſit in crimine Haereſis.

AD oſtendum, quod Punzilupus, poſtquam juravit, commiſit in crimine Haereſis, ſciendum eſt, quod Punzilupus mortuus eſt in MCCLXIX. die XVI. Decembris. Et per immediate praecedentem Rubricam probatur, quod ipſe in MCCLIV. die II. exeunte Martio juravit ſuper crimen Haereſis. Si ergo conferatur tempus mortis ad tempus, quo juravit, conſtat, quod juravit quindecim annis, antequam moreretur. Infra quod tempus commiſit in crimen Haereſis omnia infraſcripta. Si infraſcriptae Rubricae in locis ſuis, & dicta teſtium diligenter inſpiciantur, & conferatur tempus eorum, quae dicuntur, ad tempus, quo Punzilupus juravit, & ad tempus, quo dictus Punzilupus mortuus eſt, invenietur, quod Punzilupus in crimine Haereſis commiſit omnia infraſcripta. Quod Punzilupus, poſtquam juravit, fuit Credens Haereticorum. Quod Punzilupus, poſtquam juravit, fuit de Secta Eccleſiae de Bagnolo. Quod poſtquam juravit, pluries adoravit, & fecit reverentiam Haereticis, ſecundùm eorum ritum. Quod, poſtquam juravit, dixit, quod in Fide Romanae Eccleſiae non erat ſalus, ſed in ſolis Haereticis. Quod male ſenſit, & male loquutus eſt de Corpore Chriſti. Quod dedit & accepit Conſolamentum ab Haereticis ſecundùm eorum ritum. Quod habuit familiaritatem, converſationem, colloquutionem, & amicitiam cum Haereticis, & viſitavit eos. Quod loquutus eſt verba haeretica, dicendo male & detrahendo Miniſtris Eccleſiae, appellando eos Daemones & Lupos rapaces, pro eo quod ipſi perſequuntur bonos homines, ideſt Haereticos, & commendando Haereticos, appellando eos bonos homines, blaſphemando & deteſtando juſtitiam, quae fit de Haereticis, dicendo per verba ſua, quod peccatum erat comburere bonos homines, *ideſt Haereticos. Quod diffamatus fuit de Haereſi. Quod ſociavit Haereticos. Quod fuit receptator Haereticorum.*

CAP. XIII.

Quod Punzilupus fuit Nuntius Haereticorum, & portavit quibuſdam panem benedictum ab Haereticis.

DOmina Triviſana mater Domini Gabrielis, in MCCLXX. die XI. intrante Auguſto jurata dixit, quod habuit quemdam ſuum patruum, qui vocabatur nomine Cazzator, qui erat Catharus. Et dicit, quod ſtetit cum eo per V. annos. Et dicit, quod Domina Boneſe uxor quondam Domini Boninconcri de Piſtaria attendebat Catharis illo tempore. Tamen credit, quod non attendat modò eis. Et dicit, quod Punzilupus portabat dicto patruo ſuo

panem

panem benedictum Catharorum. Et ipsa comedit de illo pane, quem dabat ei praedictus patruus. Item dicit, quod ille, qui portabat praedictum panem Catharorum, vocabatur inter Catharos Punzilupus, quem vidit postea in praedicationibus.

Dominus Gabriel de Tabula in MCCLXXXV. die VII. Februarii, juratus dicit, quod modò sunt viginti sex anni & ultra, ut credit de tempore, quod ipse vidit pluries, quod Haeretici miserunt matri ipsius testis, quae vocabatur Domina Trivisana, quae erat Credens Haereticorum, panem benedictum, secundùm eorum ritum in festo Nativitatis & Paschae. Et ipse testis frequenter comedit de pane illo. Item dicit, quod semel vidit, quod quondam Armannus, qui alio nomine dicitur Punzilupus de Ferraria, portavit panem benedictum ab Haereticis secundùm praedictum ritum ad domum praedicti testis, & ipsum dedit matri praedicti testis, vidente ipso teste. Et ipsemet testis comedit de illo pane.

Zunta Marzarius, qui fuit Haereticus, in MCCLXX. die VI. exeunte Novembri, juratus dicit, quod quando Arrivabene Haereticus erat in carcere Ferrariae, tunc Punzilupus venit ad eum Zuntam ex parte praedicti Arrivabene, & petiit ab eo quosdam denarios ex parte dicti Arrivabene. Et dixit ea insignia, secundùm quod dictus Arrivabene debebat habere dictos denarios ab ipso Zunta.

CAP. XIV.

Quod Punzilupus sociavit Haereticos.

Domina Veneria, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXIV. die penultimo mensis Novembris, jurata dixit, quod Punzilupus duobus annis vel circa ante mortem ipsius duxit scienter Lanfrancum Haereticum ad domum habitationis ipsius testis in Civitate Ferrariae. Et tunc ipsa testis fecit reverentiam dicto Haeretico, vidente & praesente dicto Punzilupo. Et quum dicta testis quaereret a dicto Lanfranco, qui esset ille homo, quem duxerat secum, respondit dictus Lanfrancus: Non timeatis, quia ipse est verus amicus nostrae gentis &c. *Item dicit, quod circa idem tempus Punzilupus duxit ad domum ipsius testis scienter Helycam Haereticam, & dixit:* Ego duco vobis istam bonam mulierem, quae rogavit me, ut ducerem eam ad vos. *Et tunc dicta Haeretica dixit Punzilupo:* Eatis cum Deo, quia ego volo remanere heic. *Et ipse Punzilupus, antequam recederet, fecit eidem Haereticae reverentiam &c. Item dicit ipsa testis, quod audivit a praedictis Haereticis, quod Punzilupus associabat eos per Civitatem Ferrariae, quando indigebant, & quod serviebat eis de rebus ac bonis suis.*

Magister Ferrarinus de Lignamine, in MCCLXX. die VIII. intrante Augusto, juratus dicit, quod Punzilupus erat Credens Haereticorum, & diligebat eos, & vidit eum ire & stare cum Martino de Campitello, quando ducebatur ad ignem usque ad ripam Padi, flendo. Et audivit ipsum Punzilupum dicentem, quod Fratres Minores & Eremitae erant mali homines.

CAP. XV.

Quod Punzilupus fuit receptator Haereticorum.

Domina Veneria, quae fuit Credens Haereticorum, in MCCLXXXIV. die penultimo mensis Novembris, jurata dicit duobus annis vel circa ante mortem

mortem Punzilupi, quod ipſe Punzilupus duxit ſcienter ad domum habitationis ipſius teſtis Lanfrancum Haereticum &c. (*) *Et dixit dicta Helyca ipſi teſti:* Iſte Punzilupus eſt bonus amicus noſter, & aſſociat me pro negotiis meis per Civitatem, & receptat me in domo habitationis ſuae, quando indigeo, & ſervit mihi de rebus ſuis.

Albertinus, qui fuit Haereticus, in MCCLXXIII. die III. intrante Auguſto, juratus dicit, quod Punzilupus & axor ſua pluries receptaverunt eum in domo ſua & alios quam plures Haereticos Conſolatos, ſicut ipſi eidem referebant.

Dominus Jacobinus Judex, in MCCLXXIII. intrante Januario juratus dicit, quod audivit dici, quod Punzilupus receptabat in domo ſua aliquos ribaldos, & tamen latenter praeparaverat hoſpitium illud ad recipiendum Haereticos Conſolatos, a quibus munuſcula recipiebat.

Nicolaus filius quondam Domini Aſiati de Brixia, in MCCLXXXVIII. die IV. exeunte Aprili, juratus dicit, quod modò ſunt octo anni vel circa, quum eſſet Officialis Inquiſitoris pro Communi Veronenſi, & tunc eſſent multi Haeretici de Sermione capti, dictus teſtis ad ſermonem Fratris Aldrovandini Ordinis Praedicatorum tunc Inquiſitoris, petiit ab Inquiſitore, qui tunc faciebat Officium Veronae, ſi aliquid inveniſſet a dictis Haereticis de facto Punzilupi. Qui Inquiſitor reſpondit dicto teſti, tamquam Officiali ſuo &c. Item dixit dictus Inquiſitor, quod per alios Haereticos multos, quos ceperat, invenit per eorum confeſſiones, quod dictus Punzilupus erat receptator Haereticorum in Civitate Ferrariae. Et quod Nuntios Haereticorum, qui tranſibant per Ferrariam recipiebat. *Et iſta audivit ipſe teſtis ab ipſo Inquiſitore pluries.*

CAP. XVI.

Quod Credentes Haereticorum veniebant ad Punzilupum, faciebant ei reverentiam poſt mortem ipſius.

Gratius Pergamenſis, qui ſtat Ferrariae, in MCCLXX. die XII. intrante Decembri, juratus dicit, quod tempore, quo mortuus fuit Punzilupus, quidam venerunt de Pergamo, qui hoſpitati ſunt in domo ſua. Inter quos erant quidam Haeretici; unus quorum ſimulavit ſe eſſe mutum & poſtmodum liberatum. Quum tamen bene ſciat ipſe teſtis, quod ante non erat mutus, nec conſueverat eſſe. Et dicit, quod multi de Credentibus Haereticorum de Pergamo, quos bene cognoſcebat, venerunt Ferrariam, cauſsâ videndi opera Punzilupi. Et faciebant ei magnam reverentiam.

Frater Ataſius de Pergamo Ordinis Praedicatorum, in MCCLXX. die XII. intrante Januario, dicit verbo veritatis, quod quum eſſet de Conventu Ferrariae, vidit multos Credentes Haereticorum, qui numquam conſueverant ire ad Eccleſiam, venire ad Corpus Punzilupi, portantes vota, & gloriantes de Punzilupo, quod unus de ſuis factus eſſet Sanctus.

Ex hoc complurium teſtium Examine colligimus, Catharorum, Patarenorum, ſeu Manichaeorum Haereſim, Saeculo Chriſti Tertiodecimo virus ſuum nedum late in Civitate Ferrarienſi effudiſſe, ſed & peſtiferâ contagione ſuâ Mantuanam, Veronenſem, Bergomenſem, Vicentinam Urbes,

(*) uti ſupra in praecedenti Capitulo.

Urbes, ac Sermionis Oppidum infeciſſe, atque per Romandiolam radices protendiſſe, & Arimini praeſertim domicilium ſibi quaeſiiſſe. Illud etiam hinc facile diſcimus, Haereticis iia nimirum *Epiſcopos* per eas Civitates & loca non defuiſſe, ac inſuper alios nequiſſimae eorum Sectae Miniſtros, *Filios Majores* puta (quos ſortaſſe veluti Epiſcoporum Vicarios opinari non immeritò quis poſſit) *Viſitatores*, *Nuntios*, & *Quaeſtores*. Certe Capitulo Secundo & Septimo memoratum videas *Johannem de Caſalolto*, circiter Annum Chriſti MCCLVIII. Mantuae agentem *Epiſcopum Haereticorum Sectae de Bagnolo*, & circiter Annum MCCLXVII. in Urbe Veronenſi *Albertum Epiſcopum Sectae de Bagnolo*, in Sermione verò degentem Anno MCCLXXIII. *Laurentium Epiſcopum Haereticorum*. Capitulo eodem Septimo occurrit identidem *Bonaventura Belaſmagra Epiſcopus Haereticorum*, qui Veronae morabatur circiter Annum MCCLXVIII. In Capitulis Secundo & Sexto memorantur *Dominus Michaël*, *qui eſt Filius Major in ipſa ſecta Bagnolenſium*, & Albertinus Ferrarienſis, *qui & ipſe erat Filius Major & Viſitator eorum in dicta Secta de Lombardia*. Pungilupum quoque triplici, dum vivebat officio, Quaeſtoria ſcilicet, Viſitatoris, ac Nuntii Haereticorum, perfunctum fuiſſe ſatis conſtat ex Capitulo Tertio, ubi Bonmercatua teſtis affirmat, quod dum ipſe *ſtaret*

A *cum Haereticis, contigit Pungilupum tranſire, Quaerendo panem pro Carceratis*, Catharis nempe, in Catholicorum carceribus detentis. Capitulo autem Septimo dicitur *Armannus* ipſe *ſaepe Viſitaſſe Haereticos, qui erant in Romagnola, & maxime Arimini*. Ita quum de Ariminenſi Civitate Ferrariam rediiſſet Pungilupus, is idem

B teſtatus fuit, *in Arimino* tunc extitiſſe *multas domos Patarenorum; quas ego* (ajebat) *bene cognoſco, quia habent aliqua ſigna, per quae cognoſco eas:* verùm a Magiſtro Johanne Miniſtro Fratrum de Poenitentia rogatus, ut eas ſibi indicaret, reſpondit: *Hoc ego nolo facere*. Nuntium quoque Haereticorum egiſſe eumdem Armannum legimus in Capitulo Duodecimo, ubi habetur, *quod Punzilupus portabat patruo* Dominae Triviſanae

C *panem benedictum Catharorum;* & in Capitulo Quinctodecimo Nicolaus Brixianus teſtatus eſt, Pungilupum *Nuntios Haereticorum, qui tranſibant per Ferrariam*, hoſpitio recepiſſe. Ceterum quid peractis ejuſmodi Examinis Actibus, ſacrae Inquiſitionis tribunal conſtituerit ſententia

D ipſa prodet, quam e Priſciani Libria MStis deſcriptam coronidis loco ſubjicere placet; utpote quae in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſuum locum exigere poſſit. Cum his conſer, quae Bernardus Guidonis in Vita Bonifacii VIII. Tomo III. pag. 691. Rerum Italicarum de Armanno ſcripſit.

E

Sententia damnationis prolata in Armannum Pungilupum Haereticum, Anno 1301.

IN Chriſti Nomine. Amen. Noverint univerſi, praeſentes Literas & Sententiam inſpecturi, quod nos Frater Guido Vicentinus, Ordinis Praedicatorum, Inquiſitor Haereticae pravitatis in provincia Lombardiae, & Marchia Ja-

Januenſi, a Sede Apoſtolica deputati, exiſtentes in Urbe, & in Curia Romana, a ſanctiſſimo patre domino noſtro, Domino Bonifacio Papa VIII. recepimus Literas, quarum tenor talis eſt.

Bonifacius Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, Dilecto filio noſtro* Guidoni de Vicentia Ordinis Praedicatorum, Inquiſitori pravitatis Haereticae in provincia Lombardiae per Sedem Apoſtolicam deputato, *ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Etſi multis & arduis, quae jugiter in amplum Romanae Curiae alveum undique confluunt, quaſi torrens, occupemur negotiis & diſtrahamur, illa tamen nos acrius ſtimulant, urgentque propenſius mentem noſtram, quae ſtatum & favorem Catholicae Fidei reſpicere dignoſcuntur. Propterea multiplici reddimur attentione ſolliciti, ut ad ea celeriter & efficaciter exſequenda operoſae ſolicitudinis ſtudium per nos & alios, de quorum probitate confidimus, impendamus. Ab olim ſiquidem ad noſtrum perveniit auditum, quod*, quum quondam Armannus, dictus Punzilupus de Ferraria, Laicus, fuiſſet, dum viveret, de Crimine Haereſis multipliciter diffamatus, *quondam* Fratres Aldebrandinus, & Aegidius Ordinis Praedicatorum, tunc Inquiſitores *pravitatis Haereticae in Provincia Lombardiae, per Sedem Apoſtolicam deputati, eum propter hoc ad ſuam praeſentiam evocarunt. Qui tamdem coram eis perſonaliter conſtitutus, omnem Haereſim penitus abjuravit, corporali nihilominus praeſtito juramento, quod ſuper iis, de quibus ipſum interrogari concingeret, referret plenius veritatem. Qui ſubſequenter ab iiſdem Inquiſitoribus requiſitus aſſeruit, & confeſſione ſpontanea reſeravit, quod duobus Haereticis devote ad orationis praeſtandum oſſequium, honorem reverentiae humilis, ſecundùm morem Haereticorum ordinatum in tabulis, duxerat impendendum. Quodque de glorioſo Corpore Jeſu Chriſti opprobria plura protulerat, fueratque multimode obloquutus. Sed hujuſmodi ejus gravis quantumlibet & horrenda confeſſio nullius punitionis ſeu poenae acredinem pertulit, & abſolutionis cujuslibet gratiam recepit. Praefatus quoque Armannus per erroris viam grandivis more quodam horribili, redire ad vomitum nullatenus erubeſcens, propriaeque ſalutis oblitus, juramenti ab ipſo, ſicut praemittitur, praeſtiti religione contemtâ, multa poſtmodum gravia, multaque ſceleſta in derogationem divini Nominis, ejuſque injuriam & contemtum committere non expavit, in abjuratam Haereſim praeſumtione damnabili relabendo, ac inſuper pluribus doloſis inſerviens, & operibus decepcionis inſiſtens, quia ſanctae converſationis & vitae, dum viveret, indicia praetendebat, quamquam ſub agni ſpecie, lupi aſtutiam gereret, ac ſuo quodam pietatis aſpectu, impietatis nequitiam occultaret, quum tamdem naturae debitum apud Ferrariam perſolviſſet, & ad clamorem Populi, quem juris ignorantia ſive facti a tramite rectitudinis detinebat, traditus ſolenniter extitit in Ferrarienſi Eccleſia Eccleſiaſticae Sepulturae. Quumque tantae ac tam gravis temeritatis exceſſus ad ejuſdem Fratris Aldebrandini, Inquiſitoris notitiam perveniſſet, ipſe Frater Archipresbytero & Capitulo ejuſdem Eccleſiae duxit diſtrictius injungendum, ut ſublato cujuslibet difficultatis objectu, ejuſdem Armanni Corpus effodere vel extumulare curarent, ipſumque procul ejicerent extra Eccleſiam ſupradictam. Et quia praefati Archipresbyter & Capiculum, ejuſdem Inquiſituris parere in hac parte mandatis contumaciter contemſerunt, Inquiſitor ipſe in eumdem Archipresbyterum &*

nonnullos de Capitulo ſupradicto excommunicationis ſententiam exigente juſtitiâ promulgavit, & eorum Eccleſiam Eccleſiaſtico ſuppoſuit Interdicto. Poſtmodum autem quum per appellationem Archipresbyteri & Capituli praedictorum hujuſmodi negotium tempore felicis recordationis Gregorii Papae X. *praedeceſſoris noſtri fuiſſet ad Sedem Apoſtolicam devolutum, praedeceſſor ipſe piae memoriae* Nicolao Papae III. *praedeceſſori noſtro, tunc* Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali, *praefatum commiſit negotium terminandum. Sed eodem praedeceſſore Gregorio, quaſi per modici temporis ſpatium humanis rebus exemto, negotium ipſum non potuit terminari. Succeſſu vero temporis, quum recolendae memoriae* Honorius Papa IV. *praedeceſſor noſter aſſumtus in Summum Pontificem exſtitiſſet, dilectus filius* Frater Florius ejuſdem Praedicatorum Ordinis, qui eidem Fratri Aldebrandino in hujuſmodi Inquiſitionis officio fuit per ejuſdem Sedis providentiam ſubrogatus, *ad praefatam Sedem hujuſmodi occaſione negotii ſe perſonaliter conferens, negotium ipſum in ejuſdem Honorii praedeceſſoris praeſentia duxit publice proponendum. Idemque praedeceſſor negotium ipſum, bonae memoriae* Bernardo Epiſcopo Portuenſi *audiendum commiſit oraculo vivae vocis. Qui ejus beneplacitis ſe coaptans, uſque ad relationem faciendum, ſtuduit in ipſo procedere diligenter. Sed poſt Honorii praedeceſſoris obitum, negotii memorati relatio non exſtitit ſubſequuta.*

Tu verò poſt noſtrae promotionis auſpicia perſonaliter ad Apoſtolicam Sedem accedens, praelibatum negotium in noſtra & Fratrum noſtrorum praeſentia

A *ſerioſe proponere curaviſti. Noſque, illo benigne audito, ejuſque ſtatu ſolicite intellecto, praefatos Archipresbyterum & Capitulum, omneſque alios, qui ſua credebant intereſſe, per venerabilem Fratrem noſtrum .... Ferrarienſem Epiſcopum citari mandavimus, ut infra certi temporis ſpatium, in noſtris ſuper hoc confectis Literis comprehenſum,*

B *poſt citationem ipſius, per ſe vel Procuratorem idoneum, ſe noſtro conſpectui praeſentarent, facturi, & recepturi etiam ſuper iis, quod juſtitia ſuaderet. Memorati verò Archipresbyter & Capitulum, quemdam ipſius Ferrarienſis Eccleſiae Clericum propter hoc ad noſtram praeſentiam deſtinarunt. Qui eorum nomine, tamquam Procurator ipſo-*

C *rum, ad fores noſtri Palatii, in quo tunc temporis morabamur, exſtitit publice proteſtatus (*), quod idem Archipresbyter & Capitulum nolebant, nec alio quatenus intendebant eumdem Armannum, vel ejus famam defendere vel tueri, ſive tecum occaſione hujuſmodi ſubire litigium quoquo modo; immo jura omnia, quae habebant, volebant omnino pro parte*

D *ipſius Armanni, noſtro & Apoſtolicae Sedis examini & judicio exhibere, ut eum abſolvere vel condemnare, prout de beneplacito noſtro procederet, curaremus. Idemque Procurator alium in hac parte ſibi ſubſtituens, a Romana Curia illico ſe ſubtraxit. Nos autem auditis & plenius intellectis iis, quae acta ſeu facta fuerant in praemiſſis, dilecto filio noſtro,*

E Johanni titulo Sanctorum Marcellini & Petri Presbytero Cardinali, *hujuſmodi duximus committendam, ut ipſe citatis partibus audire ſummarie abſque oblatione libelli, ac juris qualibet ſolemnitate curaret, nobis, noſtriſque Fratribus relaturus ea, quae partes ipſae coram eo ſuper praemiſſis ducerent*

I *pro-*

(*) Primam Procuratoris Canonicorum Ferrarienſium judicialem Proteſtationem habes ſupra deſcriptam. Hîc verò ſeriem indicatam alterius Proteſtationis eâ occaſione factae.

propunenda. Qui tamdem poſt habitum
ab eo in hac parte proceſſum, nobis &
Fratribus ipſis, te tunc in noſtra præ-
ſentia conſtituto, propoſitionem dictarum
partium coram ipſo factam repetere ſtu-
duit diligenter. Noſtræque gerentes plenius
cordi negotium, & volentes propterea ma-
jorem ſuper hoc habere notitiam veritā-
tis, præfato Cardinali venerabilem
Fratrem Nicolaum Oſtienſem & Vel-
letrenſem Epiſcopum, ac dilectum fi-
lium noſtrum Guillelmum Sancti Ni-
colai in Carcere Tulliano Diaconum
Cardinalem, auctoritate Apoſtolicâ du-
ximus adjungendos, ut omnes inſimul
præfatum negotium ſolerter & exacte
diſcutere, & examinare ſolicite procu-
rarent, præſertim quo ad confeſſiones
& abjurationes factas per Armannum
præfictum; ac etiam quo ad atteſtatio-
nes & probationes contra eumdem factas
& habitas, ſicut ſuperius eſt expreſ-
ſum: ipſamque de præfictis ſummarie,
pleneque per eos veritatem elicieam no-
bis ſeriosiùs aperirent, nos & fratres
noſtros præfictos eorum fidelibus in hac
parte relatis iis plenius informando.
Præmoniti verò Cardinales hujuſmodi
commiſſione receptâ, ſuper jam dicto ne-
gotio juxta ipſius commiſſionis tenorem
ferventer & exacte procedere curaverunt, nobis & dictis Fratribus poſtmo-
dum ea, quæ ipſorum in hac parte
comperit curioſa ſolertia, referantes.
Quum itaque de tuæ probatæ circum-
ſpectionis induſtria & experta prudentia
ſolidaque fidei puritate, fiduciam
geramus in Domino ſpecialem, formaque
nobis credulitas ſuggerat, quod ea,
quæ tibi exequenda committemus, ad
effectum ſolicite perducentur, diſcretioni
tuæ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præ-
cipiendo mandamus, quatenus ad cele-
rem & omnimodam ipſius expeditionem
negotii, non obſtantibus quibuſvis ap-
pellationibus & proceſſibus ſuper eo, vel

A ipſius occaſione per quoſcumque hactenus
habitis ſive factis, de conſilio venera-
bilis Fratris noſtri Johannis Bononien-
ſis Epiſcopi, & dilecti filii Fratris
Ramberti de Bononia Ordinis Prae-
dicatorum, a te petito & obtento ab
eis, quibus ſuper hoc noſtras Literas
deſtinamus, libere, ſolerter, ac ſecure
procedere non poſponas; ſic te in iis
B prudenter & provide habiturus, ut
propter divinæ retributionis præmium,
tibi proinde proventurum, famæ tuæ
præconium incrementa ſuſcipiat, & Apo-
ſtolicæ Sedis favorem & gratiam ube-
rius mereavis.

Datum Laterani XIII. Kalendas Ja-
nuarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Præfatis itaque Literis humiliter &
C devote ſuſceptis, & eis ſtudioſe perlec-
tis, ac ſolicite intellectis, Apoſtolica
mandata volentes cum diligentiâ adim-
plere, & ea cum debitâ obedientiâ exe-
quutioni mandare, poſt receſſum noſtrum
de Curia ſupradicta, pervenientes Be-
noniam venerabili patri Domino Fratri
Johanni, Dei gratiâ Bononienſi Epiſco-
po, & Fratri Ramberto de Bononia
D Ordinis Prædicatorum, perſonaliter &
ſimul inventis Bononiæ in Epiſcopali
Palatio, ejuſdem ſanctiſſimi patris, &
Domini noſtri, Domini Bonifacii Pa-
pæ VIII. Literas illas præſentavimus
per nos ipſos, quarum tenor talis eſt.

E Bonifacius Epiſcopus, ſervus ſervo-
rum Dei, venerabili Fratri Johanni
Epiſcopo Bononienſi, & dilecto filio
Ramberto de Bononia Ordinis Prae-
dicatorum, ſalutem, & Apoſtolicam be-
nedictionem. Probitatis merita grandia
& virtutum dotes multiplices, quibus
vos Dominus detoravit, quæ non ſolùm
fama laudabilis publicat, ſed etiam fi-
de dignorum aſſertio profitetur, benig-
nâ conſideratione penſantes, firmâ ſpe
ducimur in iis, quæ vobis committi-
mus, ut prudenter & ſolerter vos ge-

rere

rere ſtudeatis. Quum itaque dilecto filio **Fratri Guidoni de Vicentia Ordinis Praedicatorum, Inquiſitori haereticae pravitatis in provincia Lombardiae,** *per Sedem Apoſtolicam deputato certum negotium, quod Catholicae Fidei ſtatum reſpicit & favorem, contra quemdam* **Armannum** *dictum* **Pungilupum de Ferraria** *Laicum, qui dum viveret, de crimine Haereſeos exſtitit multiplititer diffamatus, per noſtras committimus Literas exſequendum; & velimus, ut ipſe de conſilio noſtro, prout in eiſdem exprimitur Literis, in negotio ſupradicto procedat: diſcretioni veſtrae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus praedicto Fratri Guidoni ſuper eodem exſequendo negotio veſtrum conſilium, quod ille a vobis duxerit poſtulandum, ſublato cujuslibet difficultatis obſtaculo, liberaliter impendatis, ſic vos in hoc efficaciter habituri, ut devotionem veſtram dignis in Domino laudibus attollamus.*

Datum Laterani XIII. Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Sicut de praeſentatione praedictarum Literarum conſtat per publicum Inſtrumentum ſcriptum per Albertum quondam Carbonis Notarium de Bononia. Ulterius per dictam praeſentationem a praedictis Domino Fratre Johanne Bononienſi Epiſcopo; & Fratre Ramberto ſecundùm Apoſtolicum mandatum, conſilium per nos ipſos petivimus & requiſivimus fideliter, & inſtanter. Quorum conſilio liberaliter ab eis habito & obtento, ſicut patet per publicum inſtrumentum ſcriptum per ſupradictum Albertum Notarium Inquiſitiones & proceſſus factos, habitos, & inventos contra quondam Armannum, dictum Pungilupum de Ferraria, Laicum; item abjurationem, & confeſſionem dicti Armanni ſive Pungilupi coram duobus Inquiſitoribus in audicio factas; item probationes & atteſtationes factas, habitas, & inventas contra dictum Armannum ſive Pungilupum; item ex alia parte quaſdam ſcripturas, in quibus contineri videbatur, quod per dictum Armannum ſive Pungilupum, ſeu meritis ejus, fuiſſent facta quaedam Miracula; & quod ipſe Armannus ſive Pungilupus, dum viveret, fuiſſet quibuſdam Sacerdotibus ſua peccata confeſſus: praedicta, inquam, omnia & ſingula cum ſtudio multo & conſilio magno diſtuſſimus & examinavimus diligenter; & manifeſte ac legitime invenimus, dictum Armannum ſive Pungilupum tam per ſuam confeſſionem, quàm etiam per atteſtationes legitimas fuiſſe, & extitiſſe, dum viveret, Credentem, fautorem, defenſorem, & reteptatorem Haereticorum, & irretitum longo tempore crimine haereticae pravitatis, & perjurum, ac ipſo jure excommunicatum, & relapſum in haereſim abjuratam, & numquam poſtea reconciliatum fuiſſe Eccleſiaſticae unitati, & mortuum in erroribus & perfidia haereticae pravitatis abſque ulla poenitentia, & Eccleſiaſtico ſacramento, ut de praedictis omnibus & ſingulis ex forma ipſius Inquiſitionis appareat. Unde viſis & examinatis proceſſibus habitis in Curia ſupradicta, tam coram ſummo Pontifice, quàm etiam coram Cardinalibus, quibus ſuperius Summus Pontifex proceſſus, & inquiſitionem praedictas examinandas commiſit: viſis etiam citationibus, & requiſitionibus factis de Archipresbytero & Canonicis Eccleſiae Ferrarienſis, & de aliis omnibus, qui ſua credebant intereſſe, ut comparerent coram praedictis, facturi & recepturi, quod ordo rationis exigeret, & terminis aſſignatis eiſdem ſeu Procuratoribus eorumdem, ut dicerent, allegarent, proponerent, & probarent quicquid ad excuſationem & defenſionem praedicti Armanni ſive Pungilupi ſpectare

re

re credebant; nec apparuerit, dictum Archipresbyterum & Canonicos de Ferraria, vel aliquos alios, aliquam excusationem legitimam seu defensionem pro dicto Armanno sive Pungilupo fecisse, nec contra Inquisitionem praedictam aliquid legitime ostendisse: Visis & diligenter examinatis actis inquisitionis praedictae, petitoque, habito & obtento super praedictis consilio diligenti praedictorum venerabilis Patris Domini Fratris Johannis Episcopi Bononiensis, & Fratris Ramberti de Bononia Ordinis Praedicatorum, sicut patet per publicum Instrumentum scriptum per supradictum Albertum Notarium; Habito etiam & obtento solerti consilio aliorum multorum Sapientum, Professorum, & Doctorum in jure Canonico, & Civili, scilicet Domini Bernardi Bojardi Canoniti Xantonensis, Domini Papae Capellani, & ipsius Sacri Palatii Causarum Auditoris, & Professoris juris Canonici, & Civilis, Domini Guillielmi Accursii Sacristae Caturcensis, Domini Papae Capellani, & ipsius sacri Palatii Causarum Auditoris, Juris Canonici & Civilis Professoris, Domini Altegradi de Lendenaria Canonici Ravennatensis, Domini Papae Capellani, & ipsius sacri Palatii Causarum Auditoris, Doctoris in Jure Canonico, Domini Guillielmi de Beroa Pergamensis, Professoris in Jure Civili, Domini Porrini de Casulis, Professoris in jure Civili, sicut de praedicto Consilio scripto & sigillato sigillis dictorum Sapientum patet per publicum Instrumentum, scriptum per Nicolaum Raynerii de Interamnis Notarium; Habitâ etiam deliberatione plenaria per nos ipsos, praedictis Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo de Ferraria, & aliis, qui sua crederent interesse prius legitime citatis ad sententiam audiendam:

A *Christi nomine invocato, Apostolicâ auctoritate, qua fungimur ex speciali commissione & mandato praefati Sanctissimi patris & domini nostri, Domini Bonifacii Papae VIII. pro tribunali sedentes, in his scriptis sententiamus & diffinitive pronuntiamus, saepe dictum* Armannum sive Pungilupum *longo tempore fuisse, & extitisse dum viveret,* Credentem, Fautorem, Defensorem, & Receptatorem Haereticorum, & irretitum crimine Haereticae pravitatis, ac perjurum, ac recidivam feciſſe, ac fuisse relapsum in Haeresim abjuratam, & ipso jure excommunicatum, & numquam postea fuisse reconciliatum Ecclesiasticae unitati, & mortuum esse in perfidia & erroribus Haereticae pravitatis absque ulla poenitentia, & Ecclesiastico Sacramento, & incurrisse omnes poenas Canonicas & legitimas contra hujusmodi institutas. *Et ipsum Armannum sive Pungilupum, licèt defunctum, judicamus & condemnamus secundùm Canonicas sanctiones, tamquam Haereticum, & relapsum in Haeresim abjuratam,* & memoriam ipsius Armanni sive Pungilupi perpetuae damnationi subjicimus. Et Corpus ejus profanum & ossa extumulari, & extra Ecclesiam projici, & ignibus concremari. *Et ipsum Armannum sive Pungilupum de cetero a nemine credi, vel reputari, nominari, seu appellari Sanctum, vel bonum hominem, vel amicum Dei, sed potius perfidum Haereticum, sub excommunicationis poena firmiter praecipimus, & mandamus.* Et insuper Arcam lapideam, in qua reposita sunt, vel esse consueverunt ossa, seu Corpus ipsius Armanni sive Pungilupi, & Altare constructum juxta Arcam praedictam, cum omnibus & singulis sustentamentis & appendiciis, ad Arcam & Altare praedicta

dicta ſpectantibus, dirui, deſtrui, & penitus diſſipari, *ita quod de cetero nullis poſſint eſſe uſibus apta, ſine ulla ſpe reaedificationis, praecipimus & mandamus. Omnes etiam ſculpturas, imagines & figuras, factas, & inventas ad reverentiam & honorem dicti Armanui ſive Pungilupi in Eccleſia Majori de Ferraria, & in omnibus & ſingulis aliis Eccleſiis Civitatis Ferrariae & diſtrictus, & in quibuſcumque etiam aliis locis inveuirentur vel apparerent praedictae ſculpturae, ſtatuae, imagines, vel figurae, per illos, in quorum Eccleſiis vel locis ſunt, deſtrui, abradi, & penitus diſſipari infra decem dies, poſtquam tenor praeſentis ſenteutiae eis fuerit manifeſtus, ſeu poſtquam pervenerit ad notitiam eorumdem. Et inſuper omnia, & ſingula vota oblata, poſita, vel appenſa ad reverentiam & honorem dicti Armanui ſive Pungilupi in quacumque Eccleſia vel loco inveuireusur vel apparerent, per illos, in quorum Eccleſiis vel locis ſunt, tulli & auferri, ac in alios pios uſus deputari, in virtute Spiritus Sancti, iuſra ſupraſcriptum terminum decem dierum praecipimus & mandamus. Praeterea ipſius Armanni ſive Pungilupi bona omnia mobilia, & immobilia, jura, nomina, & dictiones reales, & perſonales, quaecumque, ubicumque, & apud quoſcumque ſint vel appareant, a tempore perpetrati ſceleris per eumdem Armannum ſive Pungilupum pronuntiamus, ſecundùm Canonicas ſanctiones, deductis prius oneribus, Inquiſitionis officio confiſcata, & decernimus applicata. Omnes etiam contractus, & cujuſcumque generis alienationes de dictis bouis a tempore contracti criminis per ipſum Armannum ſive Pungilupum, vel per quoſcumque alios nomine & vice ejus factos ſeu factas cuicumque perſonae, Collegio, Univerſitati, vel Loco, caſſandos, ſive caſſandas, & irritandos ſive irritandas eſſe pronuntiamus, atque caſſamus & irritamus, & nullius firmitatis, momenti, roboris, aut valoris eſſe decernimus & ſenteutialiter diffiuimus.*

Ut autem praedicta ſententia noſtra, praecepta & mandata, debitum & intentum ſortiantur effectum, & ut ignorantia nulli ſit in excuſationis velamen, vel occaſionem praebeat alicui delinquendi, auctoritate nobis commiſſa per Apoſtolicam Sedem in his ſcriptis monemus pro primo, ſecundo, & tertio termino peremtorio; & praecipimus omnibus & ſingulis habitatoribus Civitatis Ferrariae, & totius noſtrae Inquiſitionis, cujuſque gradus, conditionis ac ſtatus ſeu dignitatis vel religionis exiſtant, tam Clericis quàm Laicis, maſculis & feminis, Collegio & Univerſitati, ne quis verbo vel facto, publice vel private, directe vel indirecte per ſe vel per alium, ullo modo vel ingenio debeat vel praeſumat dictae ſenteutiae noſtrae, ſeu praeceptis aut mandatis, vel aliis contentis in eâ, contradicere, vel aliquatenus obviare, nec nobis vel officio noſtro, aut in exequutione ipſius officii, ſeu dictae ſententiae noſtrae, vel praeceptis ſive mandatis contentis in eâ, ne libere, plenarie & ſecure exſequutioni mandeutur, aliquod impedimeutum ſeu occaſionem impedimenti praeſtare, nec aliis contraveuientibus dare aliquod conſilium, auxilium, vel favorem. Si quis autem contra praedicta vel aliquod praedictorum ſcieuter praeſumſerit attentare, ſi fuerit univerſitas vel Collegium, terram ipſam & ejus Eccleſiam in his ſcriptis Eccleſiaſtico ſubjicimus Interdicto. In ſingulares verò perſonas, cujuſcumque ſtatus vel conditionis ſeu religionis exiſtant, in his ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgamus. Si autem Clericus fuerit, privamus eum omni beneficio Eccleſiaſtico,

co, quod obtinere conſtiterit vel habere. Declarantes etiam, qnemlibet contra praedicta vel praedictorum aliquod facientem, poenas incurrere infraſcriptas, per reſcripta & ſanctiones Canonicas promulgatas. Conſtitnit enim Apoſtolica Sedes, quod Poteſtas, Conſul, Rector, ſen quivis alius, qui Civitati praeſit, qui contra praedicta venire tentaverit, praeter notam perjnrii & perpetuae infamiae jactnram, dncentarum Marcarum poenam inturrat, quae irremiſſibiliter exigatur ab eo; nihilominus nt perjurns & infamis, & tamquam Haereticornm fautor, & de fide ſuſpectns, officio & honore ſui regiminis ſpolietnr; nec nlterius Poteſtas, Conſul, ſen Rector, habeatur in aliqno, aut de cetero ad aliquam dignitatem vel officium pnblicnm nllatenns aſſumatur. Item quod praedicti vel quicnmqne alii contra praedicta vel aliquod praedictorum dederint auxilinm, conſilinm, vel favorem, ex tnnc ipſo jure in perpetuum ſint infames, nec ad publica officia vel conſilia, vel ad eligendos alios ad hujuſmodi, nec ad teſtimonium admittantur. Sint etiam inteſtabiles, ut nec teſtamenti liberam habeant factionem, nec ad hereditatis ſncteſſionem accedere poſſint. Nullus praeterea eis ſuper quocumqne negotio, ſed ipſi aliis reſpondere cogantur. Qnod ſi fortè Judex extiterit, ejus ſententia nullam obtineat firmitatem, nec cauſae aliqnae ad ejus audientiam perferantnr. Si fuerit Advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatnr. Si Tabellio, inſtrumenta confecta per ipſum nullins penitns ſint momenti. Quas poenas & multas omnes & ſingulas & alias ad negotium opportunas, contra rebelles & contumaces intendimus, Deo auctore, facere obſervari, invocando, ſi opus fuerit, auxilium brachii Saecnlaris, ut talis ac tantns error & abominatio deleatnr,

A malorum nequitia reprimatur, nec aliqnis de cetero tale quid vel conſimile attentare praeſumat, & veritas Catholicae Fidei ſemper in ſua remaneat pnritate. Nihilominns antem in omnibnt praedictis & ſingnlis mntandi, addendi, minuendi ſemel & pluries, prout de jure fieri poterit, quum nobis viſum fuerit expedire, auctoritatem & facultatem nobis ac ſucceſſoribns noſtris plenariam reſervamus. Omnibus autem & ſingulis, qui perſonaliter nobis adſiterint in negotio ſupradicto, & qui fideliter laboraverint, quod praedicta ſententia noſtra, & praecepta ac mandata in ipsâ contenta exſequutioni mandentur, & qui nobis ex animo in praedictis praeſtiterint conſilinm, auxilium, vel favorem, verè poenitentibus & confeſſis declaramns tres annos de injunctis ſibi poenitentiis auctoritate Apoſtolicâ relaxatos.

Lata fnit ſupradicta Sententia in Capitulo Fratrnm Praedicatorum de Ferraria, turrente Milleſimo Trecenteſimo Primo, Indictione XIV. die XXII. Martii, praeſente Domino Johanne Archipresbytero Majoris Eccleſiae Ferrarienſis, Fratre Nicolao de Venetiis Priore in Conventu Ordinis Praedicatornm, Fratre Petro de Sclaveta Ordinis Praedicaturum Lectore in dicto Conventn, Fratre Guillelmo de Mainardis Ordinis Minorum, Fratre Ugolino Priore Fratrnm Eremitarum de Ferraria, Fratre Bartholomaeo de Tarviſio ejuſdem Ordinis, Fratre Uberto Priore Fratrnm Carmelitarnm de Ferraria, Domino Margarito Judice, Domino Petro de Sifante Judice, Domino Gerardino de Aurifici Judice, Domino Bonaventura de Conte Jndice, Fratre Guillielmo de Judicellis, Fratre Bonaventura, ſpecialiter ambobus de Ordine Sancti Dominici, Domino Ziliolo de Pignatone, Domino Henrico de Signorellis

lis Milite, Domino Franciſco Campſore, Domino Vaſſallo Campſore, Benevenuto Notario de Tamagine, & Ferrareſio Notario de Lambruſca, qui debet de hoc etiam ſimile facere Inſtrumentum, ad haec vocatis & rogatis.

Ego Rolandinus de Sancta Cruce Notarius dicti Domini Inquiſitoris, de ejus mandato ſcripſi.

Die XXIII. Martii, in domo Officii Inquiſitoris, ſita in loco Fratrum Praedicatorum, praeſentibus Fratre Bonifacio Ferrarienſi de Ordine Praedicatorum, Millarino, & Olivero Barberio, Officialibus Officii Inquiſitoris, Benevenuto de Tamagnino Notario, Fratre Albertino de Placentia Converſo Ordinis Praedicatorum, reverendus vir Dominus Frater Guido Vicentinus Ordinis Praedicatorum, Inquiſitor Haereticae pravitatis in Provincia Lombardiae & Marchiae Januenſi, a Sede Apoſtolica deputatus, praecepit Domino .... Militi Domini Gerardi de Enzola, Poteſtatis Ferrariae, *nomine & vice dicti Domini Poteſtatis, quod hinc ad tertium diem mandare debeat exſequtioni Sententiam latam per ipſum Inquiſitorem contra quondam Armannum, ſive Pungilupum, qui ſepultus eſt in Eccleſia Ferrarienſi, in iis, quae tangunt officium Domini Poteſtatis, contentis & expreſſis in dicta ſententia. Quae ſententia lecta fuit coram dicto Milite, & teſtibus praeſcriptis de mandato dicti Inquiſitoris ibi praeſentis. Et hoc ſub poena contenta & contentis in Sententia ſupradicta.*

At ne heic quidem vides infimulatam, damnatumve Armannum Haereticum ob ullum carnalis libidinis crimen, quum tamen illius Sectam hoc etiam nomine multi olim traduxerint. Neque Armannum ſatorem fuiſſe ſectae *Fraticellorum* (quod alii opinati ſunt) ex his intelligere poſſumus. Quod certum eſt, circiter eadem tempora famam impietatis & ſectatores non paucos ſibi conciliaveſſe *Gerardus Secarellus Parmenſis*, tum *Dulcinus* ejus diſcipulus, qui Anno MCCCVII. graviſſimis turbis per Vercellenſem agrum ſuſcitatis, Catholicorum tandem armis dejectus fuit. Certiora documenta de illius Haereſi ac Tragoedia, vide in Tomo IX. Rerum Italicarum, a me edita: ibique conſule, quae erudite in Notis addidit Clariſs. Saxius Ambroſianae Bibliothecae Praefectus. Ego verò in Praefatione animadverti, eoſdem quoque Haereticos, immo & reliquos id genus, a pleriſque Scriptoribus depingi, veluti in omnium libidinum coeno volutatos, quum tamen ſynchroni Auctores exſecrandum hoc facinus nuſquam eis objiciant. At ſenſim poſt Annum Chriſti MCCC. coepit decreſcere ejuſmodi Sectarum peſtilentia, quas tamen unam Sectam ſub variis nominibus, & parum diverſae doctrinae appellare poſſis. Et curâ praecipue ſacrorum Inquiſitorum factum eſt, ut nullus deinceps a Catholicâ Fide deficiens aſſeclas per Italiam diu haberet, nulla Haereſis aut noviter procuſa, aut renovata apud Italos radices amplius egerit. Sed quando ſupra memoratum mihi ſuit Opuſculum *Gregorii* cujuſdam in Ambroſiana Bibliotheca adſervatum, atque illuc ex Bobienſi Coenobio translatum, juvat heic indicare, quae ille argumenta pertractet, ut inde agnoſcatur, quibus deliramentis olim *Patareni*, ſive *Manichaei* oblectarentur. Quis fuerit iſte *Gregorius*, quove tempore ſcripſerit, decernere non auſim. Quum tamen efferbuiſſe videamus hanc peſtem praeſertim Seculo vulgaris Epochae Tertio-

tiodecimo, ad ea tempora ſpectare, Opuſculum mihi perſuadeo. Et ſane Codex ante annos tercentos quinquaginta exaratus mihi videbatur.

Specimen Opuſculi, quod *Gregorius* quidam ſcripſit *contra Manichaeos, qui Paterini dicuntur*, circiter Annum 1240.

PErgente ad Occiduum Mundo, & inſtantibus perditis temporibus, quibus multi diſedentes a Fide confingunt ſibi Sectam perditionis, congregantes ſibi diſcipulos prurientes auribus, unuſquiſque fidelis, prout divifit Deus menſuram Fidei, in illos Haereticos debet inſurgere, qui Paterini vocantur, & non in uno ſolo Articulo Fidei errant, ſed in omnibus. *Dicunt enim Chriſtum phantaſma fuiſſe, non Hominem; & ſic nec verè baptizatum, nec verè tentatum, non paſſum, non ſepultum, non reſurrexiſſe, non aſcendiſſe credunt. De Perſonarum Trinitate male ſentiunt, dicentes: Quod tres Perſonae poſt Judicium erunt una perſona tantùm, non attendentes illud Jacobi:* Apud Quem non eſt tranſmutatio &c. *Duos etiam Creatores, duo aeterna Principia, duos Deos conſtituerunt, unum viſibilium, alterum inviſibilium. Quid plura? In omnibus fidem corrumpunt. Ego autem, ut jam non dicam me murum pro domo Dei appoſitum, ſed ſuper muros Hieruſalem, & auctoritates Evangelicas & Apoſtolicas aſcendens, hos, * quo inſequentibus videbitis, lapides vivos contra jam dictos Haereticos projiciam. Qui autem me fortiores ſunt, cominus illos potentioribus armis expugnent. Non enim putavi, me curam ſuperni Regis praeſentia excuſaturum, ſi hoſtibus ſuis, ſaltem prout poſſum, non reſiſtam.*

„ Incipit argumentum.

Ut Paterinis per hoc Opuſculum via tuceat reſiſtendi, opponentium & reſpondentium more, hinc Haereticum, inde Catholicum introducimus diſputantes.

„ Capitula Libri.

1. *De Creatore viſibilium, quem Paterinus a Diabolo, Catholicus a Deo eſſe dicit. Et de Unitate Dei. Sed Paterinus dicit etiam duos Deos, duoque Principia.*
2. *De Matrimonio, quod Catholicus approbat, Paterinus damnat.*
3. *De Patribus veteris Teſtamenti, & Scripturis eorum; quae Catholicus approbat, Paterinus damnat.*
4. *De Spiritibus hominum, quos Paterinus dicit eſſe Daemones: Catholicus verò noves a Deo novis infundi Corporibus.*
5. *De humanitate Chriſti, quam Paterinus phantaſticam eſſe dicit, Catholicus veram confitetur.*
6. *De Johanne Baptiſta, quem Catholicus approbat, Paterinus damnat. Vel de Baptiſmo Aquae, & de Baptiſmo puerorum, quem Paterinus damnat.*
7. *De Oratione pro Defunctis, quam Eccleſia facit, Paterinus damnat.*
8. *De Carnis reſurrectione, quam Eccleſia credit, Paterinus damnat.*
9. *De juramento, quod Paterinus penitus prohibet, Eccleſia recipit.*
10. *De poenis, quas Paterinus penitus in hoc Mundo fieri prohibet, ſed Eccleſia recipit, & Regibus gladium materialem concedit.*

11. *De Excommunicatione, quam facit Eccleſia, ſed Paterinus dicit fieri non debere.*
12. *De diſtinctione ciborum, quam facit Paterinus, ſed Eccleſia non.*
13. *De Blaſphemia Crucis, quam Paterinus facit, ſed Eccleſia * veneratur.*
14. *De Miraculis & Signis viſibilibus, quae Eccleſia facit, ſed Paterinus dicit omnia eſſe a Diabolo.*
15. *De Blaſphemia Eccleſiae, & ejuſdem humili defenſione.*

Alterius Opuſculi, itidem in Ambroſiana Bibliotheca adſervati, atque illuc ex Bobienſi Bibliotheca translati, habenda eſt mihi mentio. In eodem quippe argumento verſatur illius A Auctor. Hic titulus Libro: *Tractatus Magiſtri G. Pergamenſis contra Catharos, & Paſagios, in quo eorum confunduntur errores auctoritatibus & argumentis.* Num Gregorius, an Guibertus, aut alio quoquam nomine Auctor nuncupatus fuerit, incertum eſt ex peſſimo temporum illorum more, quibus unicâ primâ Literâ non rarò B ſignata videas nomina perſonarum. Non certe fuerit Guaſparinus Barzizius Vir doctiſſimus, cujus aevo nulla ejuſmodi Haereticorum deliramenta confutationem popoſcere. Opuſculum non ita breve, quamquam mutilus ſit Codex: ibique ſolide, erudite etiam, Auctor in adverſarios pugnat. En prima illius verba. C

Specimen alterius Opuſculi, quod G. Bergomenſis contra Catharos & Paſagios elucubravit, circiter Annum 1230.

INutili quidem ac perniciosâ Scholaſticarum quaeſtionum ſubtilitate poſpoſitâ, eae potius Quaeſtiones & Sententiae, quae de rebus ſaluti neceſſariis fiunt, quantâ poſſum diligentiâ pertractentur.

Errores confutati ſunt. Haereticus dicit, Deum omnipotentem ſola inviſibilia & incorporalia creaſſe: Diabolum verò, quem Deum tenebrarum appellant, viſibilia & corporalia creaſſe &c. Addunt Haeretici, duo eſſe Principia, unum Boni, ſcilicet Deum omnipotentem, alterum Mali, ſcilicet Diabolum. Item duas eſſe Naturas, unam bonam incorporalium a Deo omnipotenti creatam; alteram malam (ſcilicet Diabolum) & mala corporalia a Diabolo fuiſſe creata.

Haereticus ergo, qui dicebatur antiquitus Manichaeus, *nunc verò* Catharus *appellatur, hanc ſuam opinionem nititur confirmare &c. Ajunt Haereti-* D *ci, Deum omnipotentem nec Legem Moyſi, nec vetus Teſtamentum hominibus tradidiſſe, ſed potiùs Deum tenebrarum; & nullum ante Chriſtum ſalvatum fuiſſe &c. Praedictis iidem addunt Haeretici, quod Chriſtus nec veram Carnem habuit, nec verè mortuus fuit, nec etiam veraciter reſurrexit. Dicunt etiam, quod nulla ſit omuimodo futura Reſurrectio Carnis &c. Addunt, Chriſtum neque Animam habuiſſe, in quo quidam alii non concordant Haeretici &c. His addunt, neminem in Conjugio poſſe ſalvari, exercendo opera conjugalia &c. Dicto de Secta* Catharorum, *reſtat de Secta* Paſaginorum. *Dicunt enim, Chriſtum eſſe primam & puram Creaturam: & vetus Teſtamentum eſſe obſervandum in ſolennibus & in Circumciſione, & in ciborum perceptione, & in aliis fere omnibus, exceptis in Sacrificiis &c.* E

Mihi

Mihi etiam occurrit in Ambroſiana Bibliotheca MStus *Tractatus ſuper octo erroribus Begardorum, & Beghinarum in Clementinis Conſtitutionibus damnatis, ad nobilem & ſapientem virum Lipoldum de Alamannia Doctorem Decretorum, & Canonicum Archipolenſis Eccleſiae.* Auctor Libri *Frater Gerardus de Senis Bacchellarius Pariſienſis in ſacra Pagina, ex Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini.* Florebat ille Anno Chriſti MCCCXVII. Ejuſdem Scriptoris MStas vidi *Quaeſtiones de Praeſcriptione & Uſuris*, dicatas *venerabili in Chriſto patri & Domino Donuſdeo, diviná miſeratione Epiſcopo de nobili Malavoltorum de Senis progenie oriundo.* Unum denique moneo. Qui de hiſce Haereſibus, earumque innumeris, ut ita dicam, ſurtulis, propagatione, & occaſu plura cupit, *Hiſtoriam Haereſum* adeat, editam hoc ipſo Seculo Decimo Octavo a doctiſſimo viro Dominico Bernino, qui monſtra in unum veluti amphitheatrum erudito ſtilo conclusit.

DE

DE
CARDINALIUM
INSTITUTIONE.
DISSERTATIO
SEXAGESIMAPRIMA.

Digitized by Google

DISSERTATIO SEXAGESIMAPRIMA.

Multi multa de *Cardinalibus*, eorumque origine atque inſtitutione commentati ſunt, ac praecipue Clariſſimus Vir Ludovicus Thomaſſinus Oratorii Gallicani Presbyter in inſigni Opere de Benefic. Part. I. Lib. 2. Cap. 115. Actum agere non eſt mihi animus. Quare ſpicilegium tantummodo poſt aliorum meſſem nunc dabo. Illud ergo apud eruditos conſtat, ſingulis olim Urbium Eccleſiis diverſos Presbyteros, Diacones, & Subdiacones ſuum addixiſſe miniſterium ac famulatum. Inter eos verò nonnulli *Cardinales* appellati memorantur, reliqui autem minime participes ejuſdem tituli fuere. Sunt qui putant, eos duntaxat ejuſmodi appellatione diſtinctos fuiſſe, qui nunc *Parochi* appellantur, eo quod *Cardini* Eccleſiae praeeſſent, inde non amovibiles, quum contra ceteri ejuſdem Eccleſiae Presbyteri facile amoveri poſſent. Proinde reperiuntur apud veteres etiam *Epiſcopi Cardinales*, ut ab iis diſtinguerentur, qui tantummodo commendatam olim regebant Eccleſiam. Alii vero, inter quos Juretus, Pancirolius, & Salmaſius, opinantur, ideo nonnullos *Cardinales* vocatos, quod *principales*, *praecipui*, ac primae auctoritatis in Clero ſuae Eccleſiae forent, qua etiam ratione *Cardinales* nuncupare conſuevimus quaſdam Virtutes; & Canonici Cathedralium Eccleſiarum alicubi *Cardinalium* nomine olim ſunt donati, non verò ceteri minores ejuſdem Urbis Canonici. Occurrit etiam apud antiquos *Cardinalis ara*, *Cardinalis Miſſa*, ideſt *principalis*, *prima*. Poſtremo Jacobus Gothofredus in Notis ad Legem Septimam Lib. 12. Tit. 6. Codic. Theodoſian. cenſet, exinde quoſdam ita nuncupatos, quod fixi forent, ſuoque Epiſcopo, aut ſuae Eccleſiae immobiles deſervirent. Ego ſententias haſce temperandas arbitror, atque ad unam redigendas. Hoc eſt eos tantùm *Cardinalis* titulum antiquitus retuliſſe, qui aut *Eccleſiarum Baptiſmalium* (nunc Parochiales Eccleſias dicimus) aut *Diaconiarum* Rectores ſtabiles fuere: olim enim Piae domus ad nutriendos pauperes, peregrinos, ac infirmos inſtitutae, & Eccleſiae, ſive Oratorio alicui conjunctae, ac regimini cujuſpiam Diaconi traditae, appellabantur *Diaconiae*. Priores ergo *Presbyteri Cardinales*, ſecundi *Diaconi Cardinales* appellati. Quum vero Epiſcopis olim Eccleſia fere ſemper regenda tanquam ſua res traderetur, iique *Titulares* ac Paſtores proprii nuncuparentur; interdum verò Eccleſiae aliquae ſuo viduatae Paſtore, alicui commendarentur, donec ibi conſtitueretur proprius, ac Titularis: hinc ſa-

ſtum eſt, ut qui Titulum revera obtineret, is *incardinari* in ea Eccleſia, ibique *Cardinalis* conſtitutus diceretur. Exinde verò is illic praecipuam auctoritatem exercebat, primaſque tenebat; atque is in ea Eccleſia fixus ac immobilis erat. At non ideo ſolùm quiſquam *Cardinalis* olim vocatus, quod in Eccleſia aliqua inter praecipuos ac principales numeraretur, neque quod Templo eidem inſerviret conſtanti, ac immoto famulatu; ſed quia ad illum unum proprie ſpectabat cura ac regimen Parochiae ſeu Diaconiae ſibi creditae. Nam quod Cardinalis Bellarminus Tom. I. Cap. 16. de Clericis ait, reperiri in *Synodo Sancti Gregorii Magni tres Presbyteros Cardinales Tituli Sanctae Bibianae, duos Sancti Damaſi, duos Sancti Silveſtri, & duos Sanctorum Apoſtolorum*, fruſtra objicitur. Neque enim qui Synodo illi ſubſcribunt, *Cardinales* appellantur, ſed tantummodo, exempli causâ, *Presbyter Sanctae Balbinae*, atque ita reliqui. Porro, ut ſupra ajebam, praeter Parochum, ſive Diaconum Titularem, ideſt alicui Eccleſiae Baptiſmali, aut Diaconiae, ſtabili titulo praefectum, erant & alii Presbyteri, & Clerici eiſdem Eccleſiis, aut Diaconiis addicti, atque iis inſervientes. Sub ea ratione ſubſcribit Gregoriano Concilio *Laurentius Presbyter Tituli Sancti Silveſtri*, & infra *Johannes Sancti Silveſtri*. Hic minime Cardinalis, ſed Presbyter tantummodo Deo inſerviens in Aede Sancti Silveſtri. Ita in Conciliabulo Papienſi Anni Chriſti MCLX. memoratos videas Clericos Romanos de *Cardinaliis*, ideſt de Parochiis, aut Diaconiis Romanis. Quare ex hiſce tenebris non eſt petendum lumen. Hinc autem *Cardinalis* nomen originem duxiſſe putandum eſt, quod veteres *cardinare* & *incardinare* dicerent infigere, inſerere, connectere, & incorporare. Sic enim Vitruvius Lib. 16. Cap. 20. Architect. *tignum cardinatum* appellat, qui inſertus, infixuſque erat *inter duos ſcapos*. Ab eo quoque nominantur *ſcapi Cardinales* in valvis compacti. Adde Caſſiodorium, qui Lib. 7. variar. Epiſtolâ 31. haec ſcribit Regis nomine: *Ut quia Principem Cardinalem obſequiis noſtris deeſſe non patimur, tu ejus locum Vicarii nomine in Urbe Roma ſolemniter debeas continere*. Hoc eſt: quum ad Palatium evocatus fuiſſet *Princeps*, ſive *Praefectus Urbis Romae*, ut ſui laboris praemia ibi reciperet, propterea donec aut is ad ſuam Praefecturam regrederetur, aut daretur ei in Officio Succeſſor, Vicarium Rex conſtituit, qui ejus vices ac munus interim impleret. Ubi vides eum appellari Praefectum ſive *Principem Cardinalem*, qui Praefecturam cum dignitate ſtabili, ſive ordinaria auctoritate, exercebat; *Vicarium* verò qui minime erat in eo Officio *incardinatus*, hoc eſt non fixus, aut immotus, ſed qui ſine Titulo, & cum dignitate fluxa atque inſtabili, id muneris ſuſtinebat. In Notitia quoque utriuſque Imperii Part. primâ, pag. 77. edition. Pancirolii, haec legas: *Officium Magiſteriae in Praeſenti poteſtatis, Cardinale habetur*. Ita & in aliis locis Vocabulum hoc Pancirolius explicat *principale & praecipuum*: & in hanc rem laudat ille, & poſt eum Voſſius, Pitiſcus, & alii, Epiſtolam nunc 83. Lib. primi, Gregorii Magni, ita ſcribentis ad Januarium Archiepiſcopum Ceralitanum, hoc eſt, Caralitanum: *Liberatus, qui Diaconii fungi perhibetur officio, ſi a deceſſore tuo non factus eſt Cardinalis, ordinatis a te Diaconibus nulla*

nulla debet ratione praeponi. Non abnuo, quin primarium ac principalem *Cardinalis* vocabulum ſignificarit: ſed ſimul contendo a Gregorio Magno heic pronuntiari, Liberatum, niſi Rector ſtabilis, & ut dicam, ſponſus ac Beneficiarius perpetuus Diaconiae effectus fuerit, propter quam dignitatem reliquis Diaconis minime Titularibus eſſet praeferendus, inique praeeminentiam ſupra ſodales ſuos appetere. Atque haec pauca ſufficiant ad hanc ſententiam confirmandam, quam Thomaſſinus ſupra laudatus multâ eruditione ſtatuit atque exornat. Nunc alia ſubjiciam ad idem argumentum ſpectantia.

Ex multis, quae in Epiſtolis, & Vitâ Gregorii Magni ſummi Pontificis habentur, luculenter apparet, eos tantum *Cardinalis* appellatione donatos, ſive Epiſcopos, ſive Presbyteros, aut Diaconos, qui Eccleſiam quamquam regendam perpetuò ſuſciperent, Titulo ſimul, ac Beneficio iis collato. Et quoniam *Epiſcopi Cardinales* jam tum memorantur in Civitatibus infimi ſubſellii, conſequens eſt, non propterea illos hoc nomine inſignitos, quod *primarii*, ac *principales* forent inter Epiſcopos, ſed quidem quod Cathedrales Eccleſias illas jure Paſtorali perpetuo ac immoto, non autem temporario, delegato ac mobili poſſiderent. Neque ab una Eccleſia Romana tantùm vocabuli hujus uſus proceſſit; ſed is etiam aliis Eccleſiis communis in Italia fuit. Non deſunt, qui ſcribant, nullum ruralem Diaconorum, aut Parochum, *Cardinalem* fuiſſe appellatum: ſed eos duntaxat, qui in Urbibus Epiſcopalibus Eccleſias Parochiales, aut Diaconias in Beneficium ſtabile acceperant. Ego hanc ſententiam nutare, aut ſaltem non ad omnes Eccleſias extendendam reor. Zacharias Papa Epiſtolâ 7. ad Pippinum poſtea Francorum Regem, Anno Chriſti DCCXLVII. haec ſcribit: *Simili modo & Praesbyteri Cardinales Plebi quidem ſibi ſubjectae praeclariori veſte indnti, debitum praedicationis perſolvant &c.* Ita ille de Parochis, ſeu Plebanis: neque diſtinguit inter urbanos, atque rurales. Immo *Plebis* nomine plerumque rurales tantùm Eccleſiae Baptiſmales deſignabantur. In Charta apud Ughellium Tom. 3. Ital. Sacr. in Epiſcop. Senenſibus, Raynerius Senenſis Antiſtes confirmat Lucenſi Epiſcopo Eccleſiam Sancti Martini *Cardinalem*, juxta Burgum Senenſis Civitatis poſitam. Adde etiam Johannem Diaconum Lib. 3. Cap. undecimo Vitae Sancti Gregorii Magni, haec ſcribentem: *Item Cardinales violenter in Parochiis ordinatos forenſibus, in priſtinum Cardinem Gregorius revocabat.* Ibi *Parochiae Forenſes* ſunt rurales ſeu Plebes. Ad haec poſt Annum Chriſti Milleſimum in praeſtantioribus Italiae Urbibus Cathedralium (*) Eccleſiam Canonici *Cardinalitio Titulo* reperiuntur inſigniti. Aribertus, ſive Heribertus Archiepiſcopus Mediolanenſis in Privilegio apud Puricellium in Monumentis Baſilie. Ambroſianae ad Annum MXXXII. quaedam conſtituit, *adhibitis ſibi Senioribus ſuperioris ſnae Eccleſiae Cardinalibnt, Presbyteris, & Diaconibns &c.* Tum *hoc ſcriptum ſubſcribendo firmavit, & ſuis Cardinalibus firmandum obtnlit.* Subſcribunt autem Archidiaconus, Vicedominus, Presbyteri duodecim, & Diaconi duo. At nemo ſe *Cardinalem* appellat. In altero ejuſdem Praeſulis Privilegio haec habentur: *Convocatis venerabilibus ſuae Eccleſiae Cardinalibus, Presbyteris videlicet & Diaconibus.* Et ad Annum MXXXIV. in altera Char-

(*) *Lege* Eccleſiarum.

ta ejuſdem Heriberti legimus: *Ita ut faciant Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi Cardinales de ordine Sanctae Mediolanenſis Eccleſiae de fruge &c.* Cardinales ejuſmodi paſſim appellantur *Ordinarii Sanctae Mediolanenſis Eccleſiae*: quo vocabulo, depoſito priori, adhuc diſtinguuntur Majores Metropolitani Templi Canonici, a *Presbyteris Decumanis* diverſi, qui tamen & ipſi in Paſſione Sancti Arialdi *Decumani Canonici* nuncupantur; ac propterea non fuerunt, ut aliqui cenſent, quaedam ſpecies Capellanorum. Idem Puricellius ad Annum MCV. profert Epiſtolam datam, abſente Archiepiſcopo, a Clero Mediolanenſi, cujus exordium ita ſe habet: *O linarii Cardinales Sanctae Mediolanenſis Eccleſiae, necnon Primicerius cum univerſo Sacerdotio & Clero Mediolanenſis, omniſque Populus & omnis ordo Laicorum, omnibus Sacerdotibus, & Clericis, & Laicis cujuſcumque Ordinis in Dioceſi Mediolanenſis Eccleſiae con-*

A *ſtitutis pacem & ſalutem &c.* Denique ad Annum MCXXIII. legitur Sententia promulgata *in Curte Cardinalium Majoris Eccleſiae, juxta Tribunam Sancti Stephani, qui dicitur ad Fontes.* Plura non adfero, quum fatis hinc conſtet, fuiſſe, & Eccleſiae Mediolanenſi ſuos *Cardinales*, eoſque Canonicorum Collegium conſtituiſſe, atque habitos tanquam Fratres Archiepiſcopi, a quo in ſubſidium & conſilium Eccleſiaſtici reginiinis fere ſemper adhibebantur. Eumdem quoque morem in Ravennate Eccleſia ſervatum novimus, uti Hieronymus Rubeus in Hiſtor. Ravenn. Lib. V. pag. 232. ejuſque Eccleſiae monumenta teſtantur. Ego in hanc rem Chartam unam proferam, in qua *Gualterius Archiepiſcopus* illius Urbis controverſiam dirimit inter Clerum Cathedralis Regienſis, quae tunc eidem Antiſtiti tanquam Metropolitano ſuberat, affidentibus ſibi quatuor ex *Cardinalibus* ſuis.

Sententia Gualterii Archiepiſcopi Ravennatis in controverſia vertente inter Archidiaconum & Canonicos Eccleſiae Regienſis, Anno Chriſti 1141.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Sicut ad Paſtoris curam pertinet, ſupra gregem ſibi commiſſum impigre vigilare, & quae ad animarum ſalutem ſpectant ſibi, vigilanti ſtudio miniſtrare: dum pro pace inter Reginos Cives & Capitaneos componenda, Domnus Gualterius *ſanctae* Ravennatis Eccleſiae *venerabilis* Archiepiſcopus *Regii eſſet, & in Canonica Sanctae Marie Regienſis Eccleſiae ſicut immo proprius Metropolitanus reſideret; aſſidentibus ſibi* Domno Alberio ejuſdem Eccleſiae Epiſcopo, Johanne *quoque* Ravennatis Eccleſiae Archipresbytero Cardinale, & Presbytero Fantulino Cardinale, *atque Andrea Presbytero Cantore*, Henrico Diacono Cardinale, & Buniolo Subdiacono Cardinale, *aſſantibus etiam ejuſdem Reginae Eccleſiae Canonicis & Capellanis; pluribus quoque de Archipresbyteris ejuſdem Epiſcopatus, coram eo ſedentibus: Cepit idem venerabilis Archiepiſcopus, igne caritatis divinitus accenſus, ut erat pio ac decenti eloquio eruditus, ac mira facundia repletus, profatis Fratribus ſalubra celeſtis vitae monita mirabiliter praedicare, & diverſarum ſcripturarum varia ſecula ad morum conformitatem*

tatem, & vite honeſtatem, fraterue quoque dilectionis unitatem, ac bone converſationis ordines convenientiam predicando miniſtrare, ac melliflua celeſtium eloquiorum, celitus Spiritus Sancti rore perfuſus, dulciter propinare. Tunc Achilles ejuſdem Eccleſie Archidiaconus tam de officio, quàm de beneficio Archidiaconatus coram eodem Archiepiſcopo adverſum Canonicos cepit contendere. Contra quem Ogerius Archipresbiter cum reliquis Majoris Eccleſie Canonicis, & Donnus Gratianus cum ceteris Fratribus Eccleſie Sancti Proſperi, de Beneficiis Canonicarum prebendarum, quas Bernardus quondam Archidiaconus, & Sichelmus Sancti Proſperi Prepoſitus, & poſtea Archidiaconus, non pro Beneficio Archidiaconatus, ſed prebendario modo detinuerant, & de allis inferius terminandis ceperunt proclamare. Quorum adverſum ſeſe tam allegationibus, quam contradictionibus hinc inde diligenter auditis, prefatus Archiepiſcopus, tam divinis quam humanis Legibus inſtructus, hujuſmodi ſententiam promulgavit. Videlicet Archidiaconem de omnibus allis rebus, unde inter eum & Canonicos & Fratres Sancti Proſperi controverſabatur, tacitum eſſe debere, & eoſdem Fratres quiete ſine moleſtia poſſidere. De his vero, que in Privilegiis venerabilium Epiſcoporum bone memorie Adelberti, & Sigefredi ad Beneficium Archidiaconatus declarantur pertinere, tenendum eſſe. Eo tamen tenore, quod ſi quando predictus Archidiaconus aliquid earum rerum, que a predictis Archidiaconibus aliquo titulo poſſeſſe fuere veris probationibus & argumentis tam Inſtrumentorum quam etiam teſtium, quibus fides ſit adhibenda, probare poterit ad Archidiaconatum pertinere: Fratres tam Canonice, quam Sancti Proſperi, nullam ſibi exinde inquietudinem faciant, calumpnioſis intentionibus ab utraque parte remotis. Precepit etiam, terras in uſum tugurii Canonice largitas per manus Archipresbiteri & Archidiaconi debere diſponi. Terram quoque Manſionariorum, quam idem Archidiaconus a Manſionariis emerat Eccleſie Sancte Marie debere reſtitui, & ſecundùm tenorem largitoris, per manus Archipresbiteri & Archidiaconi debere diſponi: eo tamen tenore, quod ſi poſſet probari, eaſdem terras venditorum fore, nec ad Manſionariam pertinere, Archidiaconus eas deberet habere; alioquin cum venditoribus aget de evictione. Bona vero Eccleſie, que nomine Pheodi idem Archidiaconus dederat, revocari, & ut omnem ſuam auctoritatem Archidiaconus his, quibus dederat, auferret, precepit. Precium vero Planete, Anuli, & Amulârum, quas Archidiaconus vendiderat, Eccleſie reſtitui debere judicavit: quod precium fuit ſecundùm ejus confeſſionem ſex Libre & quatuordecim Solidi, pro quorum reſtitutione quaſdam ſuas poſſeſſiones in pignore, donec debitum ſolveret, dedit Epiſcopo. Capellam preterea Sancti Jacobi ab Archidiacono fundatam, quam ſibi proprie vendicabat, que, ut leges divine & humane cenſent, in bonis nullius eſſe, quod eſt divini juris, ad Epiſcopi ſolius & Canonicorum pro velle Epiſcopi diſpoſitionem proprie judicavit pertinere. Precepit etiam, ut idem Archidiaconus pro ſuo ſpeciali ſervitio preter communes Servitores & Equos, nullum ſervitorem vel equum in Canonica de communi ad ſuum ſingulare ſervitium retineret: quod ſi vellet habere, de ſuis propriis expenſis regeret. Plebem vero Fabrice in deliberatione Epiſcopi dimiſit, ut pro beneplacito ſuo foret, utrum eidem Archidiacono eam concedere vel non concedere vellet. Hanc vero notitiam prefatus Archiepiſcopus ad futuro-

rorum memoriam fieri precepit, & prefato Andree Presbitero ſuo Cancellario ſcribendam mandavit, & proprio Sigillo firmari precepit.

Acta Regii per manus Andree Presbiteri & Cancellarii, Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Primo, die XXI. Menſis, Aprilis, Indictione IV. temporibus Domni Innocentii Pape II. & Conradi Regis *Anno III. Pontificatus Domni Gualterii Vigeſimo Tertio.*

Ego Gualterius Archiepiſcopus *hanc notitiam confirmans, quia manu propria non potui, ſubſcribi mea vice precepi.*

A *Ego Johannes Archipresbiter ſancte Ravennatis Eccleſie ſubſcripſi.*

Ego Henricus Cumiaclenſis Epiſcopus *manu mea ſubcripſi.*

Ego Fantulinus Presbiter Cardinalis *ſancte* Ravennatis Eccleſiae *ſubſcripſi.*

Buniolus Subdiaconus Cardinalis *ſubſcripſit.*

B *Ego* Divizo Saxenas Epiſcopus *manu mea ſubſcripſi.*

Ego Benno Ceſenas Epiſcopus *manu mea ſubſcripſi.*

Ego Rambertus Faventinus Epiſcopus *manu mea ſubſcripſi.*

Monogramma *Gualterii Archiepiſcopi.*

Teſte autem Rubeo in Hiſtoria Ravenn. Lib. 10. pag. 745. Anno tantùm MDLXVIII. Ravennates Canonici *Cardinalium* nomen abrogarunt. Non retieendum tamen, quod habet Alvarus Pelagius Epiſcopus Silvenſis. Scilicet ille circiter Annum MCCCXXX. in inſigni Libro *de Planctu Eccleſiae* ſcribebat: *Sunt etiam in Eccleſia Compoſtellana Cardinales Presbyteri mitrati, & in Eccleſia Ravennati. Tales Cardinales ſunt deriſui potius quàm honori.* Eodem etiam Titulo inſignitos olim fuiſſe aliquot Eccleſiae Neapolitanae Canonicos, jam-

C pridem adnotavit Antonius Caraccioius. Ughellius quoque Tom. 6. Ital. Sacr. pag. 148. tabulas adſert Sergii Archiepiſcopi Neapolitani, quibus ſubſcribunt duo *Presbyteri Cardinales Sanctae Neapolitanae Eccleſiae.* Alias etiam profert, in quibus adnotati ſunt ejuſmodi Cardinales. Iis addam & ego integram Chartam, quam mutilam ipſe produxit Tomo eodem pag. 139. ſpectantem ad Petrum ejus Urbis Archiepiſcopum. Adſervatur pergamena archetypa in Archivo Sanctimonialium Sancti Archangeli ad Bayanum Neapoli.

Charta commutationis terrarum inter Eccleſiam Neapolitanam Sanctae Reſtitutae, & Moniales Sancti Michaëlis Archangeli, Anno 1100.

IN nomine Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Imperante Domno *noſtro* Alexio *magno* Imperatore . . . . . *&*

E *Nono decimo, ſed &* Johanne Porphyrogenito, *magno* Imperatore *ejus filio, Anno . . . . Indictione Octaba, Neapoli.*

li. Certum eſt, nos cunctas Congregationes Sacerdotum & Clericorum ſalutiferæ . . . . . Congregationis Eccleſiæ Sanctæ Reſtitutæ de intus Epiſcopio ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ a præſenti die . . . . . vel commutavimus, & tradimus vobis Domna Gemma *venerabilis* Abbatiſſa Monaſterii *beatiſſimi* Michaëlis Archangeli, *quod nominatur ad Bajane Prætorio beatorum venerabilium Ancillarum Dei . . . . . Furcellenſe. Vos autem unam cum cunctis veſtra congregatione Monacharum veſtri ſancti, ac venerandi veſtri Monaſterii; vobis autem cum conſenſu & voluntate Domni Johannis, qui dicitur Falconario, & de Domno Landolfo uterinis germanis, filiis quondam Domni Gregorii Falconarii, & de Domno Sergio, qui nominatur Buccatorio, filio quondam Domni Johannis Buccatorii &c. ideſt integra petia de terra noſtra juris pertinentes ipſius noſtræ Congregationis . . . . ipſius Eccleſiæ Sanctæ Reſtitutæ, quæ nominatur Atrentula, ad illum cerrum poſita in loco qui nominatur Fullotani, cum arboribus &c. de quibus nichil nobis, nec a ſupraſcripta ſancta noſtra Congregatione exinde aliquod remanxit, aut ſervavimus, nec in aliena cujuſcumque perſona, quod abſit, commiſimus, aut jam commictimus poteſtatem &c. Et hæc Charta commutationis, ut ſupra legitur, ſit firma ſcriptura per manum Johannis Curialis per ſupraſcripta Indictione,*

Petrus Archiepiſcopus *ſubſcripſi.*

Sergius Conſul, & Dux & Protoſebaſto *ſubſcripſi.*

Aligernus indignus Sacerdos, & ſanctæ Sedis Neapolitanæ Eccleſiæ . . . ſubſcripſi.

Sergius *Archipresbyter*, & Cardenalis *ſanctæ* Sedis Neapolitanæ *ſubſcripſi.*

Petrus Archidiaconus ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ ſubſcripſi.

A *Johannes Diaconus ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ ſubſcripſi.*

Sergius Subdiaconus ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ ſubſcripſi.

Ego Johannes filius Domni Sergii teſtis ſubſcripſi.

Ego Johannes Curialis complevi, & abſolvi per ſupraſcripta Indictione.

B Et heic vides unum Neapolitanæ Eccleſiæ *Cardinalem*. Cur unus tantùm, & non reliqui, alia mihi non ſe offert cauſſa, niſi quia ille quidem, ut infra dicam, non verò cæteri, alicui etiam Parochiali Eccleſiæ, aut Diaconiæ præeſſet. Sed & Lucenſi Eccleſiæ fuere ſui Cardinales: quod etſi monumenta probent, infra a me producenda in Diſſertatione LXXIV. *de Parochiis*, peculiari tamen exemplo confirmatum heic volo. In Archiepiſcopii ejuſdem Urbis Tabulario Chartam autographam vidi, ſcriptam *Anno Domini noſtri Berengarii glorioſi Imperatoris Auguſti, Anno Imperii ejus Octavo, Nonas Septembris, Indictione XII.* ideſt Anno CCCCXXIII. in qua *Petrus Dei gratia hujus Sanctæ Lucanæ Eccleſiæ humilis Epiſcopus, una cum conſenſu Sacerdotum ſuorum, ſeo filii ipſius Eccleſiæ*, Willeradum Presbyterum præficit Eccleſiæ illi, *cui vocabulum eſt beati Sancti Vincentii, ſito foras Civitate iſta Lucenſe, ubi humatum Corpus beati Sancti Fridiani quieſcit, pertinentes ipſius Eccleſiæ Epiſchopatui Sancti Martini*. Pergamenæ ſubſcribunt *Andreas Presbyter & Cardinalis: Daiprandus Archidiaconus: Benedictus Presbyter & Cardinalis: Sichardus Presbiter & Cardinalis & Primicerius: Natalis Presbiter & Cardinalis: Teupertus Presbiter & Cardinalis*. Reliquos præterco. Placentinæ quoque Eccleſiæ ſuos Cardinales non defuiſſe,

ſe, complures Chartae a Campio editae in Hiſtoria illius Eccleſiae oſtendunt. Idem in Veronenſi & Florentina animadvertas. Locus ſubobſcurus occurrit in Itinerario Ratherii celebris Epiſcopi Veronenſis, ſcripto circiter Anno Chriſti CCCCLXV. En ejus verba. *Ad quod quum Titularios omnes, & illos de Plebibus paratos, Deo gratias, inveniſſem, vos Cardinales, qui ut quondam Scribae, & Phariſaei populares, ita iſtos in perditionem mittitis omnes, ita hinc manere adhuc cerno rebelles.* Glariſs. Mabillonius Saeculo V. Benedictino, pag. 486. *Titularios, Beneficiatos* interpretatur: *illos de Plebe, Paroeciarum Rectores: Cardinales* verò, *qui ſcilicet in Eccleſia Cathedrali incardinati erant.* Sed videndum, an *Titularii* potius appellati fuerint Parochi Urbis Veronenſis: *Plebani*, Parochi rurales: *Cardinales*, Canonici Cathedralis. Infra de *Titulis* loquar. Quae ſententia ſi firmo pede ſtet, intelligimus, neceſſe minime fuiſſe, Canonicos alicui Parochiali Eccleſiae praefuiſſe, ut *Cardinalitio* titulo fruerentur. Verùm, uti praefatus ſum, tenebroſus videtur is locus. Et quando Mabillonii interpretatio probanda ſit, quum non alii *Plebium* Rectores mihi credantur, quàm Parochi matricibus Eccleſiis ruri praefecti: ſub nomine *Cardinalium* venirent Canonici, qui ſimul urbanarum aliquot Paroeciarum fuiſſent Rectores. In Concilio Meldenſi, Anno DCCCXLV. Canone 66. ſtatutum videas: *Ut Titulos Cardinales, in Urbibus, vel Suburbiis conſtitutos, Epiſcopi canonice & honeſte ordineut, & diſpouant.* Ita ex vetuſtis monumentis novimus, fuiſſe Cardinales in Eccleſiis Conſtantinopolitana, Aquilejenſi, Beneventana, Piſana, Aſtenſi, Bergomate, Senenſi, Vercellenſi, Capuana, Salernitana, Aurelianenſi, Viſontina, Magdeburgenſi, ac Londinenſi, ut alias omittam.

Ego verò ab ea opinione nondum diſcedo, quam ſupra innui, videlicet Cardinales illos, qui extra Eccleſiam Romanam iis temporibus occurrunt in nonnullis Eccleſiis, Parochos etiam fuiſſe, aut alicui Capellae aut Diaconiae praefectos, non verò meros Canonicos: hoc eſt ſingulis eorum ſimul ſacrae alicujus Aedis titulum fuiſſe collatum. Apud Ughellium Tomo 3. Ital. Sacr. in Epiſcop. Florentin. ſubſcribunt Inſtrumento exarato Anno Chriſti DCCCCLXIV. nonnulli Florentinae Eccleſiae *Canonici*, uno hoc titulo decorati; at quinque ex eis ſe *Canonicos, & Cardinales* inſcribunt. Cur diſcrimen iſtud? niſi quia illi tantum Canonici, hi & Canonici & Parochi, quorum nempe regimini Eccleſia aliqua commendata fuerat. Alteram Chartam refert ibidem Ughellius, Anno MLXXIII. ſcriptam, in qua Raynerius Florentinae Eccleſiae Epiſcopus Monaſterio Ancillarum Dei confert ſive confirmat *Eccleſiam Sancti Johannis Baptiſtae Cardinalem, in honorem Sanctiſſimi Petri, non longe a Florentina Urbe poſitam ad Orientalem Portam.* Scilicet, ut ego interpretor, Eccleſia illa ad ea uſque tempora ad Cathedralem Eccleſiam Sancti Johannis Baptiſtae pertinuerat, & Canonico regenda tradebatur, qui propterea *Cardinalis* titulum ex illa Eccleſia referebat. Ita Anno Chriſti MCVIII. Raynerius alter, Senenſis Epiſcopus, Canonicis Lucenſibus Sancti Frigidiani tradidit *Eccleſiam Sancti Martini Cardinalem, juxta Burgum Senenſis Civitatis poſitam, ejuſque Eccleſiae Xenodochium.* Haec autem Eccleſia ex

iis

iis erat, quae Rectori ſtabili titulo ibi manenti, *Cardinalis* titulum conferebant. In Tabulario Capituli Canonicorum Regienſium exſtant Literae Petri Epiſcopi, quibus ille unam *Plebem* ruralem, & alteram *Eccleſiam* urbanam Archipresbytero majoris Eccleſiae pro more Praedeceſſorum ſuorum confirmat. Quibus ille verbis uſus fuerit, animadverte ex ipſo textu, quem ex Hiſtoria Regienſi MSta Fulvii Azzarii deſcripſi.

Bulla Petri Regienſis Epiſcopi, confirmantis Porſilio Archipresbytero Cathedralis Eccleſiae Plebem de Cerreto, aliaque jura, Anno 1188.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ejus Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Octavo, die Mercurii ultimo exeunte Menſe Madii, Indictione VIII. Petrus *Dei gratiâ ſanctae* Regienſis Eccleſiae Epiſcopus, *ac proviſor indignus. Si dignus noſtrorum fidelium prebuerimus aſſenſum, devotionis fidelitatis . . . . eos aſſerre minime dubitamus: unde omnibus ſanctae Dei Eccleſiae, noſtriſque fidelibus, praeſentibus ſcilicet, & futuris notum fore volumus, quendam Eccleſiae noſtrae* Canonicum & Archipresbyterum *eidem Eccleſiae* * *nominae* Porſilium *noſtram ſupplex petendo addiſſe fraternitatem, quatenus ei anticum Beneficium, quod habuernnt Archipresbiteri a noſtris Predeceſſoribus confirmaremus, & novum largiremur. Unde tua fili Archipresbiter, ſervicia conſiderantes,* Plebem de Gereto cum Capella ſua de Monticello, & Eccleſiam Sancti Petri de Civitate Regii cum omni jure ſuo, *& omnibus pertinentiis, & Manſum de Cadregnano in Curse Albineti, qui detinetur per Artiolum & Martinum & conſortes eorum, & medium Manſum in Maſenzaticu, qui detinetur per Oldevrandos & Tinellum, & Manſum unum in Civitate in Plebe Quarantule, qui detinetur per Rodulfinum & ejus conſortes, & Manſum de Brolo, qui eſt in Inſula Luzariae, qui detinetur per filius Gandulfi de Cella, & eorum conſortes, & Manſum unum alium in eadem Inſula, qui eſt in Villa, quae dicitur Villa Giberti Rataldi, & detinetur per Faletinos & Tulius: quae omnia cognovimus anteceſſores tuos detinuiſſe, noſtra largitate concedimus, largimur, & confirmamus tibi, & tuis ſucceſſoribus in perpetuum. Inſuper dunando addimus tibi ac tuis ſucceſſoribns in perpetuum Decimam, quam habemus in Curte Rivi juxta Campaniolam, quae colligitur per Ciriolum; ut habeas in perpetuum tu Archipresbiter Porſilius, & tui ſucceſſores, & fruaris cum omnibus acceſſionibus, & ingreſſibus & redditibus eorum, & earum in integrum, ſine omni noſtra, noſtrorumque Succeſſorum contradictione vel moleſtatione: & facias quicquid tibi oportunum fuerit. Si quis autem hanc noſtrae conſtitutionis, largicionis, confirmationis paginam infringere temptaverit, maledictionem Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti habeat. Et ut hoc verius habeatur, & firmius ab omnibus Succeſſoribus noſtris credatur, propria manu noſtra firmavimus; & hoc per Janellum filium quondam Aimerici Notarium noſtrum Tabelionem fieri juſſimus.*

Actum Regii in Capella Sancti Andree feliciter.

Teſtes rogati interſuerunt Joannes Reduſus Reginae Eccleſiae Canonicus, Albertus Cambiatore.

Ego Petrus Reginus Epiſcopus *ſubſcripſi.*

Ego Janellus, ſacri Imperii Notarius rogatus interfui, & haec omnia ſcripſi, complevi, & dedi.

Quod Porfilio Archipresbytero Cathedralis Regienſis factum vides ab Antiſtite Petro, idem quoque opinari licet factum ab aliis Epiſcopis erga alios Canonicos, quos propterea non tantùm appellare conſueverunt *Canonicos*, ſed & *Cardinales*. Proinde quum legimus Diplomate Caroli Craſſi Auguſti, Anni DCCCLXXXIII. & in altero Ludovici III. Auguſti, Anno DCCCCI. Bergomati Eccleſiae conceſſo, moleſtiam nullam inferendam eſſe *Monaſteriis, Xenodochiis, vel Eccleſiis Baptiſmalibus, aut Cardinalibus, ſeu Oraculis &c.* ejuſdem Eccleſiae, ſub titulo *Cardinalis Eccleſiae* intelligere debemus Capellas Parochiales, aut Diaconias; latior quippe ſignificatio fuit vocis *Cardinalis*, quàm *Baptiſmalis*. Idem, ſed aliis verbis repetitum videas in Diplomate Arnulfi Regis Anno DCCCXCV. ubi immunitas conceditur *Plebibus, Monaſteriis, Titulis, Curtibus &c.* Bergomatis Eccleſiae. Ita in Diplomate Ludovici II. Auguſti apud Campium, Tomo primo, pag. 460. Hiſtor. Eccleſiae Placentinae, eadem formula occurrit in *Plebibus, ſeu Monaſteriis, Titulis aliiſque Eccleſiis, vel domibus &c. Titulorum* nomine veniunt urbanae Eccleſiae Parochiales: uti ſub *Plebium* vocabulo Eccleſiae Baptiſmales rurales. Scilicet Capitulo ſuorum Canonicorum Epiſcopi conferre conſueverunt Eccleſias quaſdam, ſive Parochiales ſive Diaconales. Parochiales collatae quibuſdam ex ipſis Canonicis Titulum *Cardinalis* eiſdem proprium adferebant. Et revera Adelbertus Epiſcopus Bergomas Anno DCCCCVIII. Canonicis ſuis, eorumque Collegio contulit *Baſilicam beati Caſſiani Martyris Chriſti, ſitam infra Civitatem, ea ratione, ut ſingulis diebus refectio fiat Presbytero & Diacono & Subdiacono & Oſtiario, qui hebdomadam in ipſa cuſtodierint Eccleſia.* Immo ullum vix fuit olim Canonicorum Collegium, ad quod non ſpectarent variae in ſuis Urbibus Eccleſiae. Neque enim tunc nefas fuit, duas Praebendas habere, aut geminis Eccleſiis uno tempore famulari. Quum ergo Lotharius II. Italiae Rex, Tom. V. Ital. Sacr. confirmat *ſanctae Cumanae Eccleſiae gregi* (hoc eſt, Canonicis Novocomenſibus) *tam de Cardine, quamque omnibus Sacerdotibus, Cluſas & Pontem de Clavenna*, explicanda haec eſſe videntur, ut ex ipſis Canonicis quidam *Cardinales* eſſent, hoc eſt titulo ſingularis alicujus Eccleſiae donati; reliqui verò duntaxat *Canonici*. Exemplum Sanctae Romanae Eccleſiae, cujus aemulatione quadam, aut ſi mavis, imitatione, ducebantur illuſtriores in Italia Eccleſiae, edocere nos poteſt, quid ſentiendum nunc nobis ſit *de Cardinalibus* reliquis, qui per Italiam occurrunt in veterum monumentis. Nimirum liquet, non minus noſtris, quàm antiquis temporibus, Romanae Eccleſiae Cardinales Titulo alicujus Eccleſiae fuiſſe in Urbe inſignitos; atque in ea ſi Presbyteri erant, veros fuiſſe Parochos; ſi verò Diacones, aut Subdiacones erant, creditae ſibi alicujus Diaconalis, ſive Subdiaconalis Eccleſiae veros fuiſſe, proprios, ac ſtabiles Rectores. Atque heic poſſet aliquis laudare Bullam Johannis III. Papae, Anno Chriſti

ſti DLX. ſcriptam, quam Turrigius evulgavit in Libro de Cryptis Vaticanis Part. 2. Cap. 8. in qua ait: *Eccleſiam duodecim Apoſtolorum* (nunc *Sancti Apoſtoli*) *Titulum Cardinalatus conſtituimus, nec non & Parochiam, ſicut ceteri Titnli Urbis habent &c.* Sed ſunt, quae Bullam illam recentiorum Saeculorum foetum indicant: quod & ſapiunt verba ipſa nunc adducta, & *peccatorum remiſſio Capituli hujus, & Privilegii obſervatoribus & coadjutoribus condonata*, ut alia praeteream. Dubiis hiſce documentis minime opus eſt ad agnoſcendam Cardinalium Sanctae Romanae Eccleſiae, ac Titulorum in Urbe antiquitatem. Quum verò *Titulum* audis, rem admotatione dignam non praeteribo. Videlicet hoc nomine donatas olim fuiſſe *Eccleſiae Parochiales* duntaxat, non verò *Diaconias*. In Romana Synodo Anni DCCCLIII. mentio eſt *Titulorum, vel Diaconiarum*. Et in Annalibus Eccleſiaſticis Cardinalis Baronii ad Annum DCCCLXXXII. exhibetur Conſtitutio Johannis VIII. Pontificis Maximi de Cardinalibus, ubi haec verba: *Bis in Menſe, vel eo amplius, vel apud illum vel illum Titulum, ſive apud illam Diaconiam, ſive apud alias quaslibet Eccleſiae vos convenire mandamus*. Ubi diſerte vides ſub *Titnli* vocabulo venire Parochiales quidem Eccleſias, non autem Diaconias. Tum Anaſtaſius de Evariſto Papa ſcribit: *Hic Titulos in Urbe diviſit Presbyteris*. Idem repetit in Sancti Marcelli Papae Vitâ, & alibi. Et profecto Bullas quamplurimas Romanorum Pontificum ſive editas ſive ineditas vidi, quibus ſubſcribunt ſanctae Romanae Eccleſiae Cardinales, Praesbyteris *Titulum* ſuae Eccleſiae praeferentibus, non verò Diaconis. Exempli cauſâ Bullam Adriani IV.

A Papae vidi pro Monaſterio Pompoſiano, *Datam Romae apud Sanctum Petrum, per manum Rolandi ſanctae Romanae Eccleſiae Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, V. Idus Aprilis, Indictione III. Incarnationis Dominicae Anno MCLV. Pontificatus verò Domni Adriani Papae IV. Anno Primo*. Huic poſt Epiſcopos ſubſcribunt.

B *Ego Guido* Presbiter Cardinalis Titulo *Sancti Griſogoni*.

Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis Titulo *Sanctae Praxedis*.

Ego Mathias Presbyter Cardinalis Titulo *Sanctae Savinae*.

Ego Julius Presbyter Cardinalis Titulo *Sancti Marcelli*.

Ego Octavianus Presbyter Cardina-
C lis Titulo *Sanctae Caeciliae*.

Ego Girardus Presbyter Cardinalis Titulo *Sancti Stephani in Celio Monte*.

Ego Johannes Presbyter Cardinalis *Johannis & Pauli* Titulo *Pamachii*.

Ego Johannes Presbyter Cardinalis Titulo *Sanctorum Silveſtri & Martini*.

Ego Rodulphus Diaconus Cardinalis *Sanctae Luciae in Septiſolio*.

D *Ego Gerardus* Diaconus Cardinalis *Sanctae Mariae in Via Lata*.

Ego Odo Diaconus Cardinalis *Sancti Nicolai in Carcere Tulliano*.

Accipe, & alterum exemplum. Ughellius in Appendice ad Tomum Quinctum Ital. Sacr. primae editionis, Bullam Lucii II. Papae evulgavit pro Alberio, ſive Alberone Epiſcopo Regienſi, ſcriptam Anno Chriſti MCXLIV. ſed omiſſis Cardinalium ſubſcriptionibus, quae ita ſe habent.

E *Ego* Lucius Catholicae Eccleſiae Epiſcopus *ſubſcripſi*.

Ego Conradus Sabinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Gregorius Cardinalis Sanctorum Sergii, & Bacchi ſubſcripſi.

Ego Gregorius Cardinalis Tituli *Sancti Sixti ſubſcripſi.*

Ego Ymarus Tuſculanus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Petrus Albanus ſubſcripſi.

Ego Thomas Presbyter Cardinalis Titulo *Veſtinae ſubſcripſi.*

Ego Ubaldus Titulo *Sanctae Praxedis ſubſcripſi.*

Ego Manfredus Presbyter Cardinalis Titulo *Sanctae Savinae ſubſcripſi.*

Ego Nicolaus Presbyter Cardinalis Titulo *Sancti Ciriaci ſubſcripſi.*

Ego Guido Diaconus Cardinalis *Sanctorum Coſmi & Damiani ſubſcripſi.*

Ego Rodulphus Diaconus Cardinalis *Sanctae Luciae in Serabulis ſubſcripſi.*

Ego Johannes Diaconus Cardinalis *Sancti Adriani ſubſcripſi.*

Ego Gregorius ſanctae Romanae Eccleſiae Diaconus *ſubſcripſi.*

Ego Hugo Romanae Eccleſiae Diaconus *in Sancta Lucia in Horſia.*

Alias Bullas in hoc ipſo Opere produxi: plurimas item habes in Bullario Caſinenſi Margarini, in Italia Sacra Ughellii, & Tomo primo Veter. Scriptor. Martene, ut alios omittam. Ibi Cardinales Presbyteri, ideſt Parochialis alicujus Rectores, *Titulum* ſuum indicant; atque ab eo abſtinent Diaconi. Quare ſi quando occurrant nonnullae aliae Bullae apud nuper memoratos Scriptores, in quibus Diaconi quoque *Titulum* praeferant, diligentiùs inquirendum erit, num ita in autographis legatur, an potius Librariorum incuriâ, aut audaciâ *Titulus* ille Diaconorum ſubſcriptioni fuerit adjectus. Mihi non vacat intimius in quaeſtionem iſtam penetrare.

Antiquis autem Seculis acceſſerunt etiam ad veterum Cardinalium A Romanorum ehorum quidam Epiſcopi Romanae Urbi contermini, ac demum exteri etiam Epiſcopi, ſed Titulo alicujus urbanae Eccleſiae donati: ex quibus Ordinibus tandem conflatum eſt ampliſſimum a multis Seculis, & nunc Eminentiſſimum ſanctae Romanae Eccleſiae Cardinalium Collegium. Animadvertendum ergo B eſt, olim Presbyteros Urbis Cardinales, utpote qui eſſent Parochi, ad reſidentiam obligatos fuiſſe; idque deduci ex Romana Synodo Anni DCCCLIII. ſub Leone IV. Papa, ubi *Anaſtaſius*, non ille quidem, cui Vitas Romanorum Pontificum adſcribere ſolemus, ſed alter *Tituli Sancti Marcelli Presbyter Cardinalis* depoſitus C eſt, eo quod *Parochiam* ſuam *per annos quinque* contra Canonum inſtituta deſeruiſſet. Quo exemplo lueulentius oſtenditur, *Cardinalem*, ac *Titularem alicujus Eccleſiae*, idem olim fuiſſe, quum contra nullus Canon ad reſidendum adigeret reliquos Presbyteros aut Diaconos non Titulares, hoc eſt ſive Vicarios, ſive D Capellanos, aut alteri mobili miniſterio addictos. Illud etiam animadvertendum, antea, hoc eſt Anno DCCLXIX. in altera Synodo Romana interdictum fuiſſe, *ne ullus unquam praeſumat Laicorum, neque ex alio Ordine, niſi per diſtinctos gradus aſcendens, Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad ſacrum Pontificatus honorem poſſit promoveri.* Haec Anaſtaſius E Bibliothecarius in Vita Stephani IV. Papae, quem *Tertium* alii appellant. Iridem in Eccleſia Romana olim erant *Cardinales ſeptem Collaterales, & Hebdomadarii, quod ſingulis Hebdomadis explerent munus Pontificis*, ut habetur ex antiqua Notitia, a Baronio edita ad Annum MLVII. Quod & ab ipſo Anaſtaſio antea memoratum

fuerat

fuerat in Vitâ ejuſdem Stephani IV. Papae. His praemiſſis, facile intelligamus, quid cenſendum ſit de Cardinalibus quoque ceterarum illuſtrium Eccleſiarum Italiae. Johannes VIII. Papa Anno DCCCLXXIX. dedit Epiſtolam 221. ad Clerum Mediolanenſis Eccleſiae, ut Anſperto Archiepiſcopo rejecto, ad electionem alterius procederent, eumque deligerent, *qui de Cardinalibus Presbyteris aut Diaconibus* (utique Mediolanenſis Eccleſiae) *dignior fuerit repertus*. Eadem habet Arnulphus Mediolanenſis Lib. primo Cap. primo Hiſtoriae ſuae. Rurſus ad Annum MLIII. refert Puricellius tabulas, in queis *Hebdomadarii Majoris Ordinis* occurrunt, iidem certe ac *Ordinarii Cardinales* Mediolanenſis Eccleſiae: hos autem *Cardinalibus Hebdomadariis* Romanae ſimiles puto. Mediolanenſes tamen Cardinales fuiſſe Canonicos Majores Metropolitanae Eccleſiae, Charta nuper laudata nos docuit, quum ibi legatur: *Conſtituerunt, ut Ordinarii in Eccleſia Majore, ita ipſi in Monaſterio integrum adimplerent Officium*; ac propterea in aliis tabulis dicuntur *Sanctae Mariae Cardinales*. Quod ſi contendas, nunquam fuiſſe Canonici nomen inditum Romanis Cardinalibus, ego tibi objicio Ordericum Vitalem Eccleſiaſtic. Hiſtor. Lib. 4. pag. 516. apud Du-Cheſnium Scriptor. Normann. Nempe is narrat, Alexandrum II. Papam Anno MLXIX. miſiſſe ad Guillielmum Angliae Regem duos *Canonicos Cardinales*, quos idem aperte etiam vocat *Cardinales Romanae Eccleſiae*. Ceterum Cardinales etiam Mediolanenſes alicujus Eccleſiae titulo olim inſignitos fuiſſe conjicere poſſumus ex monumento vicinae Eccleſiae, nempe Ticinenſis, quod nunc evulgare congruum duco, deſumtum ex pervetuſto exemplo exiſtente in Archivo Epiſcopii Ticinenſis.

Diploma Hugonis & Lotharii Regum Italiae conceſſum Liuteſredo Epiſcopo Ticinenſi, Anno, ut creditur, 943.

IN *nomine Sanctae & individuae Trinitatis*. Hugo & Lotharius *divina providente clementia* Reges. *Regum decet excellentiam, ſanctis ac venerabilibus Locis ex ſuis largiri, & largita confirmare, ac ſub defenſionis munimine cuncta corroborare. Quapropter omnium Sanctae Dei Eccleſiae fidelium, noſtrorumque praeſentium ac futurorum noverit ſolertia, qualiter petitione & interventu* Sigefredi Parmenſis Epiſcopi, *atque* Eliſiardi Comitis, *beato Syro ſacerrimo Confeſſori, ſuaeque ſanctae Ticinenſi Eccleſiae, cui* Luithefredus Praeſul *praeeſſe videtur, omnes res & familias, Abbatias, videlicet, Plebes & Cortes, cunctaque quae ad eamdem Ticinenſem Eccleſiam pertinere vel reſpicere videbantur, eo tempore, quo eadem Ticinenſis Civitas caelitus furore miſſo conſumpta eſt, per hoc noſtrum Praeceptum concedimus, largimur, confirmamus, & corroboramus, nominative videlicet Abbatiam in honore Domini Salvatoris in Campanea, non longe a Ticino ſitam; Sanctaeque Mariae ad Perticam; & Sancti Michaëlis, quae dicitur Major; Sancti Romuli; & Sanctae Chriſtinae; Sanctaeque Muſſiolae;* omneſque Cardinales Capellas tam extra, quam infra Urbem *poſitas; necnon etiam Monaſterium Vetus, Annonis, & Sigemarii, & unum Monaſterium in Cariade; Cortes*

ses etiam Ceticimam, Montem Velleris, Summi, Sarianum, Robuſchaletam, Cugulo, Teneſi; & ſuper Latum Cumanum, Cernobium, Menaſi, & Maximo, que eſt in Valle Tellina; verum etiam & Vada Piſcaria, atque Petrus, ideſt Navicella Epiſcopi, & Portum Scularitium in Ticino. Inſuper etiam concedimus, ut a Portu Ticini uſque ad Portum, qui dicitur Burigo, & a capite Vernabulae uſque ad Vadum Farigenicum. Inſulis & piſcationibus & molendinis, cum omnibus, quae dici & nominari poſſunt ſubra ipſas fines, ſint in jure & poteſtate praelibatae Eccleſiae; & neque Ripaticum, neque Terraticum, neque Teloneum, neque Palificturam, neque aliquam functionem ullo in loco ad publicam Partem perſolvat, ſed cuncta ſicut jam dictum eſt, ante incendium Ticinenſis Urbis, undecumque aut quomodocumque eadem Titinenſis Eccleſia inveſtita fuit ſeu per Precepta a noſtris Praedeceſſoribus, ſeu per quaecumque Inſtrumenta Cartarum a fidelibus tollata, per hoc noſtrum Praeceptum concedimus, largimur, confirmamus, & corroboramus una cum Monaſteriis, Abbatiis, Curtibus, Plebibus, Sortibus, Maſſaritiis, Servis & Ancillis, Aldionibus & Aldianis, omnibuſque rebus, quae dici vel nominari poſſunt, ad eamdem Titinenſem Eccleſiam pertinentibus, in integrum concedimus: etiam ut ſi ex quibuſlibet rebus vel familiis praefatae Eccleſiae aliqua contentio orta fuerit, per inquiſitionem trium bonorum hominum ex filiis ejuſdem Eccleſiae per ſacramentum confirmetur, quod pars ipſius Eccleſiae, unde inveſtita fuerit, & ſit firmiter in poſterum poſſideat. Statuentes itaque jubemus, ut nullus Dux, neque Marchio, Comes, etiam Vitecomes, Scudacius, vel aliquis Miniſter publicus, aut aliqua perſona diſveſtire, aut invadere de rebus praedictae Eccleſiae ſine legali judicio, Teloneum quoque, aut ullam publicam functionem exigere, aut Manſionaticum praeſumtive accipere audeat; ſed eadem Eccleſia cum rebus atque familiis, noſtrae, noſtrumque Succeſſorum defenſionis munimine perfrui, & pacifice manere queat. Si quis igitur hoc noſtrum Praeceptum violare tentaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras mille, medietatem Camerae noſtrae, & medietatem Vitario ipſius Eccleſiae, ſuiſque Succeſſoribus. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, de anulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari.

Signa Dominorum Regum HVGO REX *Hugonis atque Lotharii.*

Giſeprandus Cantellarius ad vicem Boſonis Epiſcopi Archicantellarii recognovi, & ſubſcripſi.

Confirmantur heic Epiſcopo *omnes Cardinales Capellae*. At quid aliud has opinari poſſumus, niſi Eccleſias, quarum Titulum quiſquis obtinebat, *Cardinalis* deinde appellabatur? Neque negotium faceſſat *Capellae* vocabulum, quo Oratoria tantùm deſignari videntur; nam uti in Diſſertatione

ne LXXIV. *de Parochiis* oſtendam, Capellae interdum appellabantur ipſae quoque Parochiales Eccleſiae. Praeterea nunc addo, Paſchalem II. Papam in Bulla, qua Anno MV. Privilegia confirmat Guidoni Epiſcopo Ticinenſi apud Ughellium Tomo primo Ital. Sacr. pag. 21. Appendicis, in haec verba loqui: *Sane Monaſteriis, aut Capellis aliquibus, praeter Matricem Eccleſiam, Baptiſmum generalem fieri penitus prohibemus:* quae itidem confirmata fuere in altera Bulla Honorii III. Papae data Anno MCCXVII. Hinc autem intelligas, *Capellarum* nomine Eccleſias etiam Parochiales Ticinenſi in Urbe ſignificari, quibus interdicitur Baptiſmi collatio, atque uni Cathedrali reſervatur, utpote cui ad hoc ſingulare munus erat Eccleſia Sancti Johannis ad fontes fabricata: qui mos in nonnullis aliis Civitatibus olim invaluit & nunc etiam obtinet. Adjunctam his nunc volo Chartam alteram, in qua innuitur fundatio Baſilicae Sanctae Mariae, quae nunc *Sancta Maria Falcorina* Mediolani appellatur, Collegio Sacerdotum, juribuſque Parochialibus decorata. Chartam deſcripſi ex MSto Codice Franciſci Caſtelli in Ambroſiana Bibliotheca adſervato.

Donatio Eccleſiae Sanctae Mariae facta Mediolani Fulcuyno ejus fundatore, Anno 1107.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Henricus *gratia Dei* Rex, *Anno Regni ejus Quarto, VIII. die Menſis Octobris, Indictione ingrediente VI. Manifeſte profiteor ego* Fulcuynus, *filius bonae memoriae Bernardi de Civitate Mediolani, qui profeſſus ſum ex natione mea, Lege vivere Salica. Ego namque habeo aedificatam* Capellam *unam juris mei in terra propria mea intra hanc Civitatem prope locum, ubi Theatrum nominatur,* in honore Sanctae Dei Genitricis Mariae, *quae eſt Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ubi nunc Presbiteri tres ibidem ordinati, & Officiales eſſe videntur. Propterea praevidi ordinare & judicare ipſam Capellam, & medietatem ex omnibus rebus illis juris mei rejacentibus in loco & fundo Vicogeni, quae eſt medietas Manſos duos. Primum rectum & laboratum per Protaſium, & alium per Lunfredum: & ſunt ipſae res nominatae per ſedimina per menſuram perticarum ſex, de vineis juges tres, de campis per menſuram juges triginta, de pratis juges quatuor, de ſilvis caſtaneis juges tres, de ſilvis ſullareis & roboreis, ſeu zerbis juges decem, Eo ordine, ut ſic exinde permaneant a praeſenti & deinceps, qualiter ego hic ſubtus ſtatuero & judicabo pro animae meae remedio; ita ut ipſa Capella in mea ſit poteſtate ad faciendum qualiter mea decreverit voluntas. Tamen volo & judico, ut unum ex ipſis Manſis ſupra dictis rejacentibus in eodem loco, quod rectum & laboratum eſſe videtur per jam dictum Protaſium, preſentialiter deveniat in poteſtatem illius Presbyteri, qui major eſſe videatur in eadem Baſilica, ad faciendum ex frugibus, vel cenſum redditum, quibus ex ipſo Manſo annue exierit, uſufructuario nomine; eo tamen ordine, ut ſi Presbyter, & Diaconus, ſeu Subdiaconus, atque Magiſter Ebdomadarius, & Lector Primicerius, ſeu Lectores duo, & Clericus, atque Schola Sancti Ambroſii in Vigilia in*

in Nativitate Sanctae Mariae ad Veſperum canendum in eadem Baſilica venerint, quae venit in ipſa Vigilia ſeptimo die Menſis Septembris, ab ipſo Majori Presbytero fruges & vinum accipiant. Inſuper ſi mane pſallendo in eadem Baſilica advenerint, & ibidem Officium Miſſae celebraverint ſecundùm conſuetudinem, Clerici panem & vinum accipiant, & ipſi Septimanarii ab ipſo Presbytero invitati prandium accipiant. Prandio finito det ipſe Presbyter Cardinali Presbytero *Denarios ſex, Diacono ſex, Subdiacono quatuor, Magiſtro Ebdomadario tres, Primicerio Lectorum tres, duobus Lectoribus binos Denarios, Clerico Denarium unum, praedictae Scholae Sancti Ambroſii panes quinque ſegalitios, caſei Libras duas, vini Sexſtarios duos, Cuſtodibus duos frumentitios panes, & duos ſegalitios, caſei Libram unam, vini Seſtarium unum. Haec autem omnia adimpleantur pro animae meae remedio. At ſi evenerit, quod ipſe praedictus Presbiter, Sathanâ compellente, ſicut ſuperius a me dijudicatum eſt non adimpleverit, eodem anno eamdem Capellam perdat: neque in antea ejuſdem Eccleſiae fungatur Officio; fruges verò, & de cenſu ſuprafcripto Manſo ipſo anno in poteſtate* Cardinalis Presbiteri, *& Diaconi deveniant uſque ad expletum annum, eo ordine, ut quod ſacrilegus Presbiter neglexit, ab Septimanariis recuperetur. Expleto itaque anno Presbiter, qui ſecundo a primo in eadem Capella praeordinatum eſſe videatur, ad ipſum Manſum recipiatur, & adimpleatur quod a me dijudicatum eſt. Et ſi quis Presbiter deinceps hoc neglexerit, ſempiternaliter id ipſum patiatur detrimentum. De reliquo Manſo, ut ſupra legitur, qui rectum eſſe videtur per ipſum Lunfredum, a praeſenti die deveniat in manibus & poteſtatem ipſorum trium Presbiterorum, qui in ipſa mea Capella Offitiales & praeordinati fuerint, faciendum tam ipſi, quàm eorum poſteris de frugibus & cenſu, qui exinde exierint, inter ſe aequaliter ad eorum uſum & benedictionem quamcumque voluerint pro animae meae remedio, quia ſic eſt mea voluntas. Quae autem res, ut ſupra legitur, cum ſuperioribus & inferioribus ſuorum, confinibus & acceſſionibus ſuis in integrum ab hac die in antea volo ego Fulcuynus, ut ſic exinde permaneat, qualiter ego Fulcuynus ſuperius judicavi. Et taliter per cultellum, wantonem, waſone terrae, & frondes arborum, ſeu feſtuchum nodatum, pars ejuſdem Baſilicae Sanctae Mariae legitimam facio traditionem, & corporalem inveſtitam habendum & tenendum, ſicut ſupra habere inſtituì, ſine mea, meorumque heredum contradictione. Et me exinde foris waſpivi de rebus ipſis a parte ejuſdem Baſilicae, & abſentem me facio. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe Fulcuynus, quod abſit, vel ullus de heredibus ac proheredibus meis, ſeu quiſlibet noſtra ſuppoſita perſona contra hoc meum teſtamentum ire, aut eum irrumpere quaeſierimus, tunc componamus ad partem ejuſdem Baſilicae, & eoſdem Presbiteros multa, quae eſt paena, auro optimo ontias tres, & argenti pondera ſex, & quod repetierimus, vindicare non valeamus; ſed praeſens haec Carcula Judicati diuturnis temporibus firmum, & inconvulſum permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. Et pergamela cum atramentario de terra levavi; Arialdi Notarius & Judex ſacri Palatii dedi, exſcribere rogavi, & ad teſtibus roborandum.*

Actum ſuprafcripta Civitate Mediolani.

Fulcuynus a me ſuſcripſi.

Leo

Leo Judex ſacri Palatii rogatus ſubſcripſi.

Lanfrancbus Notarius ſacri Palatii rogatus ſubſcripſi.

Signum ✠ ✠ manibus Marini & Arduini, Pater & filius, Lege viventes Saliſcha, teſtes.

Ego qui ſupra Arialdus Notarius, & Miſſus Domni Secundi Conradi Regis, autenticum hujus exempli vidi, & legi, & ſic in eo continebatur, ſicut in iſto legitur exemplo, præter litera plus vel minus.

Ego Gualdricus Paliarius Notarius ſacri Palatii autenticum &c.

Ego Suzo Judex de Marliano autenticum &c.

Ego Paſſiguerra Judex autenticum &c.

Ego Petrus ſacri Palatii Notarius, qui dicor Abbas hoc exemplum ex autentico exemplavi, & ſic in eo &c.

A

B

C

D

Et ut quæ *Capella* dicebatur, poſtea *Baſilica* non ſemel appellatur, ut jam intelligere poſſis interdum non tantùm Oratoria, ſed & nobiliores Eccleſias hoc nomine donatas, ac facile has *Cardinales Capellas* tum Papiæ, tum Mediolani Canonicis majoris Ordinis conlatas, Cardinalitium Titulum iis peperiſſe. Atque ad ejuſmodi uſum alluſiſſe videtur Sanctus Johannes Gualbertus, ut eſt in Cap. 3. Vitæ illius, editæ ad diem XII. Julii a Clariſſimis Patribus Soc. Jeſu in Actis Sanctorum. Is enim Monachos ſuos *prohibuit accipere Capellas, ad hoc quod aliquando a Monachis regi deberent. Canonicorum non Monachorum hoc eſſe officium dicebat.* Vide etiam in ſubſequenti Diſſertatione verba Concilii III. Aurelianenſis. Ac proinde non incongrue ſtatui jam poſſe videtur, ideo *Cardinalium* nomenclaturâ ornatos olim fuiſſe quarumdam Urbium Canonicos, quod Rectores quoque forent Eccleſiæ alicujus Cardinalis, in eâdem plerumque Urbe ſitæ. Fortaſſis etiam nihil opus fuit, ut Eccleſia illa Baptiſmalis foret. Et revera Diaconias Cardinales olim non fuiſſe Baptiſmales arbitror. Neque Baptiſmales quævis inter Cardinales Eccleſias recenſebantur: nam plerumque Urbanis tantummodo Parochiis & Diaconiis hic titulus conferebatur. Idque etiam elucere videtur ex Diplomate Caroli Graſſi, ſpectante ad Annum DCCCLXXXI. apud Campium Tomo primo, pag. 467. Hiſtor. Eccleſiæ Placentinæ, ubi hæc verba: *Cum Monaſteriis, & Cellis, vel Eccleſiis Baptiſmalibus, quæ intra Civitatem præditam Cardinales habentur, ſive quæ extra Civitatem exiſtunt.* Sed hiſce adjungenda eſt Charta ex Archivo Metropolitanæ Senenſis depromta, quam communem mecum voluit mei, dum vivebat, amantiſſimus vir Hubertus Benvoglientus, ſæpe in hoc Opere laudatus.

Donatio a Rodulpho Epiſcopo Senenſi facta Capitulo Canonicorum Senenſis Eccleſiæ, Anno 1081.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Octuageſimo Primo, IV. die Novembris, Indictione V. Beatiſſimæ venerabilis Regulæ Canonicæ Sanctæ Marie Senenſis Epiſcopatus, in qua, nos Deo defendente, Domnus Lambertus Archipresbiter præeſſe videtur, omnibuſque Canonicis ibidem regulariter viventibus. Ego quidem in Dei nomi-

E

☧ *Ubertus Vicedominus ſubſcripſi.*

✠ *Ego Vicido Clericus & Primiterius interfui & ſubſcripſi.*

✠ *Ego Raimundo Abbas ſubſcripſi.*

✠ *Ego Rodulfus Medicus & Clericus ſubſcripſi.*

✠ *Ego Azzo Archidiaconus ſubſcripſi.*

✠ *Rollandus Clericus, & Prior Stole ſubſcripſi.*

✠ *Ego Joannes Medicus ſubſcripſi.*

✠ *Ego Andreas Clericus ſubſcripſi.*

✠ *Ego Martinus Clericus, & Canonicus ſubſcripſi.*

Ego Rollandus Judex ſacri Palatii ſubſcripſi.

Ego Rollandus Judex ſacri Palatii interfui & ſubſcripſi.

Subſcripſit factis his Wido jure peractis.

Signum ✠✠✠✠✠✠✠ *manuum Patroni, & Amtonini germanis filiis quondam Johanni Vicedomini, & Rainerius filius quondam Punizoni, Willelmulo filius Civitucci, & Purporini germano ſuo, & Vividuccio filius quondam Corboli Olive, & Rozzi filius quondam Baldrighi rogati teſtes.*

Ego Rolandinus Judex ſacri Palatii interfui manu mea ſubſcripſi.

✠ *Ego Rainaldo ſubſcripſi.*

✠ *Ego Capo ſubſcripſi.*

✠ *Ego Maizo* M *ibi fui & ſubſcripſi.*

Ego Ruſticus Presbiter & Plebanus Canonice de Punzano ſubſcripſi.

Ego Leo Presbiter, & Plebanus Sancte Innocentie ſubſcripſi.

Ego Guido Presbiter, & Plebanus Marmoriu ſubſcripſi.

Ego Ceccio Presbiter & Plebanus de Saturgnano ſubſcripſi.

Ego Petrus Presbiter & Plebanus de Carli ſubſcripſi.

A *Ego Martinus Presbiter & Plebanus de Sancto Juſto ſubſcripſi.*

Ego Leus Presbiter Sancti Valentini ſubſcripſi.

Ego Wido Presbiter & Plebanus de Valli ſubſcripſi.

Ego Pepo Presbiter & Plebanus de Gragina ſubſcripſi.

Ego Stefanus Praesbiter & Plebanus B *de Sciata ſubſcripſi.*

Ego Joanni Presbiter & Plebanus de Lornano ſubſcripſi.

Ego Benedictus Presbiter & Plebanus de Ancajano ſubſcripſi.

Ego Arnulfus Presbiter de Lentiſculo ſubſcripſi.

Ego Bonizo Presbiter de Cardine Sancti Laurentii *ſubſcripſi.*

C *Ego Petrus* Canonicus, & Cardine Sancta Petronilla *ſubſcripſi.*

Cardine Sancti Donati & Ilariani Presbiter *Bonofilio ſubſcripſi.*

Ego Presbiter de Sancto Martino ſubſcripſi.

Ego Presbiter *Grimaldo* de Cardine Sancti Georgii *ſubſcripſi.*

Ego Teuzo Presbiter & Plebitaneus D *de Liliano interfui & ſubſcripſi.*

Ego Johannes Presbiter de Cardine Sancte Eugenie *ſubſcripſi.*

Ego Petrus Notarius & Judex ſacri Palatii, poſtradita complevi, & dedi.

Heic tenebrae. Primo Canonici nonnulli ſubſcribunt, & nemo ex eis *Cardinalem* ſeſe inſcribit. Succedunt E *Plebani* complures, & de iis ne ullus quidem *Cardinalis* dicitur. Parochos Baptiſmalium Eccleſiarum extra Urbem ſitarum vox iſta ſignificare conſuevit. Sed ubinam Parochi Urbani? Fortaſſis in Urbe Senenſi, praeter Cathedralem Eccleſiam, nulla alia tunc temporis Baptiſmum conferebat. Fuerunt etiam Civitates, quae Capellanos amovibiles pleroſque, pau-

Gualterii Archiepiſcopi Ravennatis Bulla, per quam Dodonem Epiſcopum Mutinenſem conſtituit Cardinalem Ravennatis Eccleſiae, traditâ ei Eccleſiâ Sanctae Agnetis, Anno 1122.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Dominice Incarnacionis Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Secundo, temporibus Domni Caliſti Pape, & Inrichi Imperatoris, *die XV. Menſis Madii Indictione XV. Ravenne.* Gualterius *ſervus ſervorum Dei, divinâ gratiâ* Archiepiſcopus, Dodoni Motinenſis Eccleſie Epiſcopo, *atque ſancte* Ravennatis Eccleſie Presbitero Cardinali, *& pro te, tuiſque Succeſſoribus Epiſcopis, qui per tempora in Eccleſia Mutinenſi fuerint in perpetuum, largimur & concedimus, conſencientibus* Fratribus noſtris Gardinalibus, Presbyteris *videlicet*, Diaconibus, & Subdiaconibus, *preſente etiam & aſſante* Ildebrando Epiſcopo Comiaclenſi, *& preſentibus multis aliis Clericis & Laicis, ideſt* Eccleſiam Sancte Agnetis *Virginis, & Martiris, poſitam in ac Civitate Ravenne in Regione Ercnlana juſta Orologium, cum omnibus rebus & poſſeſſionibus ſuis tam in ac Civitate Ravenne, quamque foris: ut ab ac ora in futnro liceat tibi, tniſque Snceſſoribus predictam Eccleſiam cnm omnibus rebus, & poſſeſſionibus ſuis ordinare, & diſponere. Et non liceat tibi, neque tnis ſnceſſoribus predictam Eccleſiam cnm rebus & poſſeſſionibus ſnis vendere, neque donare, vel comutnare, ant alio modo alienare, vel in alio venerabili Loco relinquere per nllum ingenium, vel argumentnm: ſed ad lucrum, & ntilitatem* ſub Titulo Cardinalatus *tibi tuiſque Succeſſoribus in perpetuum permanendam. Ita* A *tamen, nt tu, & ſucceſſores tui ab inc in poſtremnm quocienſcnnque Eccleſiam Ravennatem viſitaveritis*, & loco & officio Cardinalium fungi debeatis tu & ſucceſſores tui in perpetuum, *nt ſupra dictum eſt.*

Quam precepcionis noſtre paginam Gerardns Notarins ſancte noſtre Ravennatis Eccleſie ſcribendum juſſimus, in B *qua nos ſubſcripſimus bujus ſnb die, Menſe, ſupraſcripta Indicione, in Dei nomine, Ravenne.*

✠. LEGIMVS .✠.

✠ *Ego Johannes Archipresbiter ſancte Ravennatis Eccleſie*, & Cardinalis Sancti Petri majoris Tituli, *ſubſcripſi.*

C ✠ *Ego Johannes* Presbiter & Cardinalis Sancti Salvatoris *manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Johannes* Presbiter & Cardinalis *ſubſcripſi.*

Ego Roduſfus Diaconus Cardinalis *ſnbſcripſi.*

Ego Albertus Diaconus Cardinalis *ſubſcripſi.*

D *Ego Paulns* Diaconus Cardinalis *ſnbſcripſi.*

Ego Paganus Diaconus ſubſcripſi.

Ego Guido Primicerius Subdiaconorum ſnbſcripſi.

Ego Azo Subdiaconns ſubſcripſi.

Ego Wilelmus Diaconus ſubſcripſi.

Ego Sigefredus Subdiaconus Cardinalis *ſubſcripſi.*

E *Ego Randoinns Subdiaconns ſubſcripſi.*

Ego Belliclns Subdiaconus ſubſcripſi.

Eju-

Ejuſdem Gualterii Archiepiſcopi Ravennatis altera Bulla, per quam concedit Eccleſiam Sancti Mammae nuper memorato Epiſcopo Mutinenſi Dodoni, Anno 1122.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione Domini Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Secundo, temporibus Domni Caliſti Pape *&* Einrici Imperatoris, *& Viceſimo ſexto Menſe Julii, Indictione Prima, Ravenne.* Gualterius *ſervus ſervorum Dei, divinâ gratiâ* Archiepiſcopus *ſancte* Ravennatis Eccleſie, Dodoni Epiſcopo *ſancte* Mutinenſis Eccleſie, *&* Cardinali Sancte Agnetis, *tibi, tuiſque Succeſſoribus Catolicis, pro ſalute anime mee, remiſſione peccatorum meorum. Ex conſenſu* Cardinalium, *atque Cantorum, aliorumque fidelium meorum, concedo, dono, atque confirmo tibi, tuiſque ſucceſſoribus, & predicte Eccleſie Sancte Agnetis,* Capellam *ſcilicet* Sancti Mame, *cum omnibue pertinenciis ſuis, & cum oblationibus vivorum, quamque & mortuurum, atque cum toto Manſo ſuo, cum terris & vineis, campis, ſilvis, arbuſtis, arboribus, & cum omnibus ſibi pertinentibus, conſtituta teritorio Livienſi, Plebe Sancti Panchraci, trado hec & concedo in predicta Eccleſia Sancte Agnetis, & tranſacto in perpetuum; ea denique condicione preſixa, ut ſupraſcriptas res veſtris expenſis ſeu laboribus renovare, & in omnibus meliurare Deo debeatis adjutore. Ita tamen quod nec unquam preſens Preceptum aut predictas res alicui omini dare, vel vendere, ſeu transferre aut oponere, vel comutuare, aut Eccleſie Sancte Agnetis auferre, ſeu in alio veuerabili Loco relinquere audeatis per ullam occaſionem neque ingeuium vel argumentum: ſet ad lucrum & utilitatem tuorumque ſucceſſorum, ſicut ſuperius legitur. Et liceat tibi, tuiſque ſucceſſoribus poteſtatem abere ordinandi & diſponendi in omnibus, tam iu ſpiritualibus quàm & iu temporalibus, prout vobis melius viſum fuerit. Et ſi quis predictam rem tollere aut diſtraere a vobis, vel ab Eccleſia Sancte Aguetie agere preſumpſerit, ſit anathema & maranata, & cum Juda traditore damnetur, niſi reſipuerit ad ſupplicium eternum. Et ego ſupraſcriptus Archiepiſcopus cum meis Succeſſoribus tibi tuiſque Succeſſoribus ſupraſcriptas auctoriare & defendere promitto, ſub pene auri Unciarum decem, & ſolutâ penâ maneat firmum. Quam vero Precepti paginam Raimberto Notario ſancte neſtre Raveunatis Eccleſie ſcribendam juſſimus, ſub die, & Menſe, & Indictione ſupraſcripta Prima, Ravenne.*

✠ LEGIMVS

Ego Guido Archidiaconus confirmans ſubſcripſi.

Ad latus Chartae hujus autographae, pone exordium, ſcriptae ſunt Notae Chronologicae, Diei, Menſis, Anni, & Indictionis: quem ritum, fortaſſe ſingularem, Ravennatis Cancellariae, in aliis bene multis pergamenis inſpexi. Et ſane eamdem praerogativam per multos ſubinde annos confirmarunt Archiepiſcopi Ravennates Mutinenſibus Epiſcopis, uti conſtabit e tabulis ſubſequentibus, quae authenticae & ipſae in Chartario Capituli Canonicorum Mutinenſium aſſervantur.

Gerar-

Gerardus Archiepiſcopus Ravennas Eccleſiam Sanctae Agnetis, & Capellam Sancti Mammae, in Forolivienſi Dioeceſi poſitam, confirmat Henrico Epiſcopo Mutinenſi, Anno 1172.

IN nomine Domini. *Ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Septuageſimo ſecundo; die penultimo Menſis Aprilis, Indictione V. Ravenne in Palatio Domni Archiepiſcopi.* Gerardus *divinâ gratiâ ſancte* Ravennatis Eccleſie Archiepiſcopus Henrico Mutinenſi Epiſcopo, *dilecto Confratri noſtro, tuiſque Succeſſoribus Catholicis in perpetuum do & confirmo atque concedo tibi, tuiſque ſucceſſoribus Precepta & Cartulas donationis, que olim fecerunt* Gualterius, Moyſes, & Anſelmus *Predeceſſores mei beate memorie & pie recordationis* Dodoni, & Bibaldo *Anteceſſoribus tuis tueque Mutinenſis Eccleſie. Ideſt de* Eccleſia Sancte Agnetis, *& de* Capella Sancti Mame, *cum omnibus pertinentiis ſuis, cum oblationibus ſuis vivorum & mortuorum, atque cum toto Manſo ſuo, cum terris, vineis, arbuſtiis, arboribus, atque cum omnibus ſibi pertinentibus, conſtituta teritoria Livienſi, Plebe Sancti Panoracii. Et confirmo atque concedo in Eccleſia Sancte Agnetis totum hoc, quod predicti Anteceſſores mei tibi, tuiſque Anteceſſoribus dederunt in Corte noſtra, que vocatur Ruſſi, & Braide: quantum tenent heredes quondam Petri Tabellionit & fratres ejus Bonivitini & Marie conſobrine eorum, a primo latere iſtius petie terre Piſſinullus; a ſecundo latere detinent heredes Guidonit Munfredi de jure ſancte noſtre Ravennatis Eccleſie; a tertio Vitalis de Fuſcardo noſtro jure; a quarto latere ultra flumen Strata Fantina: & aliam petiolam terre, quam detinent heredes quondam Albertini, & Johannis Murigara; & in ſupraſcripta Curte unam petiam terre, quam tenebant Petrus Villanus, & Petrus Cinamus, & Fuſtolinus. Confirmamus omnes ſupraſcriptas res jam dicte Eccleſie Sancte Agnetis tibi, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum: ita tamen quod numquam ſupraſcriptas res alitui homini dare vel vendere, aut opponere vel transferre aut commutare, aut ſupraſcripte Eccleſie Sancte Agnetis auferre, aut per feudum, vel beneficium alicui dare, aut in alio venerabili Loco relinquere audeatis per ullum ingenium vel argumentum: ſed ad lucrum & ad utilitatem veſtram, & Clericorum jam dicte Sancte Agnetis, ibi aput ipſam Eccleſiam habitantibus, & divinum Officium aſſidue facientibus. Et in his omnibus ſupraſcriptis habeas integram poteſtatem ordinandi & diſponendi in omnibus, tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus, prout vobis melius viſum fuerit. Et non liceat mihi, nec meo Succeſſori, nec alitui homini, contra hanc noſtram confirmationem aliquam litem, vel contrarium, aut aliquam minorationem de ſupraſcriptis rebus facere. Et ſi quis fecerit, aut de ſupraſcripta re totam, vel partem tollere, aut diſtrahere vel minuere a vobis, vel ab Eccleſia Sanctae Agnetis ſecundùm ea, que diximus, anathema trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum vinculo feriatur, & cum Juda traditore dapnetur, niſi reſipuerit. Et ego ſupraſcriptus Gerardus Archiepiſcopus una cum meis ſucceſſoribus tibi, tuiſque ſucceſſoribus ſupraſcriptas res ab omni perſona hominis defenſare & auctorizare promitto ſub pena auri Unciarum*

diarum decem, & ſolutâ penâ maneat hec conceſſio firma. Quam vero paginam conceſſionis, & confirmationis Ego Ubaldus Ravenne Tabellio, & Notarius ſancte Ravennatis Eccleſie ſcripſi atque complevi.

✠ LEGIMVS

✠ *Ego Henricus ſanctae Ravennatis Eccleſie Archidiaconus ſubſcripſi.*

✠ *Ego Manſredus* Presbyter Cardinalis *ſubſcripſi.*

✠ *Ego Teuzo* Diaconus Cardinalis *ſubſcripſi.*

✠ *Ego Ugo* Diaconus Cardinalis *ſubſcripſi.*

✠ *Ego Morandus* Diaconus Cardinalis *ſubſcripſi.*

✠ *Ego Ugo ſancte Ravennatis Eccleſie Prepoſitus ſubſcripſi.*

✠ *Ego Mazolinus Diaconus & Cantor ſubſcripſi.*

Ego Jacobus Diaconus & Cantor ſubſcripſi.

Ego Presbiter Johannes, & Cantor ſubſcripſi.

Ego Johannes Diaconus & Cantor ſubſcripſi.

Ut igitur haec monumenta produnt, Mutinenſes Epiſcopi olim cenſebantur inter Cardinales Eccleſiae Ravennatis, eo quod conlata eis fuerat Eccleſia Sanctae Agnetis Ravennae ſita, cujus Titulus *Cardinalitius* erat. Idem in Romana Urbe, ut ſupra dixi, factum fuit: nam & remotarum partium Epiſcopis datus eſt Titulus alicujus Eccleſiae Cardinalis in Urbe, iique propterea adlecti in Collegium ſanctae Romanae Eccleſiae Cardinalium. Ita in Meldenſi Concilio Anni DCCCXLV. Canone 54. nominatos videas *Titulos Cardinales*, hoc eſt, A Eccleſias, quas qui in Beneficium recipiebat, *Cardinalis* dicebatur. An Mediolani, aliiſque in Urbibus, ubi Cardinalium nomen ac dignitas diutiſſime viguerunt, hoc idem praeſtitum fuerit, exploratum certe non habeo; ſed conjecturae, ut dixi, non deſunt, quae ſuadeant. Reliqua ad Cardinales ſanctae Romanae B Eccleſiae ſpectantia, & quandiu ipſis praeceſſerint Epiſcopi, & quando ſacrâ Purpurâ, biretto, & pileo rubeo uti coeperint, aliaque ad inſigne illorum munus pertinentia, aliunde petat Lector. Neque enim argumentum hoc ab aliis jam uberrime pertractatum, ego ex profeſſo diſcutiendum ſuſcepi. Hoc unum monebo, C in Ambroſiana Mediolanenſi Bibliotheca Codicem MStum adſervari cum hocce titulo: *Liber de ſtatu, auctoritate, & poteſtate Reverendorum in Chriſto Patrum & Dominorum ſanctae Romanae Eccleſiae Cardinalium, & de eorum Collegio ſacroſancto.* Compoſitus fuit Liber *Romae Pontificatus Domini Eugenii Papae Quarti Anno Decimoſexto*, ideſt MCCCCXLVI. D *per venerabilem Patrem Magiſtrum Bernardum de Roſergio in Theologia Magiſtrum, & utriuſque Juris Doctorem, Canonum Comitem in alma Univerſitate Studii Toloſani, illuſtrem effectum Praepoſitum Metropolitanae Eccleſiae Toloſanae; praefato ſacro Collegio per eumdem Actorem publicatus & oblatus eodem Anno, in* E *Palatio Sancti Petri Romae.* Liber non mediocrem eruditionem praefert, & luce dignus, niſi jam lucem viderit. Quid denique in Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalibus circiter Annum MCCCXXX. deſideraret Alvarus Pelagius Epiſcopus ſupra laudatus, ex ejus Lib. 2. Cap. 16. *de Planctu Eccleſiae*, Lector intelliget.

DE

DE CANONICIS.

DISSERTATIO SEXAGESIMASECUNDA.

DISSERTATIO
SEXAGESIMASECUNDA.

QUi in Eccleſiaſtica Eruditione verſati ſunt, ſatis jam noruot, vel antiquis poſt Chriſtum Seculis uoamquamque Eccleſiam (matriceem intelligo, ſive Cathedralem, & Parochiales) ad ſuum mioiſterium varios delegiſſe Presbyteros, Diaconos, & Clericos, qui ejuſdem gremio inſerti, atque albo inſcripti, perpetuo famulatu illic Deo ac Populo inſerviebant. Paucis erant contentae Parochiales Eccleſiae, multis Eccleſia Cathedralis; atque ita conſormatus Clerus iſtius, ut Collegium conſtitueret, ac ſormam quamdam Senatus, cujus eaput Epiſcopus fuit. Erant autem ejuſmodi Clero alimeota ex Eccleſiae reditibus, uti & Epiſcopo atque Pauperibus. Adſtabant autem praecipui Sacerdotes, & Diaconi Epiſcopo ad ſacra miniſtranda, & ad varias Eccleſiaſtici regimioris opportunitates. Aderant & Epiſcopalibus Conciliis; majoriſque momenti negotia oon ſine illorum conſilio expediebantur. Attamen in ſacra ejuſmodi Republica noodum quidem perſpicis, niſi levia lineamenta *Canonicorum*, de quibus ounc mihi futurus eſt ſermo. Eorum originem plerique ſtatuunt poſt Annum a Chriſto nato

A Septingenteſimum, immo etiam ſeriùs apud Fraocos, unde in Italiam ſenſim poſtea penetravit laudabilis illorum inſtitutio. Mihi tamen videtur altius repetenda illorum origo, ipſamque ex Italia aequius eſſe arceſſendam. Scilicet Seculo Chriſti Quarto mihi paene certum eſt, Euſebium Vercellenſem Epiſcopum, virum ſanB ctiſſimum (uti Saoctus Ambroſius Epiſtola nunc *63.* olim 82. & Auctor Sermonis olim *69.* eidem Ambroſio tributi, quem Saoctum Maximum puto, nos jam docuerunt) ſacri hujus Inſtituti fundamenta jeciſſe. Nam Clerum ſuum ad inſtar Monachorum in unam atque eamdem domum aggregavit, omnibuſque communem menC ſam fecit: & quod pluris faciendum eſt, eoſdem ſub certis regulis ad auſterioris vitae diſciplinam, atque ad omoium Virtutum curriculum ita inſtruxit, ut Clerici ejus Eccleſiae Monachi, eorum verò aedes Monaſterium plane viderentur. Neque heic adſentior Clariſs. Thomaſſino, qui Part. I. Lib. 3. Cap. 4. de Beoeſiciis, in eam ſeoteotiam ſertur, ut eredat noo Clericos illic Mooachorum more vixiſſe, ſed quidem Monachos pro Clero munia omnia Eccleſiaſtica peregiſſe. Quae ille adſert ex Ambroſio, atque ex memorato Sermone, opiniooi meae nequaquam adverſantur. Manifeſte verò eamdem

ſtatuere poſſunt, quae nunc ſubjiciam. Edidi ego Tomo (*) IV. Anecdotor. Latinor. nonnullos alios Sermones de *Sancto Euſebio*, quorum Auctor dicitur *Sanctus Maximus*. In eorum Septimo pag. 82. vetuſtiſſimus ille, & ferme aequalis Panegyriſtes haec de eodem Sancto viro habet: *Hic docuit intra unius diverſorii ſeptum varios cohabitantium mores in unam coire concordiam; tantaque apud illos fuit vienſura & diſciplina vivendi, ut quotidiano adreſcente profectu habitaculum illud non jam diverſorum Congregatio Clericorum, ſed Conſacerdotum Collegium videretur, in tantùm, ut tamquam de ſeminario optimi germinis per complurimas Civitates expetentibus Populis largiretur lectiſſimos de ſua inſtitutione Patres. Erat enim in omnibus tanto principe praecedente, ſpiritalium officiorum indefeſſa ſedulitas, parſimoniae ſobrietatiſque ſanitas, Caritatis dulcedo, manſuetudinis gratia, cuſtodia caſtitatis.* Ex his intelligis, factam ab Euſebio *diverſorum Congregationem Clericorum*, non autem Monachorum; eoſque ita unanimi ſtudio ac diſciplinâ ſimul vixiſſe, ut *Conſacerdotum Collegium* dicere potuiſſes, hoc eſt *Coëpiſcoporum: Sacerdotis* enim appellatione iis temporibus fere Epiſcopi uni deſignabantur. Et ſiquidem *Sacerdotis* vocabulo *Presbyteros* intelligendos duntaxat putes, memineris etiam velim, quàm rari tunc eſſent Monachi ad Presbyteratus Ordinem evecti. Attamen rurſus eumdem Auctorem audi in Sermone 9. de eodem Sancto viro in haec verba loquentem: *Ut univerſo Clero ſuo ſpiritualium inſtitutionum ſpeculum ſe celeſte praeberet, Omnes illos ſecum intra unius ſeptum Habitaculi congregavit, ut quorum erat unum atque indiviſum in Religione propoſitum, fieret Vita, Victuſque Communis. Quatenus in illa ſanctiſſima Societate vivendo invicem ſibi eſſent converſationis ſuae & judices & cuſtodes &c.* Nullum heic de Monachis verbum: immo de unis *Clericis* apertiſſime eſt ſermo. Quamobrem quum Sanctus Ambroſius in Epiſtola ſupra memorata inquit, in Clero, ſive in *Eccleſia Vercellenſi* ſervatam fuiſſe *Monaſterii continentiam, & Monachorum inſtituta:* & rurſus, quum Auctor Sermonis Sancto Ambroſio attributi ſcribit; *eoſdem Monachos inſtituit, quos Clericos:* nihil aliud haec ſignificant, niſi Vercellenſem Clerum ad inſtar Orientalium Monachorum fuiſſe a Sancto Euſebio compoſitum, nempe ad communem vitam, & ad omnium Virtutum profeſſionem.

Statuendum ergo Canonicorum ſpecimen primo in Italia ſub Sancto Euſebio Vercellenſi Epiſcopo apparuiſſe, videlicet conjunctam in Clero Seculari Monaſticam vivendi formam. Atque ex hujus ſanctiſſimi Antiſtitis fonte credendus eſt hauſiſſe Sanctus Auguſtinus Regularem illam morum ac vitae communis normam, quam is poſtea in Hipponenſem Eccleſiam invexit, inſtituto Clericorum, hoc eſt Presbyterorum & Diaconorum Eccleſiae ſuae inſervientium, veluti Monaſterio, ſive Seminario. Cum iis ſemper Auguſtinus, Poſſidio teſte in ejus Vitâ, unâ domo, unâ mensâ, ſumtibuſque communibus alebatur, & veſtiebatur; & quemadmodum in primitiva Eccleſia ſub Apoſtolis factum, nihil proprium ſed omnia inter Clericos ſuos voluit communia. *Monaſterium* Poſſidio appellatur ſacra ejuſmodi Congregatio, non quod revera Monachi eſſent, quales tunc Oriens bene multos habebat, & Sanctus Martinus Seculo eodem, quo San-

(*) In hac Edit. noſtra T. XI. P. II.

Sanctus Euſebius floruit, in Italiam invexit, ac poſtea Sanctus Benedictus meliori ſucceſſu inſtituit; ſed quod Clerici ii Monachorum more in ea ſocietate pie ac religioſe degerent, ac voluntariam potiſſimum paupertatem exercerent. *Monaſterii* nomen aedibus quoque Canonicorum poſtea tributum, non uno exemplo infra oſtendemus. Sed ut non tam ſero Canonicos in Eccleſia Dei inſtitutos edifcas, conſule poſtremas tabulas Bertichramni Epiſcopi Cenomannenſis circiter Annum Chriſti DCXV. confectas, ut eſt in Vitis Antiſtitum Cenomannenſium apud Mabillonium. Ibi memoratur *Agericus Epiſcopus Turonenſis*, qui portionem *Villae*, *quae Sancti Martini fuit nobis vendidit, & venditionem eam Canonicis ſuis nobis fecit*. Vides jam ſub initiis Septimi Saeculi a Chriſto nato, Turonenſe Sancti Martini *Monaſterium* excultum fuiſſe a *Canonicis*. Accedat etiam teſtis vetuſtior Gregorius ejuſdem Turonenſis Eccleſiae Epiſcopus, rerum ſuae Civitatis certe peritiſſimus. Ille nimirum in Vitis Patrum & Lib. 10. Hiſtor. Francor. commemorat *Menſam Canonicorum* in Eccleſia *Bituricenſi*; atque in *Turonenſi*: ita ut habeamus vel ipſo Seculo Sexto apud Gallos nomen ſaltem *Canonicorum*, fortaſſis & Inſtitutum. Ad haec infra vide Concili Tertii Aurelianenſis locum. Praeterea in nuper laudatis Cenomannenſium Praeſulum Vitis Charta occurrit Lonegiſili Monachi, ſcripta Anno Chriſti DCXXV. in qua pollicetur, ſe perſoluturum *ad opus Canonicorum* Cenomannenſium *duo modia Vini ad caritatem faciendam*. Ergo tunc etiam nomen & Collegium *Canonicorum* in uſu fuerit oportet. Et in Chartis quidem ſubſequentibus Seculi Septimi in eodem Chronico, ipſorum *Canonicorum* mentio recurrit. Quare ex ejuſmodi Eccleſiis petitum omnino videtur exemplum atque ipſum nomen Canonicorum, qui Seculo Octavo in aliis Eccleſiis inſtituti fuere, & quorum praeſtantiſſimus Ordo latius Saeculo Nono per Gallias, per Italiam, & per reliqua Chriſtianorum regna pervaſit. Potiſſimùm verò ex ejuſmodi ſtudio meritum apud Deum, magnamque apud homines famam ſibi conquiſivit Chrodogangus Metenſis Epiſcopus. Is enim teſte Paullo Diacono in Vitis Epiſcoporum Metenſium, ut diſciplinam ſacram in Eccleſia ſua reſtauraret, Pippino regnante in Galliis, *Clerum adunavit, & ad inſtar Coenobii intra Clauſtrorum ſepta converſari fecit, normamque eis inſtituit, qualiter in Eccleſia militare deberent: quibus annonas vitaeque ſubſidia ſufficienter largitus eſt; ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis ſolummodo officiis excubarent. Ipſumque Clerum abundanter lege divina, Romanâque imbutum cantilenâ, morem atque ordinem Romanae Eccleſiae ſervare praecepit*. Habes heic veram imaginem Canonicorum poſtea celebrium, in Metenſem Eccleſiam jam tunc inductorum. Et quoniam ad eum uſque diem nullis certis, ſcriptiſve legibus ſancta haec inſtitutio regebatur, primus fuiſſe traditur Chrodogangus, qui *Normam*, hoc eſt *Regulam Clericorum*, ſive *Canonicorum* conſcripſit in Concilio poſtea Moguntinenſi Anno Chriſti DCCCXIII. laudatam. Is verò non ad communem tantùm vitam Clericos ſuos adtraxit, ſed etiam ad laudes Dei in Choro canendas, prout Romae in uſu jam erat. Incongruum nempe, ut opinor, vir ſumme pius arbitratus eſt, Monachos in ſuis Templis (Pſalmos decantando, & Hymnos) cum tanta aedifi-

aedificatione Populi vacare divinis rebus quotidie, Templum verò praecipuum ſuae Urbis hujuſmodi carere decore. Porro ſenſim ſub eodem Pippino ejuſque filio Carolo Magno, propagatum eſt per Gallias Canonicorum inſtitutum, curantibus praecipue ipſis religioſiſſimis Regibus, ut unaquaeque Cathedralis Eccleſia Canonicos ſuos haberet.

Cur verò appellati ii fuerint *Canonici*, non facile ſtatuas. Nonnulli cenſent, iis obveniſſe hoc nomen, quia *Canoni*, ſeu Matriculae Eccleſiae adſcripti ex ejuſdem Eccleſiae ſtipendiis alerentur. Putant alii, ideo denominatos, quod *Canones*, ſive *Canonicas Regulas* arctius obſervandas ſibi ſuſciperent; aut quod *Canonice*, hoc eſt, *Regulariter* viverent. *Canonicus* enim *Regularem* ſignificat, ut ſic Clerici illi a reliquis diſtinguerentur, qui domi ſuae nullà adſtricti Regulà verſabantur. Denique aliis ea opinio placuit nuncupatos ita Clericos illos, quod a *Canone frumentario*, ſeu a ſportulis, ac reditibus Eccleſiae victum perciperent. Ego in ancipiti relinquam originem nominis, quando rem ipſam tenemus. Id exploratum eſt, eos *Canonicorum* appellatione donatos, qui *Regulam Clericorum* profeſſi intra Clauſtrum unum communis vitae formam eligebant, ac Deo laudes in Choro concinentes, Virtutibus, aliiſque Eccleſiaſticis muniis operam dabant, Seculares adhuc, & non Monachi: Monachorum tamen vitam ac diſciplinam non modicà ex parte aemulantes. Hinc *Horae Canonicae* appellatum divinum Officium, ab hiſce Clericis quotidie ſtatis horis decantatum. Hinc *Canonica*, ſcilicet domus, aut *Canonicae* hoc eſt, aedes, nuncupatum eſt Clauſtrum illud, quod ab ejuſmodi Clericorum Collegio incolebatur. Nihil autem eſt, quod ego in hanc rem congeram varia monumenta ex Capitularibus Regum Francorum, aut ex Conciliis habitis in Gallia ſub Imperatoribus Francis. Jamdiu hoc praeſtitit Eruditiſſimus vir Ludovicus Thomaſſinus ſupra laudatus, Part. I. Lib. 3. Cap. 9. de Beneficiis. Unum pro omnibus ſit decretum Eugenii II. Papae in Synodo Romana Anni DCCCXXVI. Cap. 7. apud Labbeum, Tom. 8. Conciliorum: *Neceſſaria res exiſtit, ut juxta Eccleſiam Clauſtra conſtituantur, in quibus Clerici diſciplinis Eccleſiaſticis vacent. Itaque omnibus unum ſit Refectorium ac Dormitorium &c.* Haec de omnibus Sacerdotibus & Clericis uni Eccleſiae addictis conſtituta videntur; ſed praecipue *Canonicos*, Sacerdotes & Diaconos reſpiciunt, quorum inſtitutio tunc maxime fervebat. Et ſane *Clerici* potiſſimum iis temporibus appellati fuere *Canonici*, ut exemplis multis confirmare poſſem. Sed progredi neceſſe eſt. Quod nunc omnino animadvertendum, etiamſi Pippino, ejuſque filio Carolo Magno, jugis cura ſtudiumque fuerit, ut per unamquamque Civitatem propagaretur Canonicorum inſtitutio, eorumque vita a ſuccreſcentibus vitiis identidem purgaretur: attamen Ludovico Pio Imperatori, Caroli Magni Auguſti filio, praecipue tribuendum, quod aucta ſit ac efflоruerit, non in Galliis ſolùm, ſed & per omnem fere Italiam, egregia haec in Clero norma vivendi. Is ergo in Concilio Aquiſgranenſi Anni DCCCXVI. indixit Patribus, ut ex variis Canonibus, ſanctorumque Patrum Libris colligerent, quidquid pertinere videretur ad recte inſtituendam Clericorum vitam; & Regulam *Canonicis* & *Canonicabus* ſervandam in ſacro illo con-

conventu conſtituendam curavit. Nullum denique lapidem non movit, quo ſacra Canonicorum Collegia ubique efformarentur, ac virtutibus efflorerent. Extant apud Labbeum Tom. 7. Concilior. Acta illius Synodi, ibique ſingula referuntur ad eoſdem Clericos atque Canonicos rite inſtituendos ſpectantia. Idem verò Imperator in Capitulari Anno eodem edito apud Baluzium, Tom. I. pag. 564. Capitular. Reg. Francor. in haec verba loquutus eſt: *Quia verò Canonica profeſſio a multis partim ignorantiâ, partim deſidiâ dehoneſtabatur, operae pretium duximus, Deo annuente, apud ſacrum conventum ex dictis Sanctorum Patrum in unam Regulam Canonicorum & Canonicarum congerere, & Canonicis, vel Sanctimonialibus ſervandam contradere, ut per eam Canonicus Ordo abſque ambiguitate poſſit ſervari &c.* Amalarius Diaconus, inter Scriptores Eccleſiaſticos perquam celebris, hanc in rem prae ceteris inſudavit, Ademaro teſte in Chronico ſuo ad Annum DCCCXVI. Tanta ergo Imperatoris piiſſimi cura, tantumque Patrum Aquiſgranenſium ſtudium, brevi effecit, ut in Italia quoque ſenſim inſtituta fuerint Canonicorum Collegia eo ſucceſſu, ut vix ulla ſaltem Cathedralis Eccleſia tandem fuerit, ubi Canonicorum Congregatio non haberetur, ſub eodem Clauſtro, & ad eamdem Menſam convivens. Nam quod cenſet eruditiſſimus Du-Cangius in Gloſſar. Latin. ad vocem *Canonici*, iis etiam Saeculis inſtitutos fuiſſe *Canonicos Regulares*, hoc eſt, qui Regulam Sancto Auguſtino attributam obſervarent, & a *Canonicis Saecularibus* diverſi eſſent, vereor, ut id ſolidis fundamentis nitatur. Dicebantur & Seculares Canonici *vivere regulariter*, aut *vivere ſecundum Regulam*, quippe ipſis quoque praeſcripta erat Regula; & in actis eorum temporum aut *Monachi*, aut *Canonici* tantummodo occurrere ſolent. Et quoniam ad Canonicorum Clauſtra, ſive Monaſteria aedificanda plerumque pone Templum, ubi Epiſcopalis Cathedra ſedebat, multa interdum obſtabant, negantibus nonnullis divendere in tam laudabile opus aedificia ſua, aut terram opportunam, ſtatuit idem Imperator, ut neceſſaria loca iiſdem concederentur, per Capitulare editum Anno Chriſti DCCCXIX. *De locis dandis* (ita ille ſcribit) *ad clauſtra Canonicorum faciendа, ſi terra de ejuſdem Eccleſiae rebus fuerit, reddatur ibi. Si de alterius Eccleſiae vel liberorum hominum, commutetur. Si autem de Fiſco noſtro fuerit, noſtrâ libertate concedatur.* Fortaſſis heic *noſtrâ largitate* legendum eſt.

Neque levis momenti res fuit ejuſmodi Collegiorum inſtitutio, quum ad alimenta Canonicorum & Monaſterii regimen multis opus foret. Et religioſi quidem Urbium Antiſtites Eccleſiae reditibus, praediis, ac Decimis non levem portionem in eorum uſum conceſſerunt. Tum nonnullas iis elargiti ſunt Beneficii loco aut urbanas, aut ruſticanas Eccleſias, videlicet Oratoria, atque Plebes, ſive Parochiales Eccleſias, ut veluti praebendae in commodum ſingulorum cederent, aut earum proventus ad communem Collegii menſam deferrentur. Id etiam poſcebat interdum neceſſitas, quum nempe Cathedralis Eccleſia ſufficientibus ſtipendiis alere non poſſet Canonicorum ſuorum ac Miniſtrorum coetum. Dum ſupra de *Cardinalibus* agerem, quos in nonnullis Eccleſiis eoſdem atque *Canonicos* fuiſſe vidimus, in eam declinavi ſententiam, alicujus peculiaris Eccleſiae titulum conferri conſueviſſe.

visse iis, qui *Cardinales* nuncuparentur, hoc est, qui stabili jure alicui Ecclesiae praeficiebantur. Et profectò vel in Aurelianensi Concilio III. Anni DXXXVIII. aperte innuitur Canone 18. Clericis Civitatensis Ecclesiae, ideſt, ut conjicio, *Majoris Ecclesiae traditas fuisse Basilicas ordinandas in quibuscumque locis positas, ideſt sive in territoriis, sive in ipsis Civitatibus.* In eo autem Concilio, quamquam tandiu ante Pippinum & Carolum Magnum celebrato, *Canonicorum Clericorum* mentio habetur, iique ex *stipendiis* Ecclesiae enutriti dicuntur. Quare nil mirum, si idem etiam mos continuatus postea fuerit, concedendi singularis cujuspiam Ecclesiae regimen Canonicis, vel postquam communem vitam agere coeperunt. In Archivo Capituli Canonicorum Mutinensium legi olim vetustissimum exemplum Chartae, quam heic evulgare, non ingratum Lectoribus fore puto.

Deusdedit Episcopus Mutinensis Leoni Archipresbytero Plebem Sancti Petri in Siculo concedit, ut eâ utatur ad ministerium sui Archipresbyteratus. Anno Christi 828.

DEusdedit *per misericordiam Dei* Mutinensis Episcopus. *Omnibus filiis nostrae Aecclesiae notum esse volumus, quia residentibus nobis in Curte nostra Solaria, in Plebe Sancti Geminiani, Anno* Domnorum *nostrorum* Lodovici *&* Lotharii *filio ejus, Decimo V. & Septimo, die XIV. mensis Augusto, per Indictione Sexta.* Donavimus ordinantes Plebem nostram in Siculo, *quae dicitur* Sancti Petri, *consentiente Sacerdotio & Clero nostro, nec non ipsius Aecclesiae Populo,* Leoni Archipresbitero *nostro, ea siquidem ratione, ut ipse locum reginiinis teneat, & secundùm Canonicam actoritatem ministerium Archipresbiteratus subministret. Ideſt* in sartatectis Aecclesiis restaurandis, in Clericis congregandis, in Scola habenda, & Officio divino persolvendo, *cujus locum firma stabilitate ei concedimus, ut secundùm Canonicam auctoritatem a nullo Successorum nostrorum nullatenus ex hujusmodi firmitate possit amoveri, nisi fortè talia perpetraverit, que digna sint, Canonico judicio examinari. Annuolem autem ipsius Plebis nobis & Successoribus nostris debitam pensionem, quae est Solidos triginta per singulos annos, statuimus per hanc noticiam, ut in Pascha Domini annualiter persolvatur, custodita solita consuetudine, salvo pacto, quod* pro circanda Parroechia semper tertio anno *nobis donetur. De quibus si negligens fuerit, duplici datione, ut Leges censeant, puniatur.*

Deusdedit Episcopus *sanctae* Aecclesiae Motinensis *huic privilegio subscripsi.*

Ego Garipertus Presbiter manu mea subscripsi.

Leo Diaconus manu mea subscripsi.

Ego Johannes Subdiaconus manu mea subscripsi.

Ego Marinus Clericus manu mea subscripsi.

Ratpertus Presbiter, & Notarius sanctae Aecclesiae Motinensis scriptor istius Privilegio, postquam tradito complevit & dedi.

Agitur heic de Parochiali Ecclesia, sive *Plebe*, Archipresbytero Leoni con-

concessâ, quem Collegio Canonicorum Mutinensium praefuisse facile intelligas. Atque hinc elucere videtur, quale Archipresbyteri munus foret ac onus; neppe curare, ut fartatecta Ecclesiae restaurarentur; Clerici, sive Canonici ad Chorum & mensam convenirent; Schola minoribus Clericis haberetur; & divina Officia in Templo rite persolverentur. Insuper hinc haurias, consuevisse vel iis temporibus Episcopos *tertio* quoque *anno circare Parroechiam*, hoc est, visitare Dioecesim (id enim ea vox significat, & idem Italicum *Cercare*, & Gallicum *Chercher* prodierunt) secundum Canones Conciliorum. Quod heic factum erga unum vides, nempe commendatam Canonicorum A testignano singularem Ecclesiam regendam, idem si non reliquis, saltem praecipuis Canonicis obtigisse puto. Datas quoque ab Episcopis & perpetuo concessas alias Ecclesias ipsi Canonicorum Capitulo, veterum monumenta testantur. Hasce postea in Titulum ac Beneficium ab ipso Capitulo traditas identidem fuisse alicui ex Canonicis par est credere. Et sane pauca reperias Canonicorum Collegia, ad quorum jus non pertinerent olim complures aut saltem aliquot Ecclesiae, sive urbanae, sive suburbanae. Ego hujusce rei aliquot exempla proferam. Primum ex archetypo Diplomatis, existente in insigni Tabulario Capituli Canonicorum B C Regiensium.

Ludovici II. Imperatoris Diploma, quo Canonicis Ecclesiae Regiensis confirmantur omnia iis donata a Sigefredo illorum constitutore. Anno 857.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei aeterni, Hludovicus *gratiâ Dei* Imperator Augustus. *Imperiali satis congruit excellentiae, ut petitionibus servorum Dei aures libenter accommodet, & eorum affectus devote tractando, utiliter instituat, quatenus id agendo & eos in divinis cultibus ferventiores reddat, & pro his apud Dominum devotis eorum precibus aeternam remunerationem percipiat. Igitur omnium fidelium sanctae Dei Ecclesiae, ac nostrorum praesentium scilicet & futurorum comperiat industria, quia* Sigefredus *venerabilis* sacrae Sedis Regiensis Episcopus *nostrae suggessit mansuetudini, ut quasdam res ejusdem suae Ecclesiae, quas ipse in* Canonicorum *ibidem Deo militantium usibus cotidianis, ad utiliorem ordinem transferens, divina inspiratione constituit, nos pro amore Dei & aeternae remunerationis praemio, nostra Imperiali auctoritate, id plenius in Dei nomine perpetuò statuentes corroboraremus: quatenus eisdem Dei famulis, nostris fultis praesidiis, & devotius Dei famulatum exsequi & pro nobis adtentius Domini misericordiam exorare delectet. Nos autem ejus petitioni libenter adsentientes, id pleniter concessimus, & hos nostrae Imperialis munificentiae apices exinde fieri jussimus. Per quos omnino stabilientes decernimus, ut ab hinc in futurum praefatae res,* ubi ipsa Canonica praefatus Sigefredus Episcopus a fundamentis edificavit, Ecclesia *videlicet* Sancti Peregrini, *nec non & alia* Sancti Michaëlis Archangeli; tertio *quoque* Sancti Faustini, *siquidem &* Sancti Vitalis Basilica *cum omnibus adjacentiis vel pertinentiis earum*; Ecclesia

cleſia *denique* Sancti Ambroſii, *& Corticella, atque Rivoſrigido, cum omnibus adpenditiis, vel pertinentiis earum. Preterea in Gavaſſa Maſſarii duo, & de parte* Heriberti Comitis *unum, & in Fanio maſſaritia una, quae regitur per Traſeverto cum nepotibus ſuis, una cum ipſis famulis, & omnes res illas de Dominico Presbitero. Caſe quoque Alberici & Ajoaldi de Pineto cum pertinentia ſibi maſſaritia Ermefredi Presbiteri, atque res Gemiuiani Sacerdotis, quas in Regio, vel in Sableta habere videtur. Omnes quoque res, quas Romoaldus Presbiter tenet, vinea una de quodam Leoziardo in Prato Pauli, ſeu maſſaritia una in Maxentiatico, ſive famulis in predicta Canonica deſervientibus. Et ea omnia cum pleniſſima integritate; & cuncta quaecumque in futurum a benignis largitoribus inibi deo favente auctum fuerit, per hanc noſtram Imperialem inſtitutionem & inviolabilem approbationem in eodem ordine ſine alicujus retractatione firmiter abſque eorum conſilio & voluntate corroboratae permaneant. Es nullus Succeſſor ejuſdem Sedis ullo umquam tempore hanc noſtram inſtitutionem removere aut irrumpere quoquo modo conetur; nec commutationem de prefatis rebus facienti habeat poteſtatem, ſed juſte & legaliter ſecundùm noſtrum preceptum ab ipſis Canonicis ſint poſſeſſa juxta hanc noſtram inſtitutionem; utque prefati venerabilis ejuſdem Sedis Sigefredi Epiſcopi ordinationem ſtatutum jure dinoſcitur, perpetuis temporibus maneat inconvulſum. Quod ſi quis umquam ullo tempore prefatae Sedis Epiſcopus contra hanc noſtram auctoritatem inſurgere tempsaverit, aut aliquam violentiam in eadem Canonica, vel in ipſis Canonicis, aut in eorum hominibus liberis, aut ſervis, vel in omnibus rebus eorum mobilibus, aut immobilibus, vel territoriis, tam Eccleſiaſticis, quàm proprietariis, vel ſi aliquis Dux aut Comes, aut aliqua judiciaria Poteſtas vel Miniſter Reipublicae facere queſierit: centum Libras auri ſe compoſiturum ſcias, medietatem noſtrae parti, & medietatem in ipſa Canonica. Et ut haec noſtra auctoritas inviolabiliter permaneat, manu propria firmavimus, & de anulo noſtro ſubter ſigillari juſſimus.*

Signum *Domni Hludowici ſereniſſimi Auguſti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Teodacrus Notarius ad vicem Druſtemiri recognovi.

Data III. Idus Januarii, Anno Imperii Hludowici ſereniſſimi Auguſti VII. Indictione V.

Actum Mantua Palatio Regio feliciter in Domino.

Itaque *Sigefredus Epiſcopus* primus fuit, qui Regienſi in Urbe Canonicorum *Monaſterium* (ita quippe non rarò Canonicorum Aedes appellari videas) atque uti veriſimile eſt, ipſos etiam Canonicos conſtituit, inter alia elargitus nonnullas Eccleſias perpetuo jure ipſis in poſterum poſſidendas. Alterum nunc juvat oſtendere Canonicalis Collegii circiter eadem fere

fere tempora inſtitutorem, *Petrum* videlicet *Antiſtitem Arretinum*, collataque tum ab eodem Praeſule, tum a Lothario I. Auguſto praedia, ut ex eorum proventibus Canonici quotidianum victum perciperent. Id conſtabit ex authentico Diplomate, quod in nobili Archivo Capituli Canonicorum Arretii ſub oculis habui.

Lotharius I. Imperator Capitulo Canonicorum Arretinorum omnia eorum bona confirmat, & nova donat, Anno 843.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei aeterni Hlotarius *divina ordinante providentia* Imperator Auguſtus. *Si petitionibus &c. Idcirco omnium fidelium Sanctae Dei Eccleſiae, ac noſtrorum praeſentium videlicet ac futurorum comperiat magnitudo, quia vir venerabilis* Petrus Arecienſis Urbis Epiſcopus *adiens ſerenitatem culminis noſtri, retulit celſitudini noſtrae, quod in Sede ſibi Deo auctore commiſſa* Fratres, ut ſub Canonica inibi conſiſtant auctoritate, conſtituerit, *atque ex rebus ac familiis Epiſcopii ſui, prout eorum expoſcit utilitas, per decretum ſuae ſanctionis ditaverit, Villas ſcilicet tres, quae Durna, Speja, atque Plica nominantur, quaſque Burgundis matrona, & Elbungus eidem Eccleſiae contulerunt, nec non & Mercatum, quemadmodum per decretum ſuae confirmationis praefatis contulit Fratribus, noſtrae ſanctionis auctoritate eis confirmaremus. Cujus petitioni adſenſum praebere ſtatuentes, hos noſtros Imperiales apices fieri juſſimus, quibus decernimus atque ſancimus, ut praenominatae Villae, atque praeſcriptum Mercatum cum omnibus ſibi pertinentibus, in ſtipendiis ſupradictorum Fratrum cum .... quidquid vel in eis exigi, vel adquiri potuerit, jure perpetuo cadant; ita ut videlicet nec Rector ejuſdem Sedis, nec cujuslibet poteſtatis perſona de praefatis rebus ac familiis, ſeu de his, quae divina pietas inibi augeri voluerit, aliquam inferre praeſumat contrarietatem, vel diminorationem ullam ingerere adtemptet. Sed & nos pro mercedis noſtrae augmento, & ut in hoc opere noſtra quoque ſiat mercedis amplificatio, quandam Villam juris noſtri memoratae Eccleſiae, quae eſt conſtructa in honore Beati Donati Confeſſoris Chriſti, ad neceſſitates Fratrum inibi conſulendas, quae vocatur Caminina, & conſiſtit in Caſtro Felicitatis, cum Eccleſia, quae conſtructa eſt in honore Beati Andreae Apoſtoli, ſicut Ragino quondam Vaſſallus noſter ordine Beneficiario eam habuiſſe noſcitur, una cum campo, qui vocatur Piſcinulae, & conſiſtit in pago Arecienſe, cum caicoribus ſuis, atque omnibus ad ſe juſte &c.*

Signum *Hlotharii ſereniſſimi Auguſti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Remigius Notarius ad vicem Volmari recognovi & ſubſcripſi.

Data IIII. Kalendas Septembris, Anno Chriſto propitio Imperii Hlotharii pii Imperatoris in Italia XXIIII. in Francia IIII. Indictione VI.

Actum Romarici Monte, in Dei nomine feliciter. Amen.

Tertium exemplum praebebit Charta, quam ex Archivo Archiepiſcopii Taurinenſis deſcribendam mihi curavit Excellentiſſimus vir Ludovicus Caiſottus Regii Senatus Praeſes. Atque inde intelliges, quanta Decimarum, ſacrarum Aedium, & fundorum copia in ſacrum Taurinenſe Canonicorum Collegium antea fluxiſſet.

Henrici III. Regis, inter Imperatores Secundi Diploma, quo Canonicis Taurinenſibus Sancti Salvatoris jura ac bona omnia confirmat. Anno 1047.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Heinricus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Omnium ſanctae Dei Eccleſiae, noſtrorumque fidelium tam futurorum quàm praeſentium noverit univerſitas, qualiter nos pro amore divino, animaeque noſtrae remedio* Canonicis Taurinenſis Eccleſiae *per hoc noſtrae confirmationis Praeceptum, prout juſte & legaliter poſſumus, concedimus & confirmamus, ſtabilimus* in Canonica & Clauſtra in Domini Salvatoris honorem * conſtructo infra Taurinenſem Civitatem, nec non & Canonicis ibidem pro tempore militantibus, *omnia a beatae memoriae* Regnimiro ejuſdem Sedis Epiſcopo Inſtitutore ejuſdem Canonicae Domini Salvatoris *collata, & quae per Praecepta Regum & Imperatorum, vel per firmitates ſuccedentium Epiſcoporum, ſeu quaeque collatione religioſorum hominum ibidem collata ſunt, vel conferenda:* Eccleſias *ſcilicet* intra eamdem Civitatem Taurini, *unam in honorem* Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, *aliam in honorem* Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Jude, *tertiam in honorem* Sancti Stephani Martiris, *quartam in honorem* Sancti Martiniani, *quintam in honorem* Sancti Euſebii, *ſextam in honorem* Sancti Martini. *Caſtrum etiam ſuper Portam ejuſdem Civitatis, quae dicitur Turricinica, & omnem Decimam tam intus quàm foris ejus Civitatis, cum molendiniis & piſcationibus in ipſo fluvio Turia. Inſuper etiam omnes res ejuſdem Canonicae tam intus quam foris, cum ſuis ſolariis, caſis, hortis, acceſſibus, terris, ſervis, & ancillis, omnibuſque praefatae Canonicae pertinentibus. Largimur etiam omnes* Decimas *indominicatas ejuſdem Sedis Epiſcopi, & Decimas Beneficiorum omnium fidelium ejuſdem Epiſcopi.* Eccleſiam *quoque* Cardinalem *in honorem* Sancti Maximi in Quincto, & Eccleſiam Sancti Stephani in Maliaſco, Eccleſiam Sanctae Mariae, Eccleſiam Sancti Petri, Eccleſiam Sancti Laurentii, *cum omni Decima praedictae Villae: Cortem in Alpiniano cum Caſtro & Capella* Sancti Petri *infra ipſum Caſtrum ſitae altera verò extra Turiam flumen* Sanctae Mariae, *cum molendinis, piſcationibus, & omnibus appendiciis ad eumdem aſpicientibus: Cortem in Liſiniaſco, cum Caſtro & Capella* Sancti Mauritii *in eodem Caſtro, cum omnibus ad ſe pertinentibus:* Eccleſiam Sancti Victoris & Coronae, *cum omni Decima in Marcomeda, & cum terris ac manſis ad praedictam Canonicam pertinentibus:* Eccleſiam Sancti Macharii *in Vilaſco cum terris & Decimis ejuſdem Villae:* Plebem *verò in Durione* Sanctae Mariae, *cum omni Decima ad eum pertinente in planitiis, caſis, terris, vineis,*

neis, & Capellam Sancti Solutoris in Monte Pharrato: Eccleſiam Sancti Viti in Villa, *quae dicitur* Arſitias, *cum Corte tota, & Decima, & portibus, piſcationibus, omnibuſque ſibi adjacentibus:* Eccleſiam Sancti Georgii *cum Monte, ubi extat in Villaparſo, cum omni Decima ejuſdem Villae, & Manſis eidem Canonicae pertinentibus: Decimam in Malavaſio* cum duabus Eccleſiis, *unam in honorem* Sanctae Mariae, *alteram in honorem* Sancti Martini, *& omnem Decimam in Valleplana, & in Valleſurda, & in Milionico, & inde Ligadino, cum terris & vineis ad praefatam Canonicam pertinentibus: Cortem in Saxinas cum* Eccleſia *in honore* Sancti Johannis *cum omni Decima, molendinis, ſilvis, buſcaliis, palariis, & omnibus appendiciis; omnemque Decimam ejuſdem Cortis: Cortem in Martiriaſco cum* Capella Sancti Martini, *cum ſilvis, buſcaliis, & omnibus appendiciis ſuis: Cortem in Pavatiano cum omnibus ſuis pertinentiis.* Capellam *in Romaniano in honorem* Sancti Remigii: *Cortem in Pavariolo cum Caſtro &* Capella *in eodem Caſtro in honore* Sancti Secundi, *cum omnibus ſuis pertinentiis: Cortem in Audiſello, & Mandego, cum ſuis pertinentiis: Cortem in Patiano cum Caſtro, &* duabus Capellis: *Cortem in Balbiano cum* Capella una: *Cortem in Aliniano, cum Caſtro, &* Capella *in eodem Caſtro in honorem* Sancti Remigii: Capellam, *manſos, vineas, atque ſaſas in Orſenaſco: Cortem in Santena, cum Caſtro, &* Capella *in eodem Caſtro in honore* Sancti Pauli, *cum omni ſua Decima ejuſdem Cortis: Cortem in Bulgare, & partem in Caſtro cum Portibus, molendinis, piſcationibus, ſilvis, & omnibus ſibi pertinentibus: medietatem Cortis Buriadis, cum medietate* Capellae *in honore* Sancti Michaëlis: *Cortem in Scandaltico, cum* Plebe *in honore* Sancti Dalmatii, & Capellis quatuor *in eadem Corte, unam in honorem* Sancti Michaëlis, *aliam* Sancti Johannis, *tertiam* Sancti Andreae, *quartam* Sancti Martini, *cum omni decima, & molendinis, ſilvis, paſcuis, pratis communibus & privatis, omnibuſque ad praedictam Canonicam pertinentibus:* Capellam *in Polengaria in honore* Sancti Remigii, *cum omnibus ad eam pertinentibus in Sablone, cum Manſis quinque, & medietate * Decima ejuſdem Villae, una cum terris, Caſtris, Capellis, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, molendinis, portibus, ripatiis, aquis, aquarumque decurſibus, piſcationibus, ſervis & ancillis, Aldionibus, decimis, Fictis, reditibus, paludibus communibus & incommunibus, ripis, rupinis, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, ad jus praefatae Canonicae, Canonicorumque uſus & ſumptus, qui pro tempore fuerint, pertinentibus vel aſpicientibus in integrum, noſtrae confirmationis auctoritate, & quae collata ſunt, & conferenda, concedimus, largimur, ac ſtabilimus, omnium hominum controverſiâ remotâ & procul abdicatâ.*

Inſuper quoque per hanc noſtri Praecepti paginam praecipimus, atque jubemus, ut nemo Epiſcopus, etiam Judex publicus, aut Miſſus diſcurrens, aut Marchio, Comes, Sculderius, Gaſtaldus, vel cujuſlibet poteſtatis magna, parvaque perſona has praelibatae Canonicae res audeat invadere, diripere, vel quocumque molimine de poteſtate Canonicorum, ibidem Domino militantium, auſu nefario auferre, nec in beneficium cuiquam dare praeter voluntatem praedictorum Canonicorum, neque ad cauſas judiciario more, ut aliqua ſuprapoſita, aut violentia faciendum ullo unquam tempore ingredi audeat.

Sed

Sed liceat, eos cum omnibus rebus ac familiis ſuis ſub noſtra conſiſtere tuitione, atque immunitatis defenſione. Si verò querimoniae adversùs jam dictos Canonicos tam de liberis hominibus, quàm de ſervis, ſeu de rebus ortae fuerint, jubemus, ut ante Praepoſitum & Canonicos ejuſdem Eccleſiae finiantur, & ad finem uſque deducantur. Si quis igitur contra hanc noſtri Praeceptì paginam, noſtraeque juſſionis auctoritatem aliquid agere aliquando tentaverit, aut ex his, quae ſupra ſcripta ſunt, quippiam violare praeſumpſerit, ſciat ſe auri optimi Libras ducentas compoſiturum, medietatem Camerae noſtrae, & medietatem parti praedictorum Canonicorum, noſtraeque inſuper incidiſſe Majeſtatis offenſam. Et ut hoc noſtrae immunitatis Praeceptum inviolabilem & inconvulſam obtineat firmitatem, manu propria ſubtus illud firmavimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus.

Signum Domni Henrici Romanorum Imperatoris invictiſſimi.

Heinricus Cancellarius vice Ermanni Archicancellarii recognovi.

Acta Kalendis Maji, Anno Dominicae Incarnationis Milleſimo Quadrageſimo Septimo, Indictione XV. Anno autem Domni Heinrici, ſeu ordinationis ejus Decimo octavo, Imperantis verò Primo.

Actum Mantuae, in Dei nomine feliciter.

Canonicae iſtius dicitur *Inſtitutor beatae memoriae Regnimirus Epiſcopus* Taurinenſis. Verba iſta hominem indicare videntur jam vitâ functum: quum tamen Regnimirus, ſi Ughellio fides Tom. 4. Ital. Sacr. Anno praecedenti MXLVI. (is *Reguimirum* appellat) Taurinenſis Epiſcopatus habenas ceperit. Immo, ſi Pingonium auſcultamus, Regnimirus idem uſque ad Annum Chriſti MLXX. vitam produxit. Sed uti deceptus fuit Pingonius in tandiu protrahenda Regnimiri Epiſcopi Vitâ (quod Ughellius animadvertit) ita a Pingonio ipſo deceptum ego opinor eumdem Ughellium in ſignando exordio Epiſcopatus Regnimiri. Is longe ante Annum MXLVI. Cathedram illam conſcendiſſe mihi creditur, ac deſiiſſe vivere eodem Anno MXLVI. aut primis menſibus ſubſequentis MXLVII. Quamvis enim fatear, uti alibi monui, formulam *beatae memoriae*, atque alias ſimiles, de viventibus etiam uſurpatas: nihilominus veri ſimilius eſt, in Diplomate Henrici, a me nunc promulgato, innui illius mortem. Et profectò non ea fuit diligentia Pingonio, ut ejus unâ auctoritate, niſi quum tabulas profert, nos duci velimus.

Et haec quidem de Saeculo Chriſti Undecimo. Vetuſtiora proſtant inſtitutorum Canonicorum exempla. Ita credi poſſunt jam invecti Canonici in Novocomenſem Civitatem ante Annum Chriſti DCCCIII. ſi germanum eſt Diploma Caroli Magni Imperatoris Tom. V. pag. 245. Ital. Sacr. in quo nonnulla occurrunt, aliquam ſuſpicionem falſi mihi ingerentia. Idemque perſpicias in aliis Italiae Urbibus, in quibus fere omnibus Saeculo Chriſti Nono Canonicorum Collegia in Cathedrali Templo ſunt conſtituta. Quod tamen praecipue animadvertas velim, ipſo ineunte Seculo Octavo non ignota fuere in Italia Canonicorum Collegia, dum certa ſit Charta donationis factae a Specioſo Epiſcopo Florentino *Canonicis* Sancti Johannis Baptiſtae, ſive Cathedralis ſuae, *Anno XII. Liutprandi Regis*, hoc eſt Anno DCCXXIV. Chartam protulit Ughellius

lius Tom. 3. Ital. Sacrae. Equidem tantam in Italia Canonicorum antiquitatem ſum demiratus. Florentiae quoque in Bibliotheca Strozziana MStum Codicem vidi, in quem conjecta fuerant complura Chartarum veterum monumenta, inter quae nonnulla autographa. Ibi verò legebatur Diploma Ludovici II. Auguſti, quem Lotharius I. Imperator genuerat, ubi *Canonicis* Florentinis bona quaeque & jura confirmat. Sed quoniam nuper egimus de Canonicis Arretinis, nunc addendum eſt, primo eorum ſedes ſive Clauſtra conſtituta fuiſſe extra Urbem, quod nempe illic in Baſilica quieſceret Corpus Sancti Donati Martyris, & Domus ſive ſedes Epiſcopi ſita foret. Carolus verò Calvus, dum Romam pergeret, Imperialem Coronam ſuſcepturus, Arretium veniens, rem improbavit, & auctor fuit, ut intra ipſius Urbis moenia, Canonicorum Collegium eorumque Coenobium aedificaretur, quam in rem ex liberalitate ſua Johanni Epiſcopo loca quaedam publica contulit. Donationis hujus authenticam membranam in Archivo Canonicorum illius Urbis aſſervatam legi atque deſcripſi, & nunc in omnium uſum evulgatam volo.

Caroli Calvi Imperatoris Diploma, quo Johanni Epiſcopo Arretino locum concedit intra Urbem ad aedificandum Templum Dei, cum Aedibus Canonicorum. Anno 876.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Karolus *gratiâ ejuſdem Dei* Imperator Auguſtus. *Ad hoc nobis divinam gratiam Imperii faſtigium contuliſſe credimus, ut clementiae noſtrae meritum cunctiformiter in his, quae pietatis ſunt, adcumulemus. Ideoque comperiat preſentium & futurorum induſtria, dum Romam a ſummo* Pontifice Johanne *vocati proficiſceremur, nos Aretium deveniſſe, &* cur intra moenia Civitatis, more ceterarum, Domus Dei, Sede pollens Antiſtitis, non emineret perſpicacius inquiſiſſe. *Et quamvis Sancti Donati Martyris glorioſi reſponderetur & videretur in hoc ſpecialiter locus electus, quod monimentis omnibus ejuſdem Eccleſiae pariter aſtipulatur, elegantius tamen nobis viſum eſt,* ut Aretium intra muros Eccleſiae culmine fulgeat, Clauſtrali munitione Clericos contineat, & decentibus habitationibus ſeſe diſtinguat. *Ad quod opus concedimus Sancto Donato*, ejuſque Rectori venerabili Johanni, *ac ejus Succeſſoribus Forum, quod muro adjacet intra terminos ex uno latere domus, quae dicitur Orrea, ex altero Eccleſia quondam Beati Benedicti, a tertio latere eſt murus Civitatis, a quarto verò latere eſt terra Sancti Petri, & Via publica:* ut Epiſcopo in ſua Sede apud Sanctum Donatum reſidente, ibi nihilominus per ejus ordinationem divinae laudis Canonicae fiant concelebrationes, ubi actenus Mallationum ventilatae ſunt lites. *Sancimus autem, ut nullus cujuslibet poteſtatis vel ordinis intra praefixos terminos aliquam moleſtiam vel invaſionem amodo facere praeſumat. Quod quicumque facere preſumpſerit, duplicem immunitatem eidem Eccleſiae perſolvat.*

Signum

Signum Karoli *glorioſiſſimi Imperatoris.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Audacher Notarius ad vicem Gauzilini recognovit & ſubſcripſit.

Datum Kalendis Martii, Anno XXXVI. Regnante Carolo Imperatore in Francia, & Imperii ejus Anno Primo.

Actum Vercellis Civitate.

In Concilio Ticinenſi, quod paucos ante dies celebratum fuerat, praeſente ipſo Carolo Calvo Auguſto, qui & ibi electus, ſive confirmatus fuit Italiae Rex, uti conſtat ex Actis editis Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 153. decretum fuerat: *Uti Epiſcopi in Civitatibus ſuis proximum Eccleſiae Clauſtrum inſtituant, in quo ipſi cum Clero ſecundùm Canonicam Regulam Deo militent.* Aderat & *Johannes Arretinae Eccleſiae Epiſcopus*, uti ex ſubſcriptionibus patet. Is ergo nihil cunctatus, ab Auguſto jam Vercellas profecto petiit atque impetravit *Forum muro* Civitatis Arretinae *adjacens*, ad Canonicorum aedes in ipſa Civitate fundandas, de quibus ſermo fuit in Diplomate a me publici juris nunc facto. Equidem conjicio, ex hoc Imperatoris dono non Aedes ſolùm Canonicorum, ſed & ipſum maximum Templum Arretinae Urbis, tunc aedificata fuiſſe, atque illuc translatum ſubinde Corpus Sancti Donati, nempe in eum ipſum locum, ubi nunc Cathedralis Baſilica cernitur, intra Civitatem, & prope moenia Urbis ſita. Sciſcitatus autem eſt *Carolus Calvus, cur intra moenia Civitatis, more ceterarum, Domus Dei, Sede pollens Antiſtis, non emineret.* Viden, unde ortum habuerit vocabulum Italicum *Duomo?* Nimirum Templum Civitatis primarium, ubi Sedes Epiſcopi erat, *Domus Dei* per antonomaſiam appellabatur. Antiquitus etiam uſurpata eſt vox ipſa eàdem ſignificatione, ut videre eſt in Sermone Sancti Zenonis Veronenſis Epiſcopi de Pſalmo 126. *Conventus Eccleſiarum* (ita ille ſcribit) *ſive Templi, quos ad ſecretam Sacramentorum religionem, aedificiorum ſepta concludunt, conſuetudo noſtra vel Domum Dei ſolita eſt nuncupare, vel Templum.* Aliis exemplis parco. Conceſſus autem eſt in hoc opus laudabile locus, *ubi hactenus Mallationum ventilatae ſunt lites*, publici quippe olim conventus (*Malli* Germanico vocabulo nuncupati) fiebant, in quibus majores cauſſae agitabantur coram Comite, aliiſque publicis Magiſtratibus, ac dirimebantur. De his actum ſupra fuit in Diſſertatione XXXI. *de Placitis*. Poſtremo hinc tandem intelligas, Cathedrale Templum in omnibus fere Civitatibus intra moenia collocatum olim quoque fuiſſe: idque ad majus Populi commodum. Simulque palam fit *Clauſtrali munitione Canonicos* conjunctos inſimul vixiſſe, atque ab iis *divinae laudis* peractas fuiſſe concelebrationes. Quibus verbis innuuntur

divina

divina Officia, ſive Horae ab ipſis Canonicis in Choro diu noctuque decantatae, ideoque *Canonicae* appellatae. In Adelardi Epiſcopi Regienſis Charta infra videbimus, *Dormitorium* Canonicis Caſtri Olariani (nunc nobis *Caſtellarano*) conſtructum, *ut ii diligentius nocturnis horis ad divinum officium occurrere poſſint*. Ergo Monachorum more & ipſi Canonici noctu quoque divinas laudes perſolvebant in Choro. Paria legas in Literis Adelberti Bergomatis Epiſcopi, Anno Chriſti DCCCCVIII. ſcriptis, Tom. 4. Ital. Sacr. ab Ughellio editis. Is enim ad coſtituendas Aedes Canonicorum elegit *Clauſtrum juxta Eccleſiam, ut cum Officium compleverint, opportune ad reficiendum, cibum & potum accipiant, & in nocturnis horis ibidem Dormiendo, nocturnis Officiis facilius occurrant*. Dormitorii quoque communis Seculis etiam poſterioribus mentio eſt in Literis circiter Annum MCLVII. datis ab Hadriano IV. Papa apud Campium in Hiſtor. Eccleſ. Placent. Canonicis Placentinis. Ibi nimirum praecipit Pontifex, *quatenus omnes de uno Cellario inſimul in uno Refectorio comedatis, & in communi Dormitorio dormientes, in Capitulo conveniatis quotidie &c.* Quae verò Dignitates in Aretino Capitulo vel ipſis antiquis Seculis numerarentur, e ſubſequenti Diplomate palam fiet, quod authenticum mihi viſum fuit inter ejus ſacri loci membranas.

Confirmatio cujuſdam terrae facta ab Ottone III. Imperatore Canonicis Eccleſiae Arretinae, Anno 996.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Otto *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Quia Imperialis magnificentia pia & larga erga Dei cultores, & Eccleſiarum Dei recuperatrix &c. qualiter nos conſultu ac interventu* Helmpraxi *venerabilis* Epiſcopi *noſtrique fidelis aliquantam terram, quam bonae memoriae* Petrus Epiſcopus &c. (ut in Privilegio Ottonis Primi) *Canonicis, qui nunc ibi ſerviunt Willehelmo ſcilicet* Archidiacono, *& Berahardo Presbytero &* Primicerio, *Martino Clerico &* Cuſtodem Sancti Donati, *Sigizonem* Scolae Gantorem, *Michaël Presbytero, Atto Presbytero, Winizoni Presbytero, Johanni Presbytero, Girardo Presbytero, Berto Presbytero, Ludoni Presbytero, Leoni Presbytero, & reliquis, qui in praeſenti ſerviunt &c.*

Signum Domni Ottonis invictiſſimi OTTO *Imperatoris Auguſti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Heribertus Cancellarius vice Petri Epiſcopi & Archicancellarii notavi.

Data IIII. Idus Julii, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXCVI. Indictione VIIII. Anno verò Tertii Ottonis Regnantis XIII. Imperii autem Primo.

Actum in Eccleſia Sancti Donati feliciter. Amen.

Neque ſoltm in Cathedralibus Templis, ſed & in aliis Urbium praeſtantioribus Eccleſiis coepta ſunt inſtitui Canonicorum Collegia. Hoc eſt, qui Clerici in aliqua illuſtri Baſilica Deo inſerviebant, communi vitae, unique clauſtro ſeſe obligantes, novas Congregationes antiquitus etiam efformarunt. Hinc ergo ortum habuere, quae nunc vulgo *Collegiatae* appellantur. In Ambroſiana Mediolanenſi Baſilica, ubi Sanctorum Martyrum Gervaſii ac Protaſii Corpora quieſcunt, nunc praeclariſſimus Canonicorum coetus, praeter Monachos ab iis diviſos, laudes quotidie Deo canit. Horum veſtigia animadvertat Lector volo vel Anno Chriſti DCCCXCIV. in quodam Berengarii Primi Diplomate, quod ex pervetuſto apographo Archivi Monachorum Ciſtercienſium ibidem ſacra facientium deſcripſi.

Berengarius I. Italiae Rex Presbyteris & Officialibus Baſilicae Sancti Ambroſii Mediolanenſis, Manſum in Cornelade largitur Anno 894.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei aeterni. Berengarius *gratia Dei* Rex. *Si circa Dei famulos noſtrae conceſſionis benignitatem impendimus, devotiones illos pro nobis ad divinum implorandum auxilium reddimus, ac per hoc ſupernam pietatem noſtro Regno proficere non diffidimus. Ideoque omnium ſanctae Dei Eccleſiae noſtrorum fidelium preſentium ac futurorum noſſe volumus cognitionem* Hermenulphum noſtrae Militiae Comitem *noſtrae ſuggeſſiſſe ſublimitati pro quibuſdam* Presbyteris atque Officialibus Sancti Ambroxii, *ubi ejus Corpus venerabiliter tumulatum eſt, quatenus eis, vel eorum ſucceſſoribus, ob noſtrae mercedis cumulum, conceſſâ noſtrâ largitatis benevolentiâ,* Manſum illud, quod eſt in Cornelade, *pertinens,* ex Comitatu Frazionenſi, *cum finibus & ſubjacentiis ſuis ex integro, omni aliorum impeditione poſpoſitâ, ad habendum debiti causâ concedamus officii. Quod nos ratum & congruum omnimodis arbitrantes, ejus petitioni conceſſum prebuimus. Si ergo contra hoc Regale Preceptum temerario auſu aliquid contrarium ſuae preſumptione ſtultitice facere, quod abſit, temptaverit, a nobis ſtatuto dampnetur judicio, ſcilicet mancoſos auri duo milia cogatur perſolvere, medietatem Regiae Camerae, & medietatem ipſis Presbyteris, quibus auſus fuerit impedire nequiſſimus. Et ut hoc noſtrae Celſitudinis inviolabile Preceptum firmum & inconvulſum habeatur impoſterum, proprie manus ſubſcriptione innotatum, atque, ut mos eſt, roboratum Annulo noſtro, ſubtus juſſimus figillari.*

Reſtaldus Notarius juſſione Regiâ ad vicem Adelardi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Data IIII. Nonas Decembris, Anno Incarnationis Dominicae DCCCXCIIII. Anno verò Regni Domni Berengarii glorioſiſſimi Regis VII. Indictione XIII.

Actum in Mediolano ad Sanctum Ambroſium, in Dei nomine feliciter. Amen, Amen, Amen.

Vides, jam praeter Monachos olim Benedictinos celeberrimi Ambroſiani Monaſterii ad cultum Dei introductos, fuiſſe in Templo Ambroſiano quoſdam etiam *Presbyteros atque Officiales* ante Annum Chriſti DCCCXCIV. eoſque jam in unam coaluiſſe

ſe Congregationem ab ipſis Monachis ſejunctam. His denique *Canonicorum* appellatio acceſſit. Quem autem locum deſignet in hocce Diplomate *Comitatus Frazioneuſis*, ſuprà inveſtigavi in Diſſertatione XXI. *de Italiae Statu*. Ad haec non unis tantùm in Urbibus, ſed etiam in ruralibus Eccleſiis, hoc eſt intra Caſtella, antiquitus inſpicere erat inſtituta Canonicorum Collegia. Hujuſce conſuetudinis teſtes etiam dabo tabulas Adelardi Epiſcopi Regienſis, quae adhuc in Archivo Capituli Canonicorum illius Urbis adſervantur, atque ego deſcripſi e Chronico MSto Fulvii Azzarii, in Eſtenſi Bibliotheca adſervato.

Adelardus Epiſcopus Regienſis Canonicis Caſtri Olariani vetera bona ac jura confirmat, & nova largitur, Anno 944.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Adhelardus *humilis* Epiſcopus *ſanctae* Regienſis Eccleſiae, *ſervus ſervorum Dei. Quoniam quidem a Catholicis conſtitutum omnibus notiſſimum patet fidelibus rectum fore arbitratum, & nos pro noſtrae ſcientiae modulo cunctis Sanctae Dei Eccleſiae fidelibus, noſtriſque praeſentibus ac futuris innoteſcere volumus, eo quod res Eccleſiae, prout in ſanctis continetur Canonibus, vota ſunt fidelium, & redemtio peccatorum. Fideles namque per amorem Chriſti ſuccenſi ob remedium animarum ſuarum, & coeleſtis patriae deſiderium, de ſuis propriis facultatibus Sanctam Eccleſiam fecerunt locupletem, ut de his Chriſti milites paſcantur, & Eccleſiae ornentur, pauperes refocillentur, & captivi pro temporum opportunitate redimantur. Idcirco deceſſorum noſtrorum, videlicet* Azzonis & Petri *divae memoriae ejuſdem* noſtrae Sedis Epiſcoporum, *providentes* Canonicam conſtitutam *a ſua providentia, & ſanctiſſima induſtria* in Plebe Sanctae Mariae ſita in Caſtro Olariano, *tam illud confirmare, quod ipſi ſtatuerunt, quamque amplificare pro poſſe decrevimus, ideſt* Eccleſiam Sancti Rufini *poſitam in loco Ventuſo cum caſis & omnibus rebus ſuis, univerſaſque* Decimas *de praedicto loco exigendas in integrum, ſicut ad noſtram Eccleſiam legaliter pertinere videtur. Oblationes quoque fidelium, ſeu doua pro defunctorum Sepulcris, necuon & omnes Decimas, quae pro tempore redduntur de Curte, quae dicitur Foliano, ſeu ex Maſſaritiis ipſius Curtis atque Precariis, ſeu Maſſaricium unum de jure ipſius Plebis in loco qui dicitur Domnitio, cum omnibus pertinentiis ſuis in integrum. Nos autem pro divino amore & animae noſtrae remedio, & facultatibus ſanctae Dei Eccleſiae noſtrae, cui Deo auctore praeſumus, concedimus* in jam dicta Canonica ad ſupplementum Canonicorum ibidem omnipotenti Deo die noctuque famulantium: *ideſt omnes* Decimas *de Villa, quae vocatur Caſalegraude, cum omnibus pertinentiis ſuis in integrum. Haec ergo omnia* praedictis Canonicis in ſaepe dicta Canonica conſtitutis, & pro tempore ordinandis *donamus: & quae hactenus ibidem tam a noſtris Anteceſſoribus, quàm & quibuſcunque hominibus de voluntate ſua, modis omnibus confirmamus*, quatenus Clerici canonice ibidem ſervientes, *& in ſupradictis rebus, vel ceteris undecumque, quas donante Domino adquirere potuerunt, ſtipendia pro tempore accipiant, debitumque*

que ſuae ſervitutis officium in ipſa Eccleſia, votis, ut credimus, fidelium quotidie augmentandâ, adimpleant, ac ſanctae converſationis exemplo clareſcant per dies & tempora, bonis operibus redundando, in ſancta religione atque doctrina creſcentes. Et ut diligentius nocturnis horis ad divinum Officium occurrere poſſint, ad ipſum Dormitorium conſtruendum concedimus omnem terram, quae eſt in circuitu jam dictae Eccleſiae.

Actum Civitate Regii, Anno Domni Hugoni *ſereniſſimi* Regis *XVIIII.* Lotharii *verò filii ejus ſimiliter* Rex *XIV. Kalendis Januarii, Indictione II. in Dei nomine feliciter Amen.*

Adhelardus Epiſcopus *hunc Privilegium propria manu roboravi & ſubſcripſi.*

Ego Rimpertus Archipresbyter ſubſcripſi.

Ego Reudenicus Archidiaconus manu mea ſubſcripſi.

Ego Petrus Presbyter manu mea ſubſcripſi.

Ego Reſtanus Presbyter manu mea ſubſcripſi.

Ego Radaldus Presbyter manu mea ſubſcripſi.

Ego Ingelbertus Presbyter manu mea ſubſcripſi.

Ego Rotmundus Presbyter manu mea ſubſcripſi.

Ego Dominicus Presbyter manu mea ſubſcripſi.

Ego Adelbertus Diaconus ſubſcripſi.

Ego Ribaldus Diaconus manu mea ſubſcripſi.

Ego Johannes Diaconus manu mea ſubſcripſi.

Ego Bernerius Subdiaconus manu mea ſubſcripſi.

Ego Martinus Presbyter & Praepoſitus ex juſſu Domni Adhelardi venerabilis Epiſcopi hunc Privilegium recognovi & ſubſcripſi.

Caſtrum Olsriani heic memoratum, idem eſt atque *Caſtellarano* in Regienſi Comitatu ac Dioeceſi ad Gabellum fluvium, ſive Siclam, vulgo *Secchia*, poſitum. Et quoniam illic vel tempore *Azzonis*, & *Petri* Epiſcoporum Regienſium, Canonici fuerant inſtituti, conſequens eſt, eorum exordium cadere in Annum circiter DCCCXC. Atque inde intelligas, quàm felici ſucceſſu completa fuerint vota piiſſima Francorum Regum, ut ubique Clerici, Monachorum ad inſtar, ſocialem & communem vitam agerent, & ad regulae ſuae normam mores componerent. Hiſce addenda eſt fundatio alterius Canonicorum Collegii in eadem Dioeceſi ſerius tamen facta, hoc eſt in arce *Canuſii*, nunc *Canoſſa*, cui loco geſta Comitiſſae Mathildis, ejuſque Majorum nomen aeternum comparavere. *Adalbertus, qui & Atto Comes*, Thedaldi Marchionis pater, & ipſius Comitiſſae proavus, ille fuit, cui Templum Sancti Apollonii, & Canonici illic Deo famulantes, ſuam inſtitutionem in eodem Caſtro ſeu Arce debuerunt. Hoc idem in Vita Mathildis Cap. 2. tradiderat Donizo Poëta, de Attone ſcribens & de Canuſina Arce:

Poſt haec excelſum ſtatuit ſibi fingere Templum,
Divinaſque Scholas, canerent quae dulciter Horas
Nocte die Chriſto. - - - - - - -

Quibus verbis Canonicorum inſtitutio innuitur. Tum auctor eſt idem Scriptor Cap. 17. ſublato e vivis Bonifacio Marchione, Beatricem ejus conjugem cum filia Mathilda ſuſtuliſſe inde Canonicos, eorumque locum Benedictinis Monachis dediſſe.

Eſſe

Eſſe quia Monaches pluſquam Clericos, venerandos
Credebant ambae, Canuſinae quoque ſanctae
Eccleſiae nomen mutaverunt & honorem
In melius, dudum cui Praepoſitus fuit unus,
Uſum cum Clericis non niſi tantùm duodenis
Deſervire quidem. Nunc Abbas ſervit ibidem.

A Cuncta haec mire conveniunt, ac potiſſimùm de numero duodenario Canonicorum cum monumento, quod ſum productus, hoc eſt, cum Bulla Benedicti VII. Papae, cujus antiquum exemplum in membrana ſcriptum, quamvis in nonnullis mancum ſuppeditavit mihi Archivum Eſtenſe. Et quia in eadem pergamenâ ſubjiciebantur fragmenta aliarum duarum

B largitionum ad idem Canuſinum Templum Sancti Apollonii ſpectantia, ea quoque deſcribere, publicique juris facere ſtatui.

Bulla Benedicti VII. Papae, qua fundationem Eccleſiae Sancti Apollonii, & inſtitutionem duodecim Canonicorum, ibi factam ab Adelberto Comite in Caſtello Canuſino, confirmat ad petitionem Teudaldi Comitis ejus filii, Anno 976.

BEnedictus Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei. Omnibus ſanctae Dei Eccleſiae fidelibus pateat, qualiter* Teudaldus Comes, filius Adelberti jam Comitis, *limina Apoſtolorum dignâ devotione viſitans, ex parte ſui Patris hujuſmodi a noſtra Apoſtolica auctoritate petiit, ut Eccleſiam in honorem Sanctorum Confeſſorum Dei, Apollonii videlicet, Urſicini, atque Ruſticiani, Martyrum quoque Mauricii, Alexandri, & Victoris conſecratam, quam ipſe Adelbertus in ſuis propriis rebus, videlicet in rupe, quae Canuſia vocatur, ab imis fundamentis conſtruxerat, & ad divinum cultum varia ſpecie dedicaverat, eidemque Deo & Sanctis obtulit proprietario jure omnis territorii ſive praedii ſui Decimam ad uſum fruendi* Duodecim Canonicorum, qui ibidem pro futuris temporibus ab ipſo, ſeu a filiis ſuis, nepotibus ac pronepotibus ſuis ordinati fuerint, *Apoſtolicâ*

C *noſtri Privilegii auctoritate confirmare ac roborare dignaremur. Cujus igitur devotae petitioni annuentes, & bono voto & condigno ſincerum aſſenſum praebentes, Apoſtolica hoc Privilegium auctoritate fulcitum ei fieri decrevimus, & quatenus ſecundùm petitionem ejuſdem Teudaldi Comitis, ſuique Patris inſtitutionem & donationem jam dicta*

D *Eccleſia a nobis corroborata modis omnibus perſiſtat.....*
Reliqua deſiderantur.

Scriptum per manum Stephani Notarii ſacri Scrinei ſanctae Romanae Eccleſiae.....,
Indictione Quarta.

Datum IIII. Kalendas Januarii per
manus Guidonis Epiſcopi & Bibliothecarii ſanctae Sedis Apoſtolicae, Anno Pon-
E *tificatus* Domni Benedicti *ſanctiſſimi* VII. Papae *Secundo, Imperii verò* Domni Ottonis *Tertio.*

De-

Donatio Canoſſino Templo facta a Mathilde Comitiſſa, Anno 1102.

IN *nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MCII. Quintodecimo Kalendas Novembris, Indictione X. Ego* Mathilda *Dei gratiâ* Comitiſſa, *una cum* Bernardo Cardinale & Legato Domni Paſchalis, *concedimus* A *& largimur* Eccleſie Sancti Apolonii, *que ſita eſt in Rocha Canuxi .... Abatis Boſchum unum, quod priùs erat Foreſtum prope Villam de Lachini, & Milliaria, ſicut deſignatum per ſuos confines fuit.*

Ego Guido &c.

Chartula donationis factae Canoſſino Monaſterio ab Alberio Epiſcopo Regienſi, Anno 1153.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Ego* Alberius *Dei gratiâ* Regienſis Eccleſie Epiſcopus ..... Domni Manfredi *Kariſſimi* Fratris noſtri ..... Sancti Apolonii de Canuxio, & Abbatis ejuſdem Monaſterii. *Fratrum neceſſitati ſubvenientes, aliquantas Decimas, quas praefatum* Monaſterium *habet & tenet de domnicatis, que fuerunt* Marchionis Bonifacii ..... *propriis domnicatis ejuſdem* Monaſterii in Curte Canoſſe, *& de domnicato Serzani, jure proprio per hanc noſtre inſtitutionis ſeu conceſſionis paginam concedimus & largimur.*

MCLIII. Octavo die intrante Menſe Aprili, indictione Prima.

Ego Americus &c.

B Vidimus impetratum *Canuſinis Canonicis* Apoſtolicae Sedis Privilegium. Addere nunc juvat paris indulti exemplum, quo ſimul pateat, Dioeceſim quoque Mutinenſem antiquitus non caruiſſe hiſce ruralibus Canonicorum coetibus. Eſt autem Bulla Caeleſtini III. Papae, conceſſa *Canonicis Ganaceti*, quorum nullum ampliùs veſtigium ſupereſt, ſolà Parochiali Eccleſiâ, ac titulo Praepoſiturae illaeſis, praediis verò, ac juribus, per varios Comitatus olim diffuſis, paene omnibus deperditis, uti humanarum rerum conditio fert, quae quotidie mutationibus & excidiis obnoxiae ſunt. Ex Collectaneis MStis Peregrini Priſciani, in Eſtenſi Bibliotheca adſervatis, Chartam hanc deſcripſi.
C
D

Coeleſtini III. Papae Bulla, qua Praepoſito & Canonicis Sancti Georgii de Ganaceto in Dioeceſi Mutinenſi, omnia illorum bona ac privilegia confirmantur, Anno 1195.

CEleſtinus Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei dilectis filiis* Petro Prepoſito Eccleſie Sancti Georgii de Ganaceto, ejuſque Fratribus Ganoni- E ce ſubſtituendis in perpetuum. *Pia poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri, ut & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utiliter*

ter poſſulata vires indubitanter aſſu-
mant. Eapropter, dilecti in Domino
filii, veſtris juſtis poſtulationibus cle-
menter annuimus, & prefatam Eccle-
ſiam Sancti Georgii de Ganaceto, in
qua divino eſtis obſequio mancipati, ad
exemplar Predeceſſorum noſtrorum feli-
cis recordationis Lucii, Urbani, Gre-
gorii, & Clementis Romanorum Pon-
tificum, ſub Beati Petri, & noſtrâ
protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcri-
pti Privilegio communimus. Statuentes,
ut quaſcunque poſſeſſiones, quecumque
bona eadem Eccleſia in preſentiarum
juſte & canonice poſſidet, aut in futu-
rum conceſſione Pontificum, largitione
Regum vel Principum, oblatione fide-
lium, ſeu aliis juſtis modis, preſtante
Domino, poterit adipiſci, firma vobis,
veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata per-
maneant. In quibus haec propriis du-
ximus exprimenda vocabulis. Locum
ipſum, in quo prefata Eccleſia ſita eſt,
cum omnibus pertinentiis ſuis, & a-
liis, que in Curte Gauaceti, & Paro-
chia veſtra habetis. Quecumque habetis
in Villanova, Saliceto, Soleria, in
Curte Lamine, Campo Galliani, Alba-
reti, Citanova, Baiſaria, Pirradelle,
Curli, Cugneni, Rammi, Fredi, Mal-
lingalli, in Nirano, Monte Urſi, Ca-
ſale, Cugnone, & Montegibio. Eccle-
ſiam Sancti Zenonis de Lamma: Ec-
cleſiam Sancti Mathei, que eſt juxta
fluvium Situle, cum omnibus eorum
pertinentiis. In Epiſcopatu Bononienſi
poſſeſſiones, quas habetis in Curtibus
Sancti Marci, Reſtalini, Manzolini,
& Montebelii. In Epiſcopatu Regino
poſſeſſiones, quas habetis in loco, qui
dicitur Sanctus Fabianus, Fontana,
Subſtiliolo, Caſale Montalto, & Quer-
zole. In Epiſcopatu Ferrarienſi poſſeſſio-
nes, quas habetis in Comitatu Ficaro-
li, & in Sadriano, & in Curtibus
Manegii, & Trecente, & in Villa
Sancti Anaſtaſii, & Lacum, qui dici-
tur Dampnarolo. Sane novalium veſtro-
rum, que propriis manibus aut ſum-
ptibus colitis, ſive de nutrimentis ani-
malium veſtrorum, nullus a vobis De-
cimas exigere vel extorquere preſumat.
Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos
e Seculo fugientes, liberos & abſolutos,
ad converſionem recipere, & eos ab-
ſque contradictione aliqua retinere. Ad
hec, quia Decime Miniſtris Eccleſiaſ-
rum tam veteri, quàm novâ Lege no-
ſcuntur eſſe indulte, vos Decimarum
exactione per Laicos vexari ſub inter-
poſitione anathematis prohibemus. In-
terdicimus inſuper, ut nullus infra Pa-
rochiam veſtram, que Curtem Ganaceti
retinet, ſine Dioceſani Epiſcopi & ve-
ſtro aſſenſu, Eccleſiam vel Oratorium
de novo edificare preſumat, ſalvis ta-
men Privilegiis Romanorum Pontificum.
Cum autem generale interdictum terre
fuerit, liceat vobis, clauſis januis, ex-
cluſis excommunicatis & interdictis, non
pulſatis campanis, ſuppreſsâ voce di-
vina Officia celebrare.

Libertates quoque & immunitates,
necnon antiquas & rationabiles conſue-
tudines a Mutinenſibus Epiſcopis, &
aliis perſonis Eccleſie veſtre juſte con-
ceſſas & hactenus obſervatas, ratas ha-
bemus, & eas futuris temporibus illi-
batas manere ſancimus. Cauſas etiam
Matrimoniorum agendi Parochianis ve-
ſtris privatas & publicas Penitentias
dandi: eligendi etiam Prelatum &
Fratres, ſicut a quadraginta annis in
veſtra Eccleſia rationabiliter & pacifi-
ce noſcitur obſervatum, vobis liberam
concedimus facultatem. Sane & inſtru-
mento ſupradictorum Predeceſſorum no-
ſtrorum Lucii, Urbani, Gregorii, &
Clementis, accepimus, quod de volun-
tate bone memorie Gerardi quondam
Archiepiſcopi Ravennatis, deliberatio-
ne provida ſtatuiſſis, ut Eccleſia ve-
ſtra

ſtra octo tantùm Canonicis ſit contenta, *cum ipſis facultates non ſuppetant, quibus plures valeant congrue ſuſtentari. Nos verò, qui bene acta cunctorum ex injuncto nobis officio debemus & volumus approbare, ad inſtar jam dictorum Anteceſſorum noſtrorum, conſtitutionem ipſam, ſicut a vobis Canonice facta eſt, & in autentico ejuſdem Archiepiſcopi continetur, ratam eſſe decernimus, & preſentis ſcripti paginâ communimus; niſi facultates ejuſdem Eccleſie contigerit ex proceſſu temporis ampliari, quod pluribus neceſſaria poſſent congruâ ſufficientiâ miniſtrare. Ad hec auctoritate Apoſtolica conſtituimus, ut nullus in Eccleſiam veſtram interdicti, aut in vos excommunicationis vinculi, ſuſpenſionis ſententiam ſine manifeſta & rationabili cauſsâ promulgare preſumat. Sententias quoque a bone memorie*..... Mutinenſi Epiſcopo *ſub cauſa, que vertebatur inter vos & Presbiterum Stephanum, pro Eccleſia Sancti Jacobi de Aqualonga ſuper jure Parochiali, & a bone memorie* Theobaldo Ferrarienſi Epiſcopo, *ex delegatione* Lucii Papae, *ſuper queſtione, que inter vos & Yſaac quondam* Abbatem de Vangaditio *agebatur, Canonice late, ſicut in eorum ſcriptis autenticis rationabiliter continetur, que executioni mandate ſunt, ratas habemus, & auctoritate Apoſtolica confirmamus. Sepulturam preterea illius Loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte ſint excõmunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat. Decernimus ergo, ut nulli omnium hominum liceat preſatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalvâ Sedis Apoſtolice auctoritate, & Dioceſani Epiſcopi Canonicâ juſtitiâ. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, Seculariſve perſona, hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum dignâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine divine ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bone actionis percipiat, & apud diſtrictum Judicem premia eterne pacis inveniat. Amen, Amen, Amen.*

Ego Celeſtinus Catholice Eccleſie Epiſcopus *ſubſcripſi.*

Ego Albinus Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Octavianus Hoſtienſis & Veletrenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Johannes Preneſtinus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Petrus Portuenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Pand. Baſilice XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego

Ego Petrus tituli Sancte Cecilie Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Jordanus Presbyter Cardinalis Sancte Pudentiane Paſt. tituli ſubſcripſi.

Ego Ugo Presbyter Cardinalis Sancti Martini tituli manu mea ſubſcripſi.

Ego Sofridus tituli Sancte Praxedis Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Bernardus Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Gra..... Sanctorum Coſme & Damiani Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Data Laterani per manum Centii Sancte..... in Orthea Diaconi Cardinalis, Domni Pape Camerarii, VII. Kalendas Maji, Indictione XIII. Incarnationis Dominice Anno MCXCV. Pontificatus verò Domni Celeſtini Pape Tertii Anno Quinto.

Animadvertas velim, nunc apud multos Italicorum *Fratris* nomen paene ſordere, itaut relegatum videatur intra Mendicantium Religioſorum clauſtra. Immo ne ibi quidem tutus eſt locus, quum *Patris*, non *Fratris*, titulum ea quoque gens cariorem habeat. At olim certum eſt, Monachos etiam Benedictinos *Fratrum* appellationem minime dedignatos fuiſſe: cujus rei innumera A proſtant exempla, quae utique conſonant *Fratris* ſeu *Fratrum* titulo, quo aſſeclas ſuos in Monaſtica ſua Regula nuncupavit ſanctiſſimus eorum Pater Benedictus. Sed & *Canonici* appellabantur *Fratres*, ut fidem facere poſſunt Hiſtoriae ac monumenta veteris aevi. Ego unum proferam, ubi de inſigni Capitulo Canonicorum Vercellenſium res eſt. B

Friderici I. Romanorum Regis Diploma confirmantis jura ac privilegia omnia Canonicis Vercellenſibus, Anno 1152.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Federicus *Dei gratia* Romanorum Rex Auguſtus. *Imperii noſtri nos hortatur auctoritas, Eccleſiis per Regnum conſtitutis congruâ in Domino proviſione conſulere, earumque poſſeſſiones debitâ protectione fovere. Praeſentibus igitur ac futuris dilectis fidelibus volumus eſſe cognitum, quod petitione cariſſimi Cancellarii noſtri Arnoldi, & aliorum plurimorum Principum,* Canonicos Sancti Euſebii in Civita- C te Vercellenſi *tam futuros quàm praeſentes, cum omnibus ſuis poſſeſſionibus, in Regiam protectionem ſuſcipimus, & praeſentis Privilegii paginâ communimus. Quaecunque itaque in Privilegiis a noſtris Praedeceſſoribus Regibus ſeu Imperatoribus eis collata contineri noſcuntur, & quae largitione Regum, conceſſione Pontificum, ſeu quorumlibet fidelium oblatione memorati* Fratres *hactenus obtinuerunt, aut in poſterum rationabiliter obtinere poterunt, praeſenti*

ſenti paginâ confirmamus, ex quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Careſianam cum diſtrictu, & omnibus publicis functionibus: utrumque Montanarium: Portum Sicidae, quo itur ad Bolgarum: quodcunque detinetur in Careſiana, tam in diſtrictu, quàm alias publicas functiones: Caracetum cum omni integritate ſua: Campalorcuum cum omnibus, quae ad dictas Praebendas pertinent cum omni integritate: & omnia, quae tenentur in Viverone tam in Caſtello, quàm in Villa, cum diſtrictu, & omnibus Regalibus. Similiter tres partes de Portu Scriviae, cujus quarta pars eſt Sanctae Mariae: tres partes de Montegallano cum ſuis pertinentiis, cujus quarta pars ſimiliter eſt Sanctae Mariae: quaecunque fidelium magna ſeu parva perſona praedictis Eccleſiis aliqua contulerit; & ſi qua in aliis eiſdem donis ſeu Villis Regalia contineri noſcuntur, Regiâ eis auctoritate concedimus. Praeterea praeſcriptionem centum annorum praedictis Eccleſiis, quemadmodum & Epiſcopo, concedimus in perpetuum. Decernimus igitur, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, aut alia magna vel parva perſona huic Privilegio temere contraire praeſumat. Et ut haec omnia in perpetuum firma & inconvulſa permaneant, praeſentem paginam Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Statuentes, ut nulla magna vel parva perſona, vel Commune Civitatis, aliquando audeat ab utraque Eccleſia exactionem tollere. Quod ſi quis temere huic Privilegio contraire tentaverit, centum Libras auri Camerae noſtrae perſolvat. Teſtes fuere praeſentes, quorum nomina ſubſcripta cernuntur: Hartwiſcus Bremenſis Archiepiſcopus, Geboardus Wirtziburgenſis Epiſcopus, Eberhardus Bambergenſis Epiſcopus, Gunterius Spirenſis Epiſcopus, Dux Welpho, Henricus Dux Saxoniae, Adelbertus & Conradus Marchiones Saxoniae, Odocharo Marchio de Stiria, Guido Comes de Blandrado, & alii plurimi.

Signum Domini Federici Romanorum Regis invictiſſimi.

Ego Arnoldus vice Henrici Maguntini Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Datum Wirzburg, XV. Calendas Novembris, Anno Dominicae Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Secundo, indictione XV. Regnante Federico Romanorum Rege glorioſo, Anno verò Regni ejus Primo.

Nunc autem prodendum eſt, qua formula olim uterentur Clerici, quando in conſortium Canonicorum recipiebantur. Eam mihi ſuppeditavit Archivum Capituli Canonicorum Arretii, ubi autographum vidi, & Eruditorum intereſt heic nunc evulgari.

Formula, qua Farulfus Presbyter offert ſe Capitulo Canonicorum Arretinorum, ad ſerviendum Eccleſiae ſecundùm Canonicam Regulam, Anno 1075.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ego Farolfus Presbyter *ſpontanea mea voluntate offero me ipſum Deo, & Eccleſiae Sancti Donati, &* Jocundo Prepoſito atque Archidiacono ſecundùm Regulam Canonicam fideliter ſerviturum, pallio Altaris manibus involutum, *cum oblationibus*

mearum

mearum rerum mobilium & immobilium, ita ut ab hac die non liceat mihi collum excutere a jugo Regule Canonice, ſed magis ejuſdem Regule ſtatuta fideliter ſervare, *& Deo cum ceteris grato animo militare, ut cum ipſis premium eterne remunerationis ab illo recipiam, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat unus Deus in ſecula ſeculorum. Amen.*

✝ *Ego Farolfus Presbyter confirmavi & ſubſcripſi.*

Ego Jocundus Archidiaconus & Prepoſitus ſubſcripſi.

Ego Azo Presbiter interfuit.

Inſalutata dimittenda non ſunt hujus Chartae verba: *Pallio Altaris manibus involutum*. In inſtitutione Canonici, ſive in oblatione ſui facta a Clerico Canonicatum adepturo, idem plane factum eſt, quod in oblatione puerorum ad Monaſteria fieri conſuevit, uti infra videbis in Diſſertatione LXV. *de Monaſterior. Erection.* Nimirum *pueri* oblati a parentibus, ut in Monaſterium reciperentur, *Palla Altaris involvebant manus:* ſimulque oblationis formula e ſcripto legebatur coram Abbate. Ejuſmodi ritus mentio habetur in Regula Sancti Benedicti Cap. 66. & nomine *Pallae*, ſive *Pallii*, deſignatum puto velum illud ſericeum, quod adhuc in ſacris adhibetur, quum oblata ad Altare deferuntur, & quo oblata olim tegebantur. Nempe uti panis & vinum velamine illo contecta Deo offerebantur, ita & pueri in Monaſteriis & Clerici in majoribus Eccleſiis. Neque tantùm in pueris offerendis ſervatus hic ritus, ſed etiam quum veſte Monaſtica induendus quiſquam erat, & in Monachum recipiendus. In antiquo Rituali Monaſterii AniaA nenſis apud Martene de antiquis Monachor. Ritib. Lib. 2. Cap. 2. haec leguntur: *Adducatur in veſte ſeculari ante Altare, praeſente Abbate & conventu; & tunc ibi a parentibus offeratur Deo, & involvant manus ejus in Palla Altaris.* Puerorum verò oblatio ita deſcribitur in MSto Codice Monaſterii Farfenſis apud eumdem B Martene Lib. 5. Cap. 5. *Tunc veniat puer ante Altare, vel ad gradus, & detur in manus illius offertorium cum hoſtia & ampulla vini. Et unus de fratribus, cui Abbas juſſerit, legat hanc ſchedulam: Ego Frater, ille; offero hunc Puerum nomine illius cum oblatione in manu atque petitione, Altaris Palla ejus manus involutam, ad* C *normam Sanctorum &c.* Pari modo in Codice MSto Monaſterii Beccenſis haec legimus: *Poſtquam obtulerit Cantor, offerat & Puer. Quo facto, recipiat Secretarius offertorium. Et parentes accedant, & involvant dextram manum pueri in Palla Altaris, & ita involutam tradant manibus Sacerdotis &c.* Quod tamen potiſſimùm in D Charta nuper evulgata animadvertendum, illud eſt *cum oblationibus mearum rerum mobilium & immobilium.* Ergo non ſe tantùm, ſed ſuas etiam fortunas novitii Canonici Deo offerebant, & in jus ac aerarium Eccleſiae transferebant, ut vitae communis contubernium deinde in Fratrum Collegio & Clauſtro ducerent. E Hoc etiam a Monachis didicere Canonici, uti infra oſtendam in Diſſertatione LXVII. *De Modis acquirendi.* Praeterea Monachi ſodales ſuos *Fratres* appellabant. Canonicos quoque *Fratrum* * nomenclauſtrâ ſaepe donatos invenias. Dixi, communem vitam, victum ſcilicet & habitationem fuiſſe Canonicis. Aberant ii tamen pleriſque in locis a perfectâ vivendi

* legendum *nomenclaturâ*, ſeu *nomenclatione*.

formâ, quam veri Monachi olim amplectebantur. Raro quippe sui patrimonii abdicatio plena, & fere nunquam germana Paupertatis profeſſio, in Canonicorum coetibus obtinuit. Scilicet iis licuit, quamquam regularem ſocietatem, unamque menſam ac tectum ſervarent, proprio patrimonio uti ac frui. Et fortaſſe ne Arretii quidem ſecus factum. Potuit enim offerri patrimonium, cujus tamen, dum vita comes foret, uſufructus eſſet penes offerentem.

Verùm quid ſtabile, quid firmum in rebus humanis? Sanctiſſime inſtituta, ampliſſime propagata fuere Canonicorum Collegia, ita ut nulla Civitas ejuſmodi ornamento, ac tam vivo diſciplinae Eccleſiaſticae exemplo careret. Sed quae natura in malum prona vel ipſos ſaepiſſime Monachos, quamquam rigidiſſimis legibus ad virtutem educatos, in ima dejecit, eadem Canonicos quoque in omnibus fere Urbibus a Virtutis ſemitâ avertit. Eoque faciliùs hos quàm Monachos ad vitia ac mores viris Deo ſacratis indignos traxit, quo minus Canonici ad perfectam Monachorum vitam accedebant. Neque enim ſeverae diſciplinae ſe addixere Canonici, & abſolutam Pau- A pertatem, ut nuper dixi, minime profitebantur; & quamvis in clauſtro degentes, Seculum tamen omnino ejuraſſe nequaquam videbantur. Factus hinc locus avaritiae, factus & luxuriae: & ſic ſenſim eo res deducta, ut deterior quàm Laicorum in nonnullis locis haberetur Canonicorum vita, eorumque clauſtra tandem inhoſpita redderentur. Accidit id potiſſimùm Saeculo Chriſti Undecimo, quo Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos multis in Urbibus, & praeſertim Mediolani, invaſit Nicolaitarum haereſis, & uxores Graeco more ducendi improbata ſemper in Occidente prurigo. Ut hunc morbum evellerent eodem Seculo Romani Pontifices Nicolaus II. Alexander II. Gregorius VII. aliique Praeſules, nullum lapidem non moverunt. Neque fruſtra fuit eorum zelus; nam & repurgati fuere plerique mores Cleri, & rurſus cum Eccleſiaſticae continentiae voto reſtituta eſt multis in locis communis Canonicorum vita. Quid praeſtiterit in Urbe ſua *Herimannus Epiſcopus Volaterranus*, e ſequenti Charta Lector intelliget, quam authenticam vidi in Archivo Capituli Canonicorum Volaterris.

Conſtitutio Herimanni Epiſcopi Volaterrani in Synodo ſuae Dioeceſis facta, ad reſtituendam vitam communem Canonicorum Eccleſiae ſuae, circiter Annum 1070.

QUoniam in iſtius Mundi ſtatu nichil certum, nichil firmum cognoſcamus, neque aliquid fidei, vel quicquam ſpei in illo eſſe videmus, ſed omnia, quae in eo ſunt, caduca eſſe & momentanea cernimus, nobis pro certo eſt neceſſarium, non ſolùm vitare, ſed etiam fugere quicquid eſt animae con- E *trarium, & illud appetere, quod eſt ſibi ſalutiferum &c. Cujus amore, cujuſque dilectione* EGO HERIMANNVS, *licèt omnium Epiſcoporum infimus, Dei tamen nutu* Epiſcopus, *ſemper gubernor, quamquam tunclis hominibus ſim nequior, & ultra quàm credi poſſit, ſim peccator. Ob hoc verò ut mihi*

mihi ſubveuire divina dignetur gratia, communitum hujus ſanctae Eccleſiae huc uſque deteſtabile volo ad ſalubre & coeleſte remedium transferre. Patet namque iſtius Eccleſiae Ordines, videlicet Archidiaconatum, Prepoſituram, & reliquos Ordines hactenus eſſe uſurpatos, ac male fuiſſe diſpoſitos. *Et idcirco, Deo opitulante, & iſtius Sinodalis Concilii conventu corroborante, Ordines predictos diſpono ita manere, quatenus ad unum redeant, & generales habeantur. Quocumque enim tempore hujus ſanctae Eccleſiae quilibet* Fratrum *ab iſto migraverit Seculo, ſua* Canonica, *que uſque modo abuſive & falſo appellatur nomine, deinceps nuncupetur vero & proprio vocabulo, eum ſcilicet ut illi habeant Clerici, qui ſecundùm ſuam ſcientiam hìc regulariter vivent, donec alter hujuſcemodi Clericus veniat,* qui cum ceteris Fratribus regulariter vivat. *Quis eſt unquam mortalium tam beatus, quàm ille, qui ad hoc nititur, ut celorum gaudia contemplari queat, Sanctorumque beatitudine perfrui valeat? Ad illam tantae claritatis felicitatem* EGO HERIMANNVS, *Dei gratia Epiſcopus pertingere cupio, ſi illius eſt voluntas, qui noſtrarum mentium eſt inſpector, noſtrorumque ſecretorum cognitor. Fiſus ſum namque de illa noſtri Redemptoris benigna promiſſione:* Peccator quacumque horâ converſus fuerit, vitâ vivet, & non morietur. *Propter ergo ſuperne remunerationis beatitudinem, & propter animarum meorum Succeſſorum Epiſcoporum ſalutem, communi conſenſu corroborante Sinodale Concilium, ad honorem hujus Sanctæ Eccleſiæ* EGO HERIMANNVS DEI GRATIA EPISCOPVS ſtatuo & confirmo Ordines prefatos Clericis his regulariter degentibus habituros. *Hoc tamen illa ratione aſſero, quod poſtquam aliquis iſtorum* Fratrum *ex iſlo obierit Seculo, nulla alia adhibeatur ſententia,* niſi ut Fratres in iſto loco Canonice viventes, Ordines jam memoratos habeant communes, *donec reperiantur Clerici Deum timentes, quibus participentur ſpiritualiter. Sive* Ordines *hoc eſt* Canonica, Archidiaconatura, Prepoſitura, *& ceterorum Aecleſiaſticorum Ordinum miſteria, qui fuerint eorum,* qui ſtare videntur Secularíter, *ſive eorum,* cernuntur vivere Regulariter, Fratribus tamen accidant Canonice degentibus. *Cartem enim Sanctae Agathae Virginis cum omnibus pertinentiis ſuis infra & extra ſe habentibus, ſimili modo ſupra dictis* Fratribus *concedimus. Cartem Sancti Oſtabiani cum omnibus ſibi pertinentiis, & vineam decurrente cum laboratoribus, qui eam laborare debent, quae* Fratribus regulariter viventibus *ſunt conceſſa a ceteris* Fratribus, *eos habere laudamus. Inſuper omnia, quae illis data ſunt, vel in antea danda ſunt, ſeu conquirenda ſunt, eos tenere confirmamus. Si quis verò fraude maligna imbutus, vel felle diabolico fuerit infectus, tale dans conſilium, quod iſtud ſalubre conſtitutum removeatur, vel aliter commutetur, niſi ut ſupra dictum eſt, Auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli, & ex poteſtate mihi a Deo conceſſa, illum ſegrego a Fidelium conſortio, illum ſeparo a ſanctae Eccleſiae gremio, illum damno, maledico, & excommunico &c.*

EGO HERIMANNVS DEI GRATIA EPISCOPVS *confirmavi & ſubſcripſi.*

EGO WGO ARCHIDIACONVS CONFIRMAVI MANV MEA ME SVBSCRIPSI.

Ego Farolfo Archipresbiter confirmavi & ſubſcripſi.

Ego

Ego Petrus Presbiter confirmavi & ſubſcripſi.
Ego Azzo Diaconus & Canonicus ſubſcripſi.
Ego Adelmus Diaconus ſubſcripſi.
Ego Albertus Diaconus ſubſcripſi.
Ego Andreas Diaconus ſubſcripſi.
Ego Drudo Prepoſitus ſubſcripſi.
Ego Chriſtianus Presbiter ſubſcripſi.
Hego Einricus Cantor ſubſcripſi.

A Nunc ejuſdem calamitatis exemplum alterum proferre juvat, ut palam fiat, quid Arretino Clero olim contigerit, ex cujus fortuna reliquarum paene Urbium infelicem ſtatum metiri facile poſſis. Monumentum autem, quod nunc editurus ſum, multiplici conſideratione dignum, ego olim ex antiqua pergamena deſcripſi adſervata in Archivo Canonicorum Arretii.

Enarratio eorum, quae perverſe geſta ſunt a Cuſtodibus Eccleſiarum Sancti Stephani & Sancti Donati, in Civitate Arretina, & quomodo Canonici tandem eas Eccleſias acquiſierunt. Scripta circiter Annum 1092. (a)

IN nomine Sancte, & individue Trinitatis. Regnante (b) Lodovico filio prioris Caroli *factus eſt Conventus Synodi, eo precipiente, in loco, qui dicitur Aquiſgrani; multiſque praeceptis ab eo rite compoſitis, praeceptum prae omnibus hoc ſalutiferum ſtatuit,* precipiens cunctis congregatis Epiſcopis, (c) ut omnes darent ſtudium Canonicam conſtruendi. *Filius autem ejus* Lotharius *poſt mortem illius, Patrem ſecutus, per Regnum tranſiens,* non (d) inveniens Eccleſias Epiſcopales ordinatas cum Canonica Congregatione, *ſicut ipſe & Pater ejus praeceperat, condoluit. Venienſque Aritium, & causâ orationis ad Sanctum Donatum, non reperiens, quod praeceperat, contra* Epiſcopum (e) *illius Eccleſiae, nomine* Petrum, *eſt indignatus quamplurimum.* Iterum praemonuit Epiſcopos, praecipue (f) ipſum Petrum Antiſtitem Aretinum, per ſe & (g) ſuos Optimates, ut praeceptis ſuis & Patris (h) obedirent. *Ipſe autem Dei famulus Petrus* (i) *obedivit, & eam*

(a) Enarrationem hanc, quae *monumentum* (ut Clar. Muratorius heic ait) *multiplici* quidem eſt *conſideratione dignum*, pluribus in locis amanuenſium, ſive typographorum oſcitantiâ, vitiatam quum ſuſpicatus fuerim, utpote quam ſenſu integro carentem aliquando repererim, ibique nomen *Gelaſii* Epiſcopi Aretini corruptum appareat, notaeque numericae ad rationis ſupputationem male reddantur; Pergamenam ego heic in Archivo Cathedralis Aretinae Capituli adſervatam, mihi duxi conſulendam, cumque illâ diligenti oculari curioſitate impreſſum exemplum iſtud cenſui conferendum. Quo ex labore quae aſſequutus fuerim Eruditi ad calcem paginarum novae hujus Editionis invenient Alphabeti characteribus notata, ut ab nonnullis, quae Muratorius ipſe corrigenda duxit *aſteriſcis* diſtincta, dignoſcantur. Haec autem non cenſurandi libidini, ſed Veritatis, & accuratioris emendationis in me ſtudio velim tribuatur omnino.

(b) Lodoico
(c) ut unuſquiſque eorum daret
(d) invenit
(e) *ipſius*
(f) & ipſum
(g) per ſuos
(h) oboedirent.
(i) *oboedivit*,

& *eam conſtruxit. Congregatione ab eo factâ aliquanta bona ibi conceſſit. Inſuper &* (a) *quatuor manuales perſonas ad ſerviendum dedit, ſcilicet Piſtorem, Cocum,* (b) *Lavandarum, & Biſulcum, ſicut in ſuo ſcripto continetur. Deinde* (c) *auctâ famâ* illius Congregationis communiter viventis, *per multa loca terrarum* (d); *a bonis hominibus ibi bona Mundi plurima ſunt conceſſa. Denique* Ugo Rex *cum Lothario* filio ſuo, *ob devotionem ad Corpus Sancti Donati veniens, talibus auditis, magna praedia contulit* ipſis Canonicis, *ſicut in Praeceptis ejus ſcripta ſunt,* (e) *ut inopiâ procul ab eis remotâ in Dei & Sancti Donati* talis Congregatio *maneret ſemper ſervitio conſtituta, & ut perpetuum Regem exorarent cotidie pro* (f) *incolumitate Regni & pro eorum ſalute.* Plurima poſt tempora evoluta, exardeſcente Diaboli nequitiâ, Canonicorum talis Congregatio, & Eccleſiae Officia diu fuerunt diſperſa. *Et hoc evenit pro Epiſcoporum deſidia, & pro Rectorum negligentia,* (g) *ac pravorum hominum cupiditate, qui eis abſtulerant, unde tunc uſque vixerant. Sicque permanſit* (h) *paene mortua uſque ad* Helperti *digni* Paſtoris *religioſam* (i) *prudentiam. Eo quidem praeſidente in Eccleſia praedicta, cum maximo labore reaedificavit Eccleſiam Sanctae Mariae. Et veniente ibi Romano Pontifice, cum maximo honore ac deſiderio conſecrare eam ab eo fecit.* Inſuper etiam Canonicam reaedificavit, & Clericos, quantos potuit, ad communem vitam congregavit, aliquando precibus, aliquando minis, & quaſi bonus pater ad fraternam ſocietatem conſtituit. *Qui etiam, quae erant ſuae utilitatis, plurima bona eis conceſſit. Inter haec & quartam partem Eccleſiae, quae Anteceſſores ſui ſibi reſervaverant, ſine refragatione donavit, ſicut in Privilegio ſuo invenitur. Inſuper etiam,* (k) Otto Imperator *cum tranſiret per Tuſciam, deveniens ad Corpus Sancti Donati cauſâ orationis,* conduxit ſuos Canonicos, quos ordinaverat, *ante Imperatorem, & Praeceptum ab eo* (l) *accepit de omnibus, quae ad illos pertinebant, vel quaecumque adquiſituri erant, ſicut legitur in ipſo Praecepto. Et plurima* (*) *quae fuerunt praedicta* (m) *priſcis temporibus,* ex antiqua Canonica, *cum adjutorio ſuo, & Imperatoris receperunt.*

Sed ut retro redeamus, ne Epiſcopi anteceſſores praedicti Helperti Praeſulis ex toto viderentur eſſe gregum ſuorum diſperſores, quartam partem omnium obligationum (**) *Eccleſiae propria manu retinuerunt; tres* (n) *alias partes* Praesbyteris & Clericis, (o) quos con-

(a) *quattuor*, ſemper heic legas.
(b) *Lavandarium*,
(c) *tanta*
(d) *cognita*,
(e) lego *quorum* pro *ut*
(f) *incolomitate*
(g) *ac pro pravorum*
(h) *pene*
(i) *providentiam*.
(k) *cum* Otto Imperator *tranſiret*
(l) *acceperit*
(*) Legendum puto *quae perdita fuerunt*.
(m) *priſcis*
(**) Scribe: *oblationum*.
(n) *tres partes alias*
(o) quas conſtituerant in ipſa Eccleſia,

continuerant in ipſa Eccleſia, *cum aliis beneficiis dederant. De tribus ipſis partibus quatuor partes factae ſunt. Tali pacto & tenore illis* Clericis *hoc beneficium ab Epiſcopis fuit conceſſum, ut Eccleſiae pavimenta mundarent, ac lampadas accenderent, & ſtuderent, & Campanas horis competentibus ſonarent, atque Eccleſiae januas cum omni ejus theſauro viciſſim cuſtodirent, & pro Eccleſiae cuſtodia cum ſuſpenſo ſomno noctibus ſingulis requieſcerent. Ita factum eſt, ut pro tali beneficio ipſis conceſſo divites effecti, mulieres conduxerunt, filioſque ex eis genueraverunt, & dehinc* (a) *Eccleſiam in ſe diviſerunt, ſicut in antea dicetur. Sed quoniam ſolitum eſt, ut divitiae homines in ſuperbiam elevent,* (b) *pro quo beneficium habuerant, dedignabantur ſtudere. Illis autem curam Eccleſiae male tractantibus, contra eos clamor Populi exarſit. Tunc illi pro pavore ejus Eccleſiae tunc Epiſcopi, atque Populi, inito conſilio, quendam Monachum* (c) *aquiſiverunt, ut eorum vice Eccleſiae deſerviret, & omnia, quae neceſſaria* (d) *erant, ibi ſtuderet. Et hoc conſtituerunt, ut pro beneficio tempore meſſis & vindemiae* (e) *ei ſexdecim Sextaria de grano ſimiliter & de vino pro* (f) *unaquaque parte, & de offertione,* (g) *ſicuc videretur. Diebus verò feſtis, vel Letaniis, vel*

A *ſi aliquo modo oblatio* (h) *aderat,* (*) *mittebatur unuſquiſque illorum ſervum vel mercenarium, aut ipſe per ſe, ad* (i) *ea requirenda. Tunc fiebant furta, rapinae, rixae, garritiones, & diviſiones, ita ut multoties unum panem per quatuor partes dividerent, & candelam* (k) *ſimul cum altercatione. Praedicto Cuſtode poſt parvum tempus mortuo,* B *vice illius intromiſerunt* (l) *Urſum Presbyterum, qui Torellus vocabatur, cum ſupradicto beneficio. Ille autem Presbyter inſcius, nec campanas noverat ſonare horis Matutinalibus, nec per horas conſtitutas diei, neque hoc facere in Eccleſia, quod decebat. Inter haec fames in Comitatu Caſtellano maxima orta eſt. Quidam Presbyter,* C *nomine Teuzo inde veniens, ejecto ſupradicto Cuſtode Torello a Presbyteris & . . . . .* (m) *eſſe per ſe debuerant, in Eccleſia Cuſtos factus eſt. Hic namque Presbyter juſtus, bonus, & ſtudioſus in officio erat. Inſpirante autem Domino, quamplures homines ex Aritio* (n) *Hieroſolymam perrexerunt. Ipſe Presbyter Teuzo cum eis perrexit. Tunc ipſi Cuſtodes,* D *non habentes alium, remiſerunt eumdem Urſum Presbyterum. Reverſo itaque Teuzone Presbytero ex* (o) *Hieroſolymis propter ſuam bonam converſationem* Canonicus *factus eſt. Igitur ſupradictus Urſus* (p) *nihil ſciebat facere, ſicut*

(a) *Aecclefiam inter ſe*
(b) *per quod*
(c) *adquiſiverunt,*
(d) *ibi erant, ſtuderet,*
(e) *darent ei ſedecim*
(f) *quarta parte,*
(g) *ſicut tunc videretur,*
(h) *adherat,*
(*) Scribendum: *mittebat unuſquiſque illorum*, ideſt Canonicorum &c.
(i) *eam requirendam,*
(k) *ſimiliter*
(l) *Presbiterum Urſum*
(m) . . . . . *todes*
(n) *Hieroſolimam*
(o) *Hieroſolimis*
(p) *nichil*

(a) *ſicut prius. Hinc omnis Populus per Cuſtodum ſummiſſionem* Epiſcopum Teodaldum, *qui tunc temporis erat, imploraverunt, ut eundem* (b) *Teuzonem ad Eccleſiae cuſtodiam reverti juberet. Quia* Canonicus *factus erat* Ganonici *talia facere non conſentiebant. Ad ultimum tamen propter Epiſcopi juſſionem & Populi obſecrationem conſenſerunt. Sed & hoc toto Anno contradixerunt, ne cum eis comederet, ne deveniret in malam conſuetudinem. Tunc praedicti Cuſtodes ſuper* Canonicam *ſe vindicabant in praedis, & quae facere poterant. Inde etiam* (c) *poſt Populi obſecrationem, ejuſdem Epiſcopi & Populi ſtatutum eſt, ut ipſe Teuzo Presbyter in Eccleſia ebdomadam Miſſarum, ſicut* (d) Canonici Presbyteri *faceret, & ebdomadam Coquinae ſimiliter,* (e) *& Cuſtodis officia impleret. Sicut permiſſum eſt ei tantùm comedere. Adquiſito autem cibo, abſtulerunt ſupradicti Cuſtodes medietatem de grano, quod ſoliti erant dare. Quo mortuo;* (f) *intromiſerunt Johannem Turphum, Nepotem illius, quem ſecum duxerat* (g) *ac nutrierat. Deinde maxima concertatio inter* Canonicos *& ipſos Cuſtodes iterum exorta eſt de victu ipſius. Cuſtodes ſicut Avunculum, illum facere volebant, ſed omni niſu* Canonici *repugnabant. Hoc autem* (h) Canonicis *opponebant, quod quartam partem tunc haberent de Eccleſiae oblatione.* Canonici *econtra talia reſpondebant:* Quando Elpertus Epiſcopus ſuique anteceſſores quartam partem manu ſua habebant, quam poſtea ipſi nobis conceſſerunt, Cuſtodes victum ab eis non requirebant. Inſuper beneficium aliud vobis eſt conceſſum pro Eccleſiae Cuſtodia. *Denique praedictus Johannes Turphus, eo quod victum non habebat* (i) *aliqua parte, nec campanas ſonabat, ſaepius per tres dies vel quatuor, vel plures. Illi interim cauſam* Canonicorum, *ubicumque poterat, male tractabant. Interea* Epiſcopus Immo, (k) *quia tunc temporis fuerat partim clamor Populi, partim mala voluntate atque virtute, & quia Eccleſiae injuriam non valens ſuſtinere, in Clauſtrum veniens cum Populo* (l) *maximâ altercatione; hoc inter* Canonicos *& Cuſtodes diffinitum eſt, ut per cotidianos dies unam coppam de vino, & unum panem* Canonici *Cuſtodi illi darent ad feneſtram Coquinae: Dominicis, &* (m) *Feſtis diebus ad Tertiam cum eis pranderet. Revertente tempore meſſis & vindemiae, Cuſtodes ſupradicti Vicario ſuo, quod ſoliti erant dare de vino & grano, aut non dabant, vel ſi eorum aliquis dabat, alius non dabat; vel ſi forte dabant, cum maxima importunitate praebebant. Quando autem non accipiebat, nec campanas ſonabat, nec quae erant in Eccleſiâ facienda faciebat. Talia paſſa eſt Eccleſia, uſque dum ad Canonicos devenerat, & cetera alia mala, quae Deo juvante dicentur* (n) *ad memoriam.*

(a) *ſicuti prius.*
(b) *Teuzonem ad cuſtodiam Eccleſiae*
(c) *poſt per obſecrationem ejuſdem Epiſcopi & Populi ſtatutum eſt,*
(d) Canonaci
(e) *Canonici, & Cuſtodis Officia*
(f) *intronizaverunt*
(g) *& nutrierat. Debinc*
(h) Canonacis
(i) *ab aliqua*
(k) *qui*
(l) *poſt maximam altercationem;*
(m) *Feſtivis*
(n) *ob memoriam.*

Superius diximus, quia Cuſtodes illi filios generaverunt. Nunc dicendum eſt, qui fuerint, & quomodo Eccleſiam inter ſe diviſerint. Fuit quidam Presbyter Petrus, qui a loco, De Nuce vocabatur, qui plures filios habuit, ſicut alii Cuſtodes. Sed nolumus dicere, niſi de illis, qui Eccleſiam habuerunt. De Petro Presbytero geniti ſunt Presbyter Salomon, & Andreas Clericus. Qui Presbyter Salomon habuit quartam partem ex quatuor ſupradictis partibus, quam diviſerunt inter ſe Filii ſui & Nepotes. De Salomone illo geniti ſunt Leo Laicus & Sizzo Clericus. De Leone genitus eſt Bonicus. Bonicus in ſenectute ſua factus eſt Canonicus. *Partem ſuam ipſis* Canonicis *conceſſit. Ex Sigizone genitus eſt Ungarinus Laicus. De Ungarino geniti ſunt Teuzo Clericus, & Ragineriut, & Salomon Laici, qui ſimul partes ſuas dederunt* Canonicis *pro uno modiore de terra in* (a) *Agare in comcambio, quod dedit Paganus filius Suppi de Montercle pro anima filii ſui* (b) *Guberti. Andreas Clericus frater Salomonis Presbyteri habuit aliam quartam partem, quam diviſerunt Filii ejus, & Nepotes. De Andrea geniti ſunt Blancus Clericus & Mannulus Laicus. De Blanco geniti ſunt* (c) *Ucellittolus, & Guidolus Laici.* (d) *Ucellittolus judicavit medietatem ſuae partis* Canonicis *pro anima ſua, & accepit decem Solidos pro altera medietate. Widolus accepit viginti ſolidos pro ſua parte. De Mannulo geniti ſunt* (e) *Priccus & Pincus. De* (f) *Bicco geniti ſunt Widolus Clericus & Bertus &* (g) *Mincus. Widolus accepit pretium quatuor Solidorum pro ſua parte. Bertus &* (h) *Mincus vendiderunt partem ſuam* (i) *Picuccio Medico. Moriente* (k) *Picuccio Medico judicavit Canonicis* (l) *Solidis viginti. Poſt mortem* (m) *ejus filius Helias non habens unde daret, dedit ſuam partem Eccleſiae. De Pinco geniti ſunt Japhus & Guidolus Laici, & Bonattus Clericus. Japhus pro* (n) *ſua parte accepit quatuor Solidos a* Canonicis. *Partem Guidonis & Bonatti Presbyteri habuerunt pro anima ipſius Bonatti Presbyteri. Leo quidam Presbiter fuit, qui habuit filios Pecionem, & Johannem Presbyterum, Canem dictum, propter iracundiam, qui habuit quartam partem de Eccleſia. Qui Presbyter Johannes genuit filium Johannem Blancum Laicum. Johannes Blancus non habuit filium, ſed filias. Una ex illis, quae Cara vocabatur, dedit ſuam partem de Eccleſia Sanctae Mariae, & dedit eam in conjugium Signorello filio Aritii: ex qua natus eſt Ugolinus, quem pater & mater* (o) *fecere* Canonicum, *& pro ipſo in* Canonicam *dederunt ipſam Eccleſiam. De Pecione geniti*

(a) *Agare*
(b) *Guiberti.*
(c) *Ucellittus,*
(d) *Ucellittus*
(e) *Bricus & Pincus.*
(f) *Bricco*
(g) *Mincius.*
(h) *Mincius*
(i) *Picucio*
(k) *Picucio*
(l) *viginti Solidos.*
(m) *filius ejus Helias*
(n) *parte ſua*
(o) *fecerunt*

niti sunt Martinus & Johannes (a) Clerici. De Martino genitus est Cunizellus Clericus. De Cunizello genitus est Brittolus, & Bosotus Laici. De (b) Britolo (c) genitus est Gunigildolus, & Guiducius Laici. De Johanne Peci geniti sunt Johannes Clericus, & Rodulfus, & Boso Laici. Suprascriptus Johannes Blancus dedit suam partem de Altario Sancti Stephani neputibus suis supradictis, scilicet Cunizoni Clerico, & Johanni Clerico, & Rodulfo, & Bosoni Laicis fratribus. Praedicto Johanne Clerico moriente, judicavit Canonicis viginti Solidos. Fratres ejus Boso & Rodulfus pro ipsis Solidis dederunt partes suas de Altario Sancti Stephani Canonicis. Cunizellus Clericus judicavit Canonicis medietatem suae partis ejusdem Altaris. Pro alia medietate filius ejus (d) Bosus & nepotes sui, filii Brittoli, acceperunt duodecim Solidos ab ipsis. Johannes Presbyter filius (e) Atti genuit filium Gerardum Presbyterum, qui habuit aliam quartam partem. Idem (f) Gerardus Laicus, qui Gerardus habuit filios & filias. Unam quidem ex eis nomine Autilia dedit in conjugium Ubaldulo filio Gerardi (g) Furchi de Monte Pupe. Postea ipse (h) Ubaldus dedit socero suo unum modiorem de terra in loco, qui dicitur Ropone, & in Scarniceto, pro ipsa parte Ecclesiae, &

A misit fratrem suum Ugolinum cum ipsa in Canonicam.

Hactenus quae mala in Ecclesia Sancti Stephani (i) perpetrata, & qualiter ad Canonicos devenerit, sub brevitate memoravimus. Nunc juvante Domino (k) quid in Ecclesia Sancti Donati gestum fuerit, antequam ad Canonicos deveniret, ad memoriam nostris posteris relinquemus. Ex eo tempore, quo (l) Belasius Praesul, qui Oratorium Sancti Donati parvum aedificavit, sic autem permansit per plurimum tempus usque ad Albertum hujus Ecclesiae Episcopum. Denique ipse secutus Antecessorem suum Helpertum, qui Ecclesiam Sanctae Mariae a fundamentis renovaverat, sic & iste a fundamentis Ecclesiam construxit Sancti Donati, eamque ad medietatem deduxit. Sed preventus morte, successor (m) quidam Teodaldus perfecit. Usque ad horum tempora ordinarii Clerici celebrabant omnia sacra (n) misteria in Ecclesia Sancti Stephani, ubi manet Sedes (o) Episcopi. Consecratâ verò Ecclesiâ ipsâ a Teodaldo Praesule cum maximo honore, ab eo constitutum est; ut Canonici (p) manentes in praedicta Canonica a die Consecrationis usque in Coena Domini, majora Officia ibidem peragerent propter honorem Sancti Corporis, minora quoque in Ecclesia,

(a) Laici.
(b) Brittolo
(c) geniti sunt Guinigildolus, &
(d) Bosolus
(e) Ati
(f) genuit Mascarum Clericum, de Mascaro genitus est Gerardus Laicus, qui
(g) Furki
(h) Ubaldulus
(i) sunt perpetrata,
(k) nostro quid
(l) Gelasius
(m) quidem
(n) mysteria
(o) Episcopii.
(p) in praedicta Canonica manentes

cleſia, ubi eſt Sedes Epiſcopalis. *A Coena Domini uſque ad Conſecrationis Anniverſarium propter honorem* (a) *Epiſcopi, faciant majora & minora in Eccleſia Sancti Donati. Sed quia ſuperius diximus, quomodo Praeſules poſuerunt Cuſtodes in Eccleſia Sancti Stephani, & quomodo ſuam cuſtodiam ad deſidiam & ad ſuam utilitatem conduxeruut; nunc conſcribendum ſimiliter eſt de Sancti Donati Cuſtodibus. Fuit quidam Presbyter Monachus, nomine Petrus, cui datae ſunt a Praeſulibus tres partes oblationis Eccleſiae cum alio beneficio, propter illius Eccleſiae cuſtodiam: quartam verò ſic de ipſa* (b) *Eccleſia, ... & de aliâ retinuerunt* (c) *propria manu, quam etiam* (d) *ſuperius ſcriptus Helpertus Epiſcopus dedit* Canonicis. *De Petro Monacho genitus eſt Martinus Clericus, qui vice ſua adhibuit Vicarium. Eo defuncto,* (e) *ſigillatim conſtituit alios, ut facerent Eccleſiae neceſſaria, adjuncto beneficio de ipſa tantùm oblatione, ſicut & inter eos complacuit. Igitur propter abundantiam oblationis unus ex Servis ipſius ſemper morabatur cum ipſis. De Martino genitus eſt Cucius. Cujus temporibus* (f) *translatum eſt Corpus beati Donati, & Eccleſia ipſius conſecrata, factaque ibi ſunt plurima Miracula meritis beati Donati, quae nec valent cujuſquam linguâ enumerari. Propterea concurrit tota Tuſcia cum infinitis oblationibus, ad ejus impetranda ſuffragia. Tunc quaſi pro Cuſtodia omnes Servi & (g) Mercenarii praedicti Cucii altara circumdabant* (h). *Demum cupiditas inſatiabilis, quae nec in* (i) *quopiam expleri valet, talia facere poene totum Populum circa Eccleſiam ſtantem commovit. In tantum quippe talis malitia rapinae crevit, ut multoties illis trahentibus aliquid cum intentione, Altare totum diſcoperirent. Sic conſuetudo mala aucta eſt, adeo ut ruſtici & feminae, ob devotionem ibi venientes, depraedabantur; & volentes ſe adjuvare, caedebantur, &, quod nequius eſt, vulnerabantur, & ſanguis ante Altare effundebatur. Miniſtri verò Eccleſiae circa Altare oppouebant artificium lignorum cum firmis trabibus, ſed ſemper a raptoribus fuerat exterminatum.* (k) *Heu heu, quanta mala non ſolùm ante Altare, ſed per totam Eccleſiam, & per totum Mercatum fuerant tunc temporis perpetrata! Inſuper etiam ruſtici, qui ſuis ſaccis frumentum cujuſlibet generis deferebant, ſi non poterant auferri, ſaccos eorum cultellis ſcindebant. Sic & adhuc noſtris oculis cernimus.* (l) *Unde etiam bella ſaepius orta ſunt. Epiſcopi, qui tunc erant, venientes in Eccleſiam, ſi quos poterant invenire raptores, flagellis caedebant; illiſque recedentibus pejora fiebant. Nec hoc ſolùm autem, ſed qui videbantur adjuvare, ut melius rapere poſſet ac* (m) *fugere,*

(a) *Epiſcopii, ibi*
(b) *Eccleſia, quomodo & de alid*
(c) *propia*
(d) *ſupraſcriptus*
(e) *fingillatim*
(f) *quia translatum eſt Sanctum Corpus*
(g) *Mercennarii*
(h) *nec ceſſabant furare & rabere queque poterant. Simili que modo ſervi vel Mercennarii aliorum Cuſtodum in altera Eccleſie faciebant. Demum &c.*
(i) *in quoquam expleri*
(k) *Eu eu,*
(l) *Unde etiam &*
(m) *furare,*

gere, pro ſacco retinendo, ad oblationem annualiter Tortam cum galliuis, & tres vel quatuor Solidos, ſicut adquiſitum ſibi videbatur, deferebat ſuo Domino Cuſtodi. Cetera Altaria, quae erant iuſra Eccleſiam, ſupradictus Cucius quaedam vendidit, & quaedam donavit Laicis. Altare ſcilicet Sancti Johannis Baptiſtae dedit (a) Brigiclo Aquatico, & Ildibrando filio Petri. Sancti Petri Altare dedit filiis (b) Brichi. Altare Sanctae Luciae dedit Gizoui (c) Teuzorum, & Letanias de Gropiua.

Canonici autem videntes (d) tanta mala, & quia eorum pars quarta ad nichilum devenerat, conſilio cum Cucio facto, dederunt ſibi unum Manſum, & quemdam modiorem de terra juxta Civitatem pro unaquaque parte. Aliam etenim (e) quartam partem antiquitus habebant ab Epiſcopo Helperto conceſſam. Convento cum Canonicis facto, ſponte iu manu Epiſcopi Immonis ipſam tantùm quartam partem reſtavit. Idem Epiſcopus Immo acceptis viginti Libris denariorum Lucenſium a Canonicis, facto Privilegio, conceſſit eam ipſis. Hucuſque in ſcriptis iuvenimus: & quae ab idoneis teſtibus didicimus, & quae ex parte vidimus, brevi ſtilo tradidimus. Nunc mala, quae Eccleſia inde (f) cotidie patiebatur, ſcribenda curabimus. Mos erat, ut quandocumque Letaniae veniebant ad Sanctum Donatum cauſâ orationis, audiebaue Miſſam ad Altare Sancti Stephani, & omnes

A candelas acceuſas Cucius habere ſolitus erat. De ipſis candelis regebat Eccleſiam per omues Matutinas horas a Feſtivitate Sancti Donati uſque ad Feſtivitatem Sancti Stephani. Menſura cotidianae Caudelae erat a cubito uſque ad pollicis ſummitatem, & acceudebantur Matutino (g) iuhoante. In feſtivis diebus augebatur menſura. In feſtivitate Sancti Stephani nou eſt ſolitum in Civitate
B Miſſa cantari, donec finiatur Euangelium iu Epiſcopali Eccleſia Sancti Stephani. Et hoc ad majorem Miſſam omnes Cives ſunt ſoliti veuire, & propter honorem & devotionem, ac magnas Caudelas ibi offerre. Similiter & iu Domini Reſurrectione. De praedictis Candelis Sancti Stephani regebatur Ec-
C cleſia uſque ad Reſurrectionem Domini. Cum Candelis etiam de Reſurrectione uſque ad feſtivitatem Sancti Donati. Mortuo verò ſupradicto Cucio, filius ejus Raginaldus paternum ſuſcepit dominium. Oblatione praefatae Eccleſiae parumper deficiente, moreque rapinarum nec decreſcente, Raginaldus Cucii filius, quod beneficium paternum, ut
D conſuetudo erat, non haberet, multoties Caudelas, & corrigias linguis Campanarum non dabat, nec funes, & quidquid Eccleſiae (h) competebat, uec faciebat, nec ſuis ſubjectis (i) Cuſtodibus facere videbat. Epiſcopus igitur Conſtantinus, qui eo tempore Aretinae Eccleſiae reſidebat, cum omni conventu Clericorum & Laicorum, ex praedicta cauſa, Raginaldum in (k) praeſentiam juſſit aſſiſti.

(a) Brigulo Aquaticio.
(b) Bricki.
(c) Teuzi.
(d) predicta mala, & quia pars eorum quarta
(e) quartam antiquitus
(f) cottidie; ſic ſemper ſcribitur heic.
(g) inchoante.
(h) competebatur,
(i) Cuſtodibus facere jubebat.
(k) praeſentiarum

aſſiſti. (a) *Interrogatus illico eſt: Cum ipſe Raginaldus Eccleſiae beneficium haberet, cur eam non ſtudioſe, & ut ſolitum erat, regeret? Reſponſum ab eo eſt:* Cuſtodes Sancti Stephani, & alii homines, quae mea & (b) Eccleſiae ſunt, tollunt: regere ea idcirco non poſſum. *Tunc* (c) *Raginaldo, conſilio accepto a ſuis fidelibus & amicis, & quia ingenioſus erat, reputans qualiter ſibi prodeſſet, &* (d) *Eccleſiae decus auferret, hoc viſum ſibi melius* (e) *eſſe, ut Candelas praedictas in manu Epiſcopi refutaret, exceptis duodecim optimis Candelis ſibi retentis in Feſtivitate Sancti Stephani, & ſimiliter duodecim in Reſurrectione Domini, ſicque completum eſt. Poſt idem Raginaldus, acceptis viginti Solidis,* Canonicis *tradidit eas.*

Videns interea Raginaldus oblationem Eccleſiae deficere, (f) *cotidie timens in* (g) *horrendum Dei judicium incidere, & quod ſibi parum prodeſſet, & quia verecundiam inde multoties paſſus eſſet: accepto & invento ſalubri conſilio, ſuam Cuſtodiam, & partem Eccleſiae, coram Clero & Populo in manu Epiſcopi refutavit, acceptis inde a* Canonicis *Libris quadraginta quinque ex Lucenſibus denariis.*

Tunc praefatus Epiſcopus Privilegio facto, eam Canonicis *conceſſit* (*) *eo tempore, ut* Canonici *ſemper in Coena Domini Oleum pro Chriſma, & Oleum pro Exorciſmis, & Oleum pro*

A *Infirmis darent, & Lampadam ardentem omne noſte ante Altare Sancti Donati, & corrigias* (h) *Campanarum & funes ad Campanas minores ſonandas, & cerae viginti Libras ſimiliter, quam Raginaldus ſibi conſueverat dare. Poſtea Epiſcopus acceptis a* Canonicis *quatuor Libris denariorum Lucenſium, per ſcriptum praedictam ceram illis conceſſit, quatuor Libris propter Miſſas, quas ipſe Epiſcopus Gerardo Primicerio dederat. Deinde Canonicis decem Solidos Primicerio dantibus, illis conceſſit ſuam partem cerae. Revertente autem Berardo Clerico filio ipſius Raginaldi de Scholis, coepit ex hoc indignari, & infringere factum patris voluit. Dicebat ſe ab Epiſcopo inveſtitum de eadem Eccleſia,*
C *quando eſt factus Clericus.* Canonici *autem videntes aſtutiam Berardi, & calliditatem Raginaldi, pro pace adjunxerunt eis decem Libras Lucenſium denariorum. Iterumque ab patre & ipſo filio* (i) *receptum ſcriptum, cum omni definitione Eccleſiae, & de aliis cauſis, quibus contra eos agere videbantur, ſicut in eorum ſcripto legitur. Sed & ipſi*
D Canonici *omnia cum pace habere volentes, adquiſierunt Altaria, quae erant in ea Eccleſia, a nepotibus Briguli & Ildebrandi, quorum* (**) *Avibus Cuccius dederat, & a* (k) *Guinigaldo filio Giti Teuzi. Ildebrando filio Cani, nepoti Ildebrandi pro ſua parte Altaris Sancti Johannis, dederunt octo Solidos. Filius Ruſticelli conſobrinus illius ſuam par-*

(a) *Interrogatum*
(b) & quae Eccleſiae
(c) *Raginaldus,*
(d) *Eccleſiae dedecus*
(e) *eſt*
(f) *cottidie*
(g) *orrendum*
(*) Scribendum *eo tenore, ut*
(h) *linguis Campanarum*
(i) *receperunt*
(**) Pro *Avis*
(k) *Guinigildo*

partem ejuſdem Altaris dedit ipſis Canonicis *pro anima ſui patris. Nepotibus Briguli Teuderico & Boſoni dederunt ſexdecim Solidos.* (a) *In Altare Sanctae Luciae, & Letanias de Gropina dederunt* (b) *Guinigildo ſexdecim Solidos.*

Nunc de Confeſſione, quam praetermiſimus, quae eſt ſub Altare Sanctae Mariae, prout Dominus donaverit, veritatem dicamus. Denique ſicut praefati ſumus, praedicti Pontifices tres partes de Altare Confeſſionis ſimiliter Clericis dederunt. Idem Gebizoni Presbytero filio Peci, & Boſoni Clerico filio Ropulti, quem ſecum Elpertus Epiſcopus conduxit, & Viventio Clerico filio Johannis Ati. (c) *Vebiro Presbyter non habens filium, ſed filias, unam ex illis Teuza nomine* (d) *Griſoni Notario in domo ſua in conjugium dedit cum ſua parte illius Altaris, & cum omnibus terris ſuis. Ex qua natus eſt Ildibrandus, qui accipiens quindecim Solidos, dedit eam* Canonicis. *De Boſone geniti ſunt Guidolus, & Carellus. Guidolus adquiſivit partem fratris, & poſt utraſque dedit* Canonicis *pro anima ſua.* (e) *Tamen recepit inde veſtimentum bambacinum. Viventius Clericus, & Signorellus fratres non habentes filios, reliquerunt partem illius Altaris & omnia ſua nepotibus ſuis filiis fratris ſui Teozonis, ſcilicet Boſoni & Jocundo, qui fuit* Archidiaconus & Praepoſitus, *qui & reliquit omnia ſua Boſoni fratri ſuo, cum praedicta parte Altaris. Boſo autem dedit illam* Canonicis *& accepit pro ea terram de Villalba, quam dedit* Sophia Comitiſſa *pro anima Henrici filii Uguizonis mariti ſui.*

Ne fallaces compoſitores judicemur, qualiter partes oblationis Eccleſiae Sancti Stephani & Sanctae Mariae ante (f) *noſtris oculis multoties diviſae fuerint, breviter dicamus. Si eſſent ſexaginta quatuor Panes, aut quilibet, in primis Canonici tollebant ex eis* (g) *ſexdecim, quae erat quarta pars.* (h) *Relinquebantur quadraginta octo, & fiebant ex eis quatuor partes. Tunc ex ipſis Gerardus Maſcari tollebat duodecim, & duodecim Johannes Blancus. Duodecim erant inter Sizonem & Benicum. Alii duodecim, qui remanebant, taliter diviſi erant.* (i) *Ucellitus, & Widolus filii* (k) *Blanchi habebant undecim. Alios undecim, qui remanſerant, habebant Pincus & Briccus fratres. Alter eorum habebat tres filios & tres panes, & alius ſimiliter.*

Omnia, quae a nobis hìc ſcripta ſunt, teſtem Dominum ſecretorum agnitorem habemus, (l) *nihil eſſe adjunctum ſtudioſe.* (m) *Sed compendioſe deſcripſimus veritatem.*

Multa heic, ut vides occurrunt ad prodendos veteris Cleri ritus, ſimulque perditos nonnullorum mores, quibus inſiſtere in praeſentia non juvat.

(a) *Inter Altare*
(b) *Guinigildulo*
(c) *Zebizo*
(d) *Griffoni*
(e) *Tantum recepit*
(f) *noſtros oculos multotiens diviſi*
(g) *ſedecim*
(h) *Reliquebantur*
(i) *Ucellitus*
(k) *Blanki habebant ſex. Alios ſex, qui*
(l) *nichil eſſe ajunctum*
(m) *Sed &*

juvat. Id tantummodo addam, diu poſt Saeculum Chriſti Undecimum perduraſſe aliquibus in locis, numquam antea interruptam, aut ibi reſtitutam communem Canonicorum vitam atque habitationem. In hanc rem duas Chartas proferam, quarum primam ex Archivo Capituli Canonicorum Cremonenſium & ex apographo pervetuſto deſcripſi.

Calliſti II. Papae Bulla, quae diſcordiam inter Obertum Cremonenſem Epiſcopum, & Canonicos illius Eccleſiae componit, Anno 1124.

CAlixtus Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei. Venerabili Fratri* Oberto Cremonenſi Epiſcopo *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nec caput cum membris opportunum eſt diſſidere, nec a ſubiectione & famulatu capitis membra condecet diſſentire. Humani namque compago corporis diutius non poterit permanere incolumis, ſi caput concordi & rationabili non utatur regimine, & membra propriis non fungantur officiis. Pari igitur proportione diguum eſt, Epiſcopum cum paterne Caritatis diſcretione Clerum & Populum ſibi commiſſum regere, & ipſos ei tamquam capiti proprio cum devotionis humilitate concorditer obedire. Auctori enim Deo, & amatori pacis aliter gratum non poteſt impendi ſervitium, niſi mentes hominum in radice fundate fuerint Caritatis. Unde nos inter te, &* Majoris Eccleſie Cremonenſis Canonicos *audientes ortam eſſe diſcordiam, habito Fratrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium conſilio; hanc inter vos concordiam compoſuimus. Ut videlicet nullus in Majori Eccleſia conſtituatur preter aſſenſum & voluntatem Epiſcopi, qui ſicut Eccleſie caput eſt, ita voluntas ejus & ratio debet precedere. Canonici Epiſcopo obedientiam in manu ejus promittant & teneant.* Ad menſam Canonicorum, quando cum Canonicis comederit, cum uno Clerico, & uno Serviente, vel cum duobus Clericis veniat, *& tamquam Epiſcopus honoretur. De Altario Sancti Imerii omnem oblationem recipiat, preter edenda, que ad pedem Altaris offerentur, & ea ad uſum Canonicorum reſerventur, & preter medietatem cere & incenſi, quae ibi offeruntur, que ad Eccleſie ſervitium reſerventur. Archidiaconum, Cantorem, & alias perſonas Epiſcopus conſenſu Canonicorum conſtituat. Eccleſiam Sancti Michaëlis, & predia & poſſeſſiones, quas Epiſcopus per idoneos teſtes proprie ad Epiſcopatum pertinere probaverit quiete pacificeque obtineat.* Et quia Canonici domum, in qua olim habitaverant, ad ampliandam Eccleſiam conceſſerunt, domum, in qua modo habitant, licèt juris Epiſcopi fuerit, pro concordia tamen & caritate deinceps ad Communis Vite cohabitationem retineant, *& hoſpites, quando voluerint, in ea recipiant.*

Ego Calixtus Catholice Eccleſie Epiſcopus *laudans,*

Datum Laterani per manus Aimerici ſancte Romanae Eccleſiae Diaconi Cardinalis & Cancellarii, XI. Kalendas Aprilis, Indictione XI. Incarnationis Dominice MCXXIV. Pontificatus autem Domni Calixti Secundi Pape Anno VI.

Haec de Epiſcopo in praeſenti Bullà dicta animadverteris: *Ad menſam Canonicorum comederit, cum uno Clerico, & uno Serviente, vel cum duobus Clericis veniat.* Communem adhuc Cano-

Canonicorum menſam haec produnt. Sed apertiora ſunt, quae in fine de Canonicis leguntur: *Domum, in qua modo habitant, licèt juris Epiſcopi fuerit, pro concordia tamen & Caritate deinceps ad Communis Vitae cohabitationem retineant.* En diſertis verbis indicata conſtans adhuc in Monaſterio, ſive Clauſtro, ſocialis Canonicorum Vita. Accedat, & altera Charta *Griſonis Epiſcopi Ferrarienſis* juſſa ſcripta, & nunquam antea edita. Suppeditavit illam mihi Peregrinus Priſcianus in Annalibus MStis Ferrarienſibus, quos Eſtenſis Bibliotheca aſſervat.

Donatio multarum rerum facta a Griſone Epiſcopo Ferrarienſi Canonicis ſuae Eccleſiae, Anno 1141.

IN nomine Sancte, & individue Trinitatis. Anno Dominice Nativitatis MCXXXXI. Apoſtolatus verò Innocentii Pape *Anno XII.* Conrado *quoque* in Italia Regnante *Anno IV. die Menſis Madii XI. Indictione IV. ultra Padum, ſub Porticu Eccleſie Sancti Georgii. Voluntarie quidem donationis titulus quamquam ordine verborum rationabiliter poſſit firmari, tamen propter ſecuturi temporis cautelam oportet ſcripturarum ſtipulatione roborari, ne in poſterum humane voluntatis mutabilitas adversùm ſe machinari moliatur injuriam; ſeu inter litigantes, & unanimes ſuſcipientes diſſidium, animi & cordis jurgia generentur, preſertim illius donationis, que Canonicè auctoritate acta dignoſcitur, & pro pace & tranquillitate venerabilibus locis tribuitur. Quapropter ego* GRIFO, *Dei gratiâ ſancte Romane Eccleſie filius, & per eandem* Ferrarienſium *humilis* Epiſcopus, *pietate motus, Apoſtolice Sedis precepto, & auctoritate fultus; perpetue ſalutis cauſſâ, per hanc donationis paginam de meo jure & dominio ac poteſtate, jure ſuſcepti, ſuſcipiendique beneficii largior, concedo, ſeu dono, atque imperpetuum translato res Eccleſie inci Epiſcopii pro remedio ſcilicet anime mee meorumque omnium Predeceſſorum vel Succeſſorum Epiſcoporum, qui in poſterum predicto Epiſcopio ordinati fuerint, & pro remiſſione peccatorum noſtrorum, vobis preſentibus* Domno Ugoni Sacerdoti, Johanni Subdiacono Tranſpadane Sancti Georgii Eccleſie Canonicis, *in qua Ferrarienſis Epiſcopatus Sedes olim viguit, per vos autem in preſatam Eccleſiam, veſtriſque futuris Succeſſoribus regulariter promovendis Canoniceque viventibus, in perpetuum poſſidendas res inferius legendas, ideſt: Palatium meum Domnicatum cum Eccleſia Sancti Apoſtoli Dei Thome; Capella mea in eo ſita, ſeu etiam cum toto & integro Cimiterio, & vacuamento circa jam dictam Sancti Georgii Martyris Chriſti Eccleſiam poſita. Similiter dono Caſalem illum cum Cocquina & Curte, in quo bone memorie* LANDVLFVS Epiſcopus *Predeceſſor meus habitare viſus fuit. Quem ſcilicet Caſalem cum Cocquina, Oldo & filii Caude-raſe, atque Albrigetus nunc tenere videntur: nec non Ortum, quondam Canonicorum, prope & retro jam dictum Caſalem poſitum. Similiter concedo Braïlum meum Domnicatum, arboribus pomiferis conſatum, foſſato & ſepibus circumdatum. Hec quidem, que predicta leguntur, in ſuperiori parte prememorate ſanctiſſimi Georgii Chriſti Martyris Eccleſie conſtare noſcuntur. Inſuper do & dono, & ſicut ſuperius legi-*

legitur, jure beneficii largior vobis res in inferiori parte Eccleſie jam dicti Martyris poſitas, ſcilicet: Domum meam ſoleratam, que vocatur Hoſpitium: Domum quoque Canonicorum cum Porticu & Cimiterio circa jam dictam Eccleſiam poſito: nec non & terram illam, quam Piſulus a prenominatis Canonicis tenere videbatur: totamque etiam illam, in qua olim Domus Presbiteri Petri fuit, & Cocquina Canonicorum extitit. Quorum omnium bi ſunt fines. Primo latere de ſupra jus Monaſterii Sancti Silveſtri, quod tenet Media-barba, & jus noſtri Ferrarienſis Epiſcopatus, quod tenet Rolandus de Ruſticello. Secundo latere de ſubtus via publica percurrente, juxta quam putens eſt, primo capite Fluvius, qui Gabiana nuncupatur, percurrit: ſecundo capite Johannes Caſtaldio de jure Canonicorum, & Roſellus cum Nepote ſuo, & filii Caude-raſe de eodem jure noſtre Ferrarienſis Eccleſie.

Hec omnia, que ſunt infra preſcripta latera, de meo jure, meoque dominio ac poteſtate traſferens, donans, concedens atque largiens vobis prefatis Canonicis, veſtriſque Succeſſoribus, & per vos in prediſtam Eccleſiam prememorati Martyris Chriſti Georgii, ſicut ſuperius legitur. Super hec quidem omnia dono, & ſicut jam ſupra dictum eſt, jure beneficii largior vobis Manſos in Maſſa Quartiſiane poſitos, & duos Manſos amaſatos in Capite Rede, & duos Manſos ſimiliter amaſatos in Contra-padum, Plebe Sancti Martini, territorio Ferrarienſi. Necnon totas, & integras Decimationes Coue, & Cocomarii, & ipſam ſimiliter Eccleſiam Sanctae Dei Genitricis Virginis Marie de prenominato Cocomario, cum Eccleſia ſimiliter Sancti Confeſſoris Chriſti Nicolai cum Cimiteriis atque circuitibus ad jam dictas Eccleſias pertinentibus. Simili modo concedo vobis atque trado Eccleſiam Sancti Michaëlis de Ripa-Padi, cum Cimiterio & circuitu ſuo, rebuſque omnibus ad eam pertinentibus. Similiter do vobis totum Policinum, ante predictam Eccleſiam Sancti Georgii poſitum, preter vineam meam domnicatam. Preterea do vobis, & jure proprio largior Bradiam Antiue cum Decimis ejuſdem Bradie, cujus latera hec ſunt. Primo latere Borarii: ſecundo latere Filii, quondam Petri Bila poſſident, & Fantulus, & Petrus Bataclu. Primo capite Via publica, ſecundo Via & Foſſa. Et totam & integram Bradiam Foſſe-nove, cum Eccleſia Sancti Marci, & cum hominibus ſuper eam ſedentibus, cujus confines bi ſunt. Primo latere Filii quondam Siguorelli de Creſcentio poſſident, ſecundo latere Godo de Ganaceto. Primo Capite Gabiana percurrit, ſecundo capite Albericus Grata-colum. Inſuper concedo vobis Decimarum partem, ad jam dicti Martyris Chriſti Georgii Eccleſiam pertinentem cum primiciis & oblationibus omnibus. Pro his quidem omnibus praeſcriptis inveſtitorem vobis dedi, & coram inſerius legendis teſtibus in veſtris miſi manibus Presbyterum Petrum hujus noſtre ſancte Ferrarienſis Eccleſie Cantorem, & Primicerium, atque Bonumfilium Vicedominum meos Miſſos, qui vos in ipſas res corporaliter inveſtiant. Ad habendum, tenendum, poſſidendum, & ordinandum, diſponendum, & quicquid vobis veſtriſque Succeſſoribus Canonice viventibus, ad utilitatem preſcripte Chriſti Martyris Georgii Eccleſie, placuerit faciendum. Promitto preterea ego jam dictus Epiſcopus donator atque conceditor, cum meis futuris Succeſſoribus, ſicut ſupra dictum eſt, pro remedio animarum noſtrarum, ac remiſſione peccatorum noſtrorum, hanc Donationis paginam inviolabiliter vobis, veſtri-

*veſtriſque Succeſſoribus ſub pena auri optimi Librarum quatuor conſervaturum, & auctorizaturum, & poſt pene ſolutionem in perpetuum tacituru*m. *Quam verò paginam Donationis, Angelbertum in Dei nomine Ferrarienſem Notarium ſcribendam rogavi, & manu mea firmavi in Die, & Indictione praeſcripta.*

Ad hec fuerunt teſtes preſentes Ambroſius Abbas Monaſterii Sancti Bartolomei, *Gerardus Monachus ejuſdem Monaſterii*, Gerardus Archipresbyter Ferrarienſis Epiſcopatus, & Johannes Archidiaconus, *Presbyter Martinus, Presbyter Amicus, Presbyter Alſanus, Guitaclinus, Egidius Diacones, Donuſdei Archipresbyter de Copparo, Presbyter Gerardus de Sancto Paulo, Presbyter Stephanus Sancti Michaëlis, Caſotus, Linguita, Albertus de Adegerio, Ubertus filius quondam Gulielmi Tabellionis, Peregrinus Guidonis de Uberto, Gerardus Caligarius, Liutertus, Johannes Caſtaldius, Ruffus filius ejus, Muſardus, Paganellus ejus frater, Albertus Mala corona, Guigene, Henricus, Artzicus, Fiſulus, Raginaldus, Roſellus, Rolandus de Ruſticello, Rainaldus de Saſſa, Martinus de Auneſtis, Scarpa, Martinus Cloſſus, Ungarus de Bellio, Fantulus, Manſus, & filius ejus Rodolfinus, Albertus, Sikelmus, Panigalis, Fuſculus de Petrullis.*

Et ego Angelbertus, divino nutu Ferrarienſis Notarius preſens coram predictis teſtibus manu propria ſcripſi atque complevi, dedique & exemplavi.

Concedit iſta Ferrarienſis Epiſcopus Canonicis ſuis, eorumque *Succeſſoribus regulariter promovendis, Canonicequ*e *viventibus*: quibus verbis ſatis innuitur, ſervatam fuiſſe adhuc Regulam Canonicis olim praeſcriptam, eoſque commune contubernium habuiſſe in aedibus, quae, ut infra dicitur, *Domus Canonicorum* appellabantur. Poſteriorum etiam temporum documenta proferri poſſent, quibus palam fieret, Canonicos uni menſae aſſediſſe, unâque domo, atque uno aerario uſos fuiſſe. Et certe aetate etiam Innocentii III. Papae, atque Anno Chriſti MCCV. in eodem Clauſtro convivebant Canonici Patriarchalis Eccleſiae Lateranenſis, ut conſtat ex Literis ejuſdem Pontificis a Turrigio evulgatis in Libro de Cryptis Vaticanis Part. 2. Cap. 8. Verùm eo tandem deventura eſt oratio, ut dicamus, eorum vitam, habitationemque communem in aliquibus locis citius, in aliis ſerius, demum prorſus excidiſſe. Dum ſua quiſque quaerit, dum nulla diſciplinae Eccleſiaſticae, exigua continentiae, ac temperantiae cura eſt, ferreis potiſſimum Saeculis, & in omnia vitia facile ruentibus, ſatius viſum eſt Epiſcopis, Canonicos dimittere, ut ſibi quiſque viveret, quo ſaltem ſcandala vitarentur, quae antea in omnium oculos incurrebant. Ex Charta ſpectante ad Annum circiter MCCLII. quam protuli in Diſſertatione XIV. *de Servis*, evidenter colligitur non multis ante annis Canonicos Ferrarienſes *diviſiſſe poſſeſſiones Canonicae inter ſe*: quae verba innuunt, jam ſublatam fuiſſe Vitam Communem. Medio quoque Saeculo praecedenti Duodecimo floruit Gerohus Praepoſitus Reicherſpergenſis, cujus Librum de corrupto Eccleſiae Statu evulgavit Baluzius Lib. V. Miſcellaneorum. Is autem pag. 96. in haec verba loquitur: *Nonne ſimiliter & Canonici Epiſcopalium Eccleſiarum vivunt de ſtipendio, Regulariter viventibus conſtituto? Et ipſi nullam penitus obſervant Regulam, neque ſaltem illam diſſolutam, quam ſibi a Ludewico dicunt propoſitam, ſeu*

impoſitam. Quae quum eos juberet in Clauſtris ſuis inſimul habitare, nec permittat illis extra Dormitoria ſua dormire, abſque inevitabili cauſâ, non ita ſit, ſed unuſquiſque diſcurrit, & dormit ubi vult! Quamobrem in cunctis quidem ferme Urbibus proſtant adhuc vetera Canonicorum Clauſtra, & pleraque penes Eccleſias Cathedrales ſita, quae *Canonicae* Aedes etiamnum nuncupantur. Attamen nullum amplius inter eos communis, & olim paene Monaſticae vitae veſtigium ſu-

A pereſt, ita ut ſervatâ tantùm in ſacris faciendis ſocietate, unuſquiſque domi ſuae degat liber in Seculo. Supra autem monui, ejuſmodi Canonicorum Clauſtra appellata fuiſſe *Monaſteria*, non ſecùs ac domicilia Monachorum. Multis veterum teſtimoniis parco, ut periculum faciam, an idem confirmari poſſit tabulâ marmoreâ, quae Mediolani viſebatur in Sancti Simpliciani Coenobio, uti e Schedis MStis Ambroſianae Bibliothecae didici. Eas ejus **verba.**

B

✠ HIC REQVIESCAT IN PACE . . . . . E MEMOR ERIS . . . .
DECVMANVS PRESBITER, HVJVS MONASTERII
CANONICVS, QVI DVM VIXIT IN CORPORE . . . . . .
GVNCTA DEI PROMTVM OBSERVANS, POST VITAE TRANSITVS...
QVEM SEMPER DILEXIT, MESTISSIMO CORDE PORREXIT.
VNDE PRECAMVR TRANSEVNTES, QVI IN HAC BREVI
TABVLA SVVM NOMEN DESCRIPTVM CERNITIS
PRO IPSO DIGNVS DEO PRECES FVNDERE DIGNEMINI.
ANNO DCCCC.

Antiquiſſimus eſt in Mediolanenſi Eccleſia *Ordo Presbyterorum Decumanorum*, de quibus videndus Landulphus ſenior Lib. I. Cap. 8 Hiſtor. Mediolanenſ. Tom. IV. Rer. Italicar. Scribebat ille circiter Annum Chriſti MLXXX. Ejuſdem autem Eccleſiae Presbyter Decumanus iſte, ſimul & Canonicus fuit Monaſterii Sancti Simpliciani. At huic mihi in oppoſitum venit Epiſtola 254. Johannis VIII. Papae, qui Anno Chriſti DCCCLXXXI. ſub ſua protectione recipit *Haderiwum* venerabilem *Presbyterum & Abbatem ſacrorum Monaſteriorum, beatorum ſcilicet Gervaſii, & Protaſii, atque Simpliciani, nec non & Xenodochii Sanctorum Coſmae, & Damiani &c.*

C Hinc Puricellius in Monument. Baſilic. Ambroſian. num. 120. & Mabillonius in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCCLXXXI. deducunt, ante illum Annum nobile Sancti Simpliciani Coenobium in Mediolanenſi Urbe traditum fuiſſe Monachis, qui adhuc ibi ſervire Deo pergunt. Quid eſt ergo, quod huic nobis occurrit

D *Presbyter Decumanus Canonicus hujus Monaſterii?* Nihil aliud mihi dicendum ſuccurrit, niſi aut Monaſterium Sancti Simpliciani tunc minime diverſum fuiſſe a Ravennatibus quibuſdam, in quibus nulli Monachi, ſed Presbyteri tantùm Seculares ſub ſuo Abbate degebant. Qua de re infra agam in Diſſertatione LXV. Aut ſi-

rul

mul Monachos & Canonicos in Basilica & Monaſterio Sancti Smpliciani laudes Deo perſolviſſe. Non me ſane fugit, Praebendas interdum Monachis datas in Eccleſiis minime Monaſticis. Monachos quoque in Cathedralibus Canonicorum munere functos reperi. At ſimul novi, uti Puricellius in eodem Libro nuper memorato num.... oſtendit, *Eccleſiae Metropolitanae Decumanos ſimul etiam fuiſſe aliarum iſtius Urbis Eccleſiarum Officiales*: quod etiam oſtendunt tabulae Anni DCCCCXCVII. ab ipſo laudatae.

Ex quo autem communio menſae & domicilii a Canonicis diſrupta eſt, invaluere Eccleſiaſticae *Praebendae*: quo nomine deſignabatur portio illa redituum, quam ſingulis Canonicis domi ſuae degentibus Eccleſia praebebat ad eorum victum atque veſtitum. Neque dubito, quin & longe ante Saeculum Chriſti Undecimum ſi non nomen, certe res in uſu fuerit. Ratherius Veronenſis Epiſcopus Saeculo Decimo in Opuſculo de *Abbatiola* ſcribit: *Ordinavi, ut quiſque Presbyterorum annuatim acciperet inter frumentum, & Segallum* (ideſt Secale) *modia decem, inter legumina & milium modia decem &c.* Sed is immorari non vacat. Ceterum ad diſſipandas, minuendaſve ejuſmodi Collegiorum fortunas conſpiravit olim & ipſorum Epiſcoporum impotentia, qui non ſuis contenti reditibus, Canonicorum quoque patrimonia, pleraque a praecedentibus piiſſimis Epiſcopis donata, uſurpabant, aut in emphyteuſim tradendo diſſipabant. Quare tempora fuere, quibus Canonici, quum Privilegia ab Imperatoribus aut Regibus quaerebant, hoc etiam addendum curavere, ne cuiquam Antiſtitum liceret eorum bona invadere aut eripere. Id praecipue a Lucenſibus Canonicis factum, uti conſtabit ex tribus Diplomatis, quorum priorum antiqua apographa, & tertii autographum vidi in eorum Tabulario, nunc evulganda.

Hugonis & Lotharii Regum Italiae Diploma, quo Canonicis Lucenſibus Curtem Sanctae Petronillae largiuntur, Anno 941.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Hugo, *& Lotharius divina favente clementia* Reges. *Si ſanctis ac venerabilibus ex ..... noſtrorum rebus aliquid Locis offerimus, inſtantis & future vite premium adipiſci non titubamus. Quapropter omnium ſancte Dei Eccleſie fidelium, noſtrorumque preſentium ac futurorum noverit univerſitas, qualiter pro Dei amore, animarumque* Adelberti Marchionis, *matriſque noſtre* Berte *conjugis ejus, ac noſtrarum animarum remedio, quamdam Curtem juris noſtri Sancte Petronille vocitate, que nobis hereditario jure ex parte ejuſdem Matris noſtre evenit prope Maſſam Macinariam conjacentem cum Capella in honore ejuſdem Sancte Petronille, cum manſis viginti in Maſſa Macinaria, & duobus in loco Colugnole, nec non & pratis in Cepto & in Turignona, atque vinea & campis in loco Turingo; nec non vinea & terris in Palatiano, & aliquantula terra in Ponte tecto, cum ſervis & ancillis, omnibuſque rebus & familiis ad eamdem Curtem & Capellam pertinentibus,* Eccleſie beati Martini, ubi caput Lucani Epiſcopi eſſe dinoſcitur, in uſum & ſumptum Canonicorum, ibidem

dem pro tempore Deo militantium, *prout juſte & legaliter poſſumus, concedimus, donamus, atque largimur, & de noſtro jure & dominio in eorum jus & dominium omnino transfundimus & delegamus, una cum caſis, ſediminibus, campis, terris, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, montibus, vallibus, planiciebus, ſervis, & ancillis, aldionibus & aldianis, cunctiſque rebus, & familiis juſte, & legaliter ad eandem Curtem pertinentibus & reſpicientibus in integrum; quatenus* Canonici in Eccleſia beati Martini, *Deo famulantes, & pro animabus Adelberti Marchioni, matriſque noſtre Berte conjugis ejus, & pro nobis Dominum exorantes, prefatam Curtem cum omnibus ad ſe pertinentibus, in integrum habeant, teneant, firmiterque poſſideant. Inſuper etiam Curtem illam, que Maſſagrauſi dicitur, quam Mater noſtra de Patris noſtri ſuoque pretio comparavit, quam etiam nos dudum prefate Eccleſie beati Martini* in uſum & ſumptum Canonicorum, *pro animabus Adelberti Marchionis Matriſque noſtre Berte contulimus, per hanc noſtre preceptionis paginam confirmamus, pleniterque corroboramus, ut habeant, teneant, firmiterque poſſideant.* Statuimus, ut Epiſcopus loci nullam quoquam in tempore de prefatis Cortibus poteſtatem habeat, neque inde ſe intromittat, niſi ad Canonicorum auxilium & ſalvationem. Et ſi, quod abſit, a poteſtate eorum prefatas Cortes cum omnibus ad ſe pertinentibus, Epiſcopus loci, *aut ullus invaſor*, tulerit aut ſubtraxerit, tunc deveniant in jus & poteſtatum unius ex propinquioribus parentibus meis tamdiu, donec talis Epiſcopus veniat, qui prefatas Cortes in jure & poteſtate Canonicorum eſſe permittat. *Denique & Plebem de Sugruminio in honore Sancti Laurentii conſtructam, quam* Conradus *ſancte* Lucane Eccleſie Epiſcopus, *ex parte Epiſcopii, loco quarte portionis* ex decimis praedicte Canonice in uſum & ſumptum Canonicorum per ſcriptum conceſſit; *per hoc noſtrum Preceptum confirmamus & corroboramus:* ſtatuentes, ut nullus Epiſcoporum eamdem Plebem a poteſtate Canonicorum tollere praeſumat. *De cetero totius ordinis Canonicos, predictaſque Curtes, & Plebem cum omnibus rebus, & familiis ad eaſdem Cortes & Plebem pertinentibus, cunctaſque res & familias Canonicorum, ſub noſtram defenſionem & mundiburdium recepimus. Atque precipientes jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Epiſcopus &c. Si quis igitur hujus Precepti violator exeiterit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum medietatem Kamere noſtre, & medietatem Canonicis in memorata Eccleſia pro tempore Deo famulantibus, & inſuper eterne damnationis &c.*

Signa piiſſimorum HVGONIS *&* LOTHARII *Regum.*

Giſeprandus Cancellarius ad vicem Boſonis Epiſcopi & Archicancellarii recognovi, & ſubſcripſi.

Data VII. Kalendas Aprilis Anno Dominice Incarnationis DCCCCXII. Regni verò Domni Hugonis Regis XV. filii ejus Lotharii item Regis X. Indictione XIIII. Actum Luce feliciter. Amen.

Otto-

Ottonis Magni Imperatoris Praeceptum, quo confirmantur Canonicis Lucenſibus omnia eorum bona & jura, Anno 962.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Regis eterni. Otto *Dei gratia* Imperator Auguſtus. *Quia decet regali magnificentie Loca ſanctа ditari atque venerari, & omnibus Chriſtianis de animabus ſuis curam atque ſollicitudinem gerere, ideo dignum duximus modo in præſenti ſantiſſimi Martini Epiſcopi Locum Luce ſitum in aliquid locupletari, ut & ipſis, pro quibus donatum eſt, ad refrigerium, & nobis ad remedium proficiat ſempiternum. Quapropter conſiderantes nos hoc, & in animo volventes, prece & admonitione* dilecte noſtre Conjugis Adelchide, Regnique noſtri conſortis, *concedimus atque donamus predicto ſancto Loco, ſicuti olim* Hugo, & Lotharius *noſtri predeceſſores* Reges *pro remedio animarum* Adelberti Marchionis & Berte Comitiſſe, *nec non & ſuarum, dederunt beato Martino Pontifici*, Eccleſieque ſue ſite Luce, ſuiſque fidelibus ibi pro tempore Deo famulantibus, Sacerdotibus ſcilicet, & Diaconibus, Subdiaconibuſque, ceteriſque ibi pro tempore ordinatis, *videlicet Cortes duas, unam, quam predicta Berta ſuo pretio comparavit, & dicitur Maſſa-gauſi, conſiſtens in ipſo Comitatu Lucenſi, cum terris & maſſariciis ibi pertinentibus, videlicet in loco Mozatico manentes duos, in Arſiculo manentes duos, in Montiſano manentem unum, in Fiocle manentes quatuor, in Caſule manentes tres &c. cum omnibus pertinentiis ejuſdem Cortis noſtra preceptaria auctoritate jam dicto ſancto Loco concedimus, ſundituſque largimur. Inſuper etiam Curtem aliam in eodem Comitatu Lucenſi aſpicientem, Sancta Petronilla nomine prope Maſſam Macinariam conjacentem cum Capella in honore ejuſdem Sancte Petronille, cum manſis viginti in Maſſa Macinaria, & duobus in Colugnule cum ſervis & ancillis &c. Sicut* Ugo & Lotharius *prenominati* Reges *preceptali auctoritate obtulerunt Eccleſie beati Martini, ubi caput Lucani Epiſcopatus eſſe dinoſcitur*, in uſum & ſumptum Canonicorum ibidem pro tempore Deo militantium, *ita nos ibidem concedimus, donamus, atque largimur, & de noſtro jure & dominio in eorum jus & dominium omnino transfundimus ac delegamus una cum caſis, ſediminibus, campis, vineis, pratis &c. Quatenus* Canonici *in Eccleſia beati Martini Deo famulantes, & pro animabus ſuperius nominatis, & pro nobis Deum exorantes, preſatas Cortes cum omnibus ad eas pertinentibus, in integrum illis concedimus, ut habeant, teneant, firmiterque poſſideant.* Statuimus, ut Epiſcopus loci nullâ quoquam in tempore de preſatis Cortibus poteſtatem habeat, neque ſe intromittat, niſi ad Canonicorum auxilium & ſalvationem. Et ſi, quod abſit, a poteſtate eorum prefatas Cortes cum omnibus ad ſe pertinentibus Epiſcopus Locis, *aut ullus invaſor*, tulerit, aut aliquid ſubtraxerit, tunc devenant in poteſtatem Ducis, & Marchionis Luce Civitatis tandiu, donec talis Epiſcopus venerit, qui preſatas Cortes in jure, & poteſtate Canonicorum eſſe permittat. *Denique & Plebem de Sugrominio in honore Sancti Laurentii conſtructam, quam* Conradus ejuſdem Civitatis Epiſcopus *ex parte Epiſcopii, loco quarte portionis ex Decimis* prædicte Canonice in uſum

usum & sumptum Canonicorum *per scriptum concessit, per hoc nostrum Preceptum confirmamus, & corroboramus.* Statuentes, ut nullus Episcoporum eamdem Plebem a potestate Canonicorum tollere presumat : *De cetero totius ordinis Canonicos predictasque Cortes & Plebem, atque omnes illorum offersiones, quascumque homines religiosi pro animabus parentum suorum in eo-* A *dem loco dederunt, vel qui in antea ibidem daturi sunt, cum omnibus rebus & familiis ad eadem Cortes & Plebem, seu offersiones pertinentibus, cunctasque res & familias Canonicorum, sub nostram defensionem & Mundburdum recipimus ; atque precipientes jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Episcopus &c. Si quis igitur hujus p* [illegible] *pti &c.*

Signum Domni Hottonis T H *sereniſſimi Imperatoris.*

Liutgerius Cancellarius ad vicem Brunonis Archicancellarii recognovi & subscri ſi.

Data III. Idus Martii, Anno Dominice Incarnationis DCCCLXII. Anno verò Imperii Domni Ottonis Primo, Indictione V.

Actum Luce feliciter. Amen.

Ottonis Secundi Diploma autographum confirmantis Privilegia Canonicis Lucenſibus. Anno 982.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Otto *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Quia decet Imperiali munificentiae loca sacra ditari, atque venerari &c. Quapropter considerantes nos hoc, & in animis nostris volventes, prece & admonitione dilectae* noſtrae Conjugis Theophanis Imperiique noſtri Conſortis, *concedimus atque donamus, & confirmamus predicto sancto Loco sicut olim* Hugo, Lotharius, noſterque Genitor, *atque predecessores nostri Reges & Imperatores pro remedio animarum* Adelberti Marchionis & Bertae Comitiſſae, *necnon & suarum, dederunt beato Martino Pontifici, Ecclesiaeque sanctae sitae Lucae, suisque fidelibus ibi pro tempore Deo famulantibus*, Sacerdotibus ſcilicet, & B Diaconibus, Subdiaconibuſque, ceteriſque ibi pro tempore ordinatis, *videlicet Cortes duas, unam quam predicta Berta suo pretio comparavit &c.* (*) Statuentes ut Epiſcopus Loci nullam quoquam in tempore de praefatis Cortibus poteſtatem habeat, neque ſe intromittat, niſi ad Canonicorum auxilium & ſalvationem. Et ſi, quod abſit, a poteſtate eorum prefatas Cortes cum omnibus ad ſe pertinentibus, Epiſcopus Loci, aut ullus invaſor, tulerit, aut aliquid ſubtraxerit, tunc deveniant in poteſtatem Ducis & Marchionis Lucae Civitatis; tandiu, donec talis Epiſcopus veniat, qui prefatas Cortes in jure & poteſtate Canonicorum eſſe permittat. *Denique & Plebem &c.*

Si-

(*) Eadem hoic repetuntur, quae in Diplomate Ottonis Primi ſupra deſcripto leguntur.

Signum Domni Ottonis Secundi Imperatoris & invictiſſimi Auguſti.

Adelbertus Cancellarius ad vicem Petri Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data XII. Kalendas Januarias Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXXXII. Indictione X. Anno verò Regni Secundi Ottonis XXV. Imperii quoque ejus XV. Actum juxta Civitatem Salernum.

E chordula pendet fragmentum cerei Sigilli prae vetuſtate confracti.

Neque ſegniores fuère Arretinae, & Volaterranae Eccleſiarum Canonici in impetrando Regum & Imperatorum patrocinio, quo contra omnes A uſurpatores uterentur. Hujus rei fidem facient Diplomata duo, quorum archetypa in earum Eccleſiarum Tabulariis vidi atque deſcripſi.

Confirmatio quorumdam bonorum ad Canonicos Arretinae Eccleſiae ſpectantium facta ab Hugone & Lothario Regibus Italiae, additis aliis donis, Anno 933.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Regis aeterni Hugo *& Lotharius gratia Dei* Reges. *Quia Regalis magnificentia pia & larga erga Dei cultores, & Eccleſiarum Dei recuperatrix eſſe debet, ut id agendo praemia mereatur conſequi ſempiterna; ideoque venientibus nobis ad Domum Sancti Do-* B

nati Confeſſoris, & Martyris Chriſti pro timore Dei omnipotentis, & ipſius ſanctiſſimi loci veneratione, animarumque noſtrarum, ſeu parentum noſtrorum ſalvatione, ſimulque precibus kariſſimi Fratris noſtri Boſonis *inclyti* Marchionis *adquieſcentibus, aliquantum terrae, quam bonae memoriae* Petrus Epiſcopus ad utilitatem Canonicorum ibi pro tempore Deo ſervientium *diſtribuit, & Sereniſſimus* Avus noſter Lotharius Imperator *in aliquid poſtea confirmavit, & in aliquid ſuo proprio dono conceſſit, ſed deinde Paſtorum neglegentia, & pravorum hominum cupiditate illis ſubtracta fuit, videlicet vineam unam ad Pinum cum Campo ibi prope ſimiliter ad Pinum nominante, & Campum alterum, qui dicitur Pratum Salae, nec non Corticellam unam, quae dicitur ad Clane cum ſua pertinentia, & aliam Corticellam, quae vocatur Majona, ſub integritate, ſicut decernitur in ſcripto a jam nominato Petro Epiſcopo &c.* (*) *ſcilicet* Leoni Archi- A diacono, Dodoni Archipresbytero, Petro Presbytero, qui fuit Vicedominus, *& item* Petro Monacho Presbytero & Sacriſtae, Sapienti Grammatico, Suaverico, & Willelmo Diaconibus, Arnulfo Diacono, Petro, Atoni, *atque* Leoni Presbyteris, Stephano quoque Diacono, *& reliquis &c. De jure inſuper Regni noſtri donamus* B praedicti loci Canonicis *Campum unum, qui dicitur Longoria conjacentem prope Perilaſium &c. Sed & nos pro mercedis noſtrae augmento, & ut in hoc opere noſtro, noſtrorumque fratrum, reliquorumque parentum fiat mercedis amplificatio, quamdam Terram, quam Mater noſtra ſuo pretio comparavit, ſcilicet Campum de Punta, & Campum de* C *Graticiata, & praedictum Campum de Longora jam memorate Eccleſie, quae eſt conſtructa in honore beati Donati Confeſſoris & Martyris Chriſti ad neceſſitates* Fratrum *conſulendas, proprietario jure concedimus &c.*

Signum Sereniſſimorum HUGONIS ET LOTHARII *Hugoni & Lotharii Regum.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Petrus Cancellarius ad vicem Gerlanni Abbatis, & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXXXIII. Sexto decimo Kalendas Februarii, Regni autem Domni Hugonis piiſſimi Regis VIII. Domnique Lotharii item Regis III. Indictione VI.

Actum in Domo Sancti Donati feliciter.

Hen-

(*) Ut in Privilegio Ottonis Magni edito in hoc Opere.

Henricus I. Imperator Canonicis Eccleſiae Volaterranae omnia illorum jura, & Privilegia confirmat. Anno 1015.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Heinricus *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Noverit omnium fidelium ſanctae Dei Eccleſiae, noſtrorumque praeſentium ſcilicet ac futurorum ſagacitatis induſtria, qualiter nos ob interventu* Benedicti Volterrenſis Eccleſiae Epiſcopi, *noſtrique dilecti fidelis, per hanc noſtram praeceptalem paginam recepiſſe* ſuos Canonicos ordinatos *ſanctae* Vulterrenſis Eccleſiae *pro anima noſtra in noſtra tuicione ac defenſione, prout juſte & legaliter poſſumus. Nomina denique illorum* Rodulfus Archidiaconus, Petrus Archipresbiterus, Sighifredus Primicerius, Adelmo Vicedomui, Lamberto Cantor, Andreas Presbiterus, Teud..... Presbiterum, Johannem Presbiterum, *& alium* Johannem, Albertum, Albizonem Diaconus, *necnon &* Azonem, Widonem, Almari, Petrus, Wandalmari, Donato, Teuzonem, & Teuzonem, Albertum, Wiaderi, Urſo, Willelmo, Berardo, Ildibrando, Petrus, & Petrus, Sabatino, Andrea, Anſelmo, Baruncio, Corbulo, & ceteri Canonici, ſcilicet quadraginta, quos in honore priſcis temporibus conſtituti fuerunt Sanctae Dei Genitricis Mariae ſemperque Virginis, & Sancti Octabiani, hac Sanctorum aliorum commemorationem, *noſtra recepimus ſub tuicione, ac etiam omnium illorum proprietatem,* quae *ad* Canonica pertinet, *oblationes, quae ſingulis diebus in Epiſcopio, & in Eccleſia Sanctae Mariae, & Sancti Octabiani, & Sancti Johannis Baptiſtae a forenſis oblatae fuerint, vel ſuper Altaria jam dictae Eccleſiae omnes oblationes tam auri quàm argenti poſitae fuerint, una cum Cimiteriis, ipſaque..... ſimul, & mortuorum; necnon & Plebs Sanctae Felicitatis & Sancti Johannis in Villa magna, & Plebs Sancti Laurentii, & Sancti Johannis in Treſcle, cum Cortis & rebus & oblationibus & decimationibus & mortuorum, quae pertinent ad prefatas Plebes, & Eccleſia Sanctae Mariae in Petriolo cum ſua pertinentia, & Eccleſia Sancti Octabiani in Collina cum ſua pertinentia, & Cortem in Ulignano, & Cortem in Flabiano, & Cortem in Caſtagnitulo, Cortem Cuſignano, Cortem in Iſclito, Cortem in Corrente, Cortem in Auchajano, Cortem in Tavernule, domnicato in Monte Alipertuli, domnicato in Pulveraria, Cortem in Ducia cum ſuis pertinentiis. Has Cortes, quas Benedictus predictus Epiſcopus ſue prenominate Eccleſie atquiſivit & condonavit, nominative hec ſunt: Cortem Sancti Georgii juxta fluvio Cecina, & Eccleſia Sancti Mammae in Corniuo cum duodecim modiorum de terra juxta ipſa Eccleſia, & Salinis atque Eccleſia in Cabianula, Eccleſia..... in Paterno, Eccleſia..... in Caprile, Eccleſia in Mortitulo, Eccleſia in Perſonate, Corte, que fuit Gherardi de Serina, in Macarro, Cortem medietatem in Rozano cum piſcaria, Cortem in Molazano cum Salinis, & Cortem in Scandale cum rebus ſuis, Cortem Ciunano, Cortem que fuit Azi Judicis, Cortem in Majano, que fuit Teudici, Cortem in Vigignano, que fuit Widoni, Cortem medietatem in Mezana, Cortem in Rivo Odoli, cum rebus novem, que fuit Davizi, Cortem in Granato, Cortem in Mazonula, Cortem in*

Lapiano cum piſcareis, Cortem que dedit Anſualdo, Cortem in Linaria, que ſita eſt in Paratine, Caſa cum terra, que poſita eſt a Porta Civitatis Lucenſis juxta Eccleſiam Sancti Gervaſii, que recta eſt per..... Hec omnia cum omnibus eorum pertinentiis preſenti confirmamus praeceptali auctoritate; eâ denique ratione, ut nemo eos dilaniare vel diſveſtire praeſumat de proprietatibus aut ſervis, necnon ancillis, acquiſitis vel acquirendis judicialiter. Inſuper eis conceſſimus, ac liberam concedimus facultatem, quo habeant poteſtatem eorum Canonicam, & cuique eidem Canonice, vel Clericis ſecundum predictum numerum ibidem pro tempore ordinatis de elemoſinis vel aliis rebus ac pertinentibus de oblationibus ſcilicet, atque mortuorum ſunctione ordinandi, diſponendi, abendi, tenendi, vel quicquit eorum voluntas decreverit faciendi. Nec liceat prefate Sedis Epiſcopum, qui nunc vel pro tempore fuerit, in eadem Canonica Canonicos augere ſupra preſcriptum numerum, vel aliquam moleſtiam, aut violentiam preſentibus A vel futuris inferre: Sed liceat, illos per hanc noſtram preceptalem auctoritatem quiete, ac tute ſeu ſecure vivere, Deo ſervire, ac noſtra pro anima orationem fundere, & predictam Canonicam & omnes res ei vel preſcripti numeri Canonicis juſta pertinentes dominare, ut predictum eſt, remotâ omnium ominum contrarietate, vel moleſtatione. *Precipientes igitur jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Epiſcopus, Comes, vel Vicecomes, Sculdaſſius, Decanus, Caſtaldio, ſeu Villicus, alia magna, parvaque perſona audeat, ſua cum preſumptione moleſtare hos jam dictos, vel diſveſtire, vel aliquam inferre moleſtationem. Sed ſi quis hoc noſtre conceſſionis Preceptum temere* B *iufringere temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras Centum, medietatem Camerae noſtrae, aliamque medietatem prelibatae Eccleſiae Canonicis, vel illorum ſucceſſoribus. Quod ut verius credatur diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manu propria hoc Preceptum corroborantes, Sigilli noſtri impreſſione inferius juſſimus inſigniri.*

Signum Domni Henrici ſereniſſimi *& inviciſſimi Imperatoris Auguſti;*

Signum ✠ Sigilli.

Henricus Cancellarius vice Everardi Epiſcopi, & Archicancellarii recognovit.

Datum Anno Dominicae Incarnationis MXV. Indictione XII. Anno Domni Heinrici Imperatoris Auguſti Regnorum XII. Imperii ejus I.

Actum in Comitatu Piſano in Villa, quae dicitur Faſiano feliciter. Amen.

Soliciti quoque fuere Canonici Ferrarienſis Cathedralis in ſibi conquirendis Privilegiis ac patrocinio Ottonis III. Auguſti. Legitur adhuc in eorum Tabulario Diploma, quod ad me miſſum a Joſeph Antenore D Scalabrinio Ferrarienſi, Rectore Sanctae Mariae de Bucca, & publico Sacrarum Literarum Profeſſore, ſaepius mihi in hoc Opere memorato, in publicam lucem efferendum heic cenſco.

Otto-

Ottonis III. Auguſti Diploma, per quod Canonicis Eccleſiae Ferrarienſis cuncta eorum bona ac jura confirmat, Anno 998.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Otto, *gratia Dei Romanorum* Imperator Auguſtus. *Si Eccleſiarum Dei curam gerimus, & Eccleſias dilatare ſtuduerimus, noſtri Imperii faſtigium augmentari minime diffidimus. Quocirca omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrorumque preſentium ac futurorum noverit induſtria, qualiter* Canonici *ſanctæ* Ferrarienſis Eccleſiæ in honore Sancti venerabilis Georgii conſtructæ, *noſtram adiere Celſitudinem, nominative* Martinus Archipresbyter, Bernardus Archidiaconus, Georgius Presbiter, Urſus Presbiter, cunctique ipſius Canonice ordine conſtituti, *humiliter deprecantes, quatenus nos pro Dei amore, noſtræque animæ remedio omnes res & proprietates, quæ eidem Eccleſiæ pertinere ..... Villa, quæ dicitur Quartiſiana, & fundo Contra-padum, & loco ..... Cuculi, & Caput-Reda, & Buniolo, & Warciaria, & cetera quæ jam dictæ Eccleſiae ad partem Canonicorum pertinent, Villas, Caſtella, terras, vineas, prata, agros cultos & incultos, aquas aquarumque decurſus, piſcationes, venationes, ſeu molendina, ſervos & ancillas, Aldiones & Aldianas, montes, planities, ſilvas ſeu cunctas res mobiles & immobiles, quæ dici vel nominari poſſunt & omnem ſuppellectilem, ſeu quod tenent, poſſident, habent tam de parte Eccleſiae, quam de ſua ſuorumque parentum beredicate, vel conquiſitum per aliqua Cartarum munimina. Eâ videlicet ratione, ne nullus injuriam reſidentibus ſuper terras ipſorum Canonicorum colonis, colonabuſque facere audeat, ac nec ipſos jam dictos Clericos deſtringere,*

A *moleſtare ..... ſine voluntate & conſenſu ipſius Eccleſiæ Preſulis, perpetuo confirmationis, & roborationis ..... firmare dignaremur, & ſub noſtra ..... homines ipſius Civitatis ſub noſtra ..... ſenſione reciperemus, qui eos navigio ducant quocunque uſum eorum Canonicorum fuerit ſine omni precio. Quorum dignis poſtulationibus conſentientes, prout*
B *juſte & legaliter poſſumus, confirmamus & corroboramus omnes eorum res mobiles & immobiles tam de parte Eccleſiae Dei, quàm de ſuorum proprietatibus. Sive concedimus ipſis, ut aliquis in prelibatos Canonicos non injuriare preſumat de ſuis facultatibus, neque minuat, ſed liceat eis hæc omnia, quæ ſuperius leguntur, quietè pacifice tenere, poſſidere, omnium hominum contradictione remota. Precipientes denique*
C *jubemus, ut nullus Dux, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, nullaque noſtri Regni magna vel parva perſona de cunctis prenominatis rebus tam de Eccleſiaſticis, quàm de ſuis, eos moleſtet, ſive in placitum colonos & colonas diſtringere, ſeu aliquam*
D *publicam functionem ſolvere cogat, niſi ipſis Canonicis. Et nullus eos de rebus adquiſitis vel adquirendis diſveſtire ſine legali preſumat judicio. Si quis autem hujus noſtræ auctoritatis paginam violare tempsaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Kamerae noſtrae, & medietatem jam dictis Canonicis, eorumque Succeſſoribus.*
E *Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, ſubter Sigillo noſtro ſignari juſſimus.*

Signum

Signum OTTONIS *invictiſſimi Imperatoris Auguſti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Epiſcopi & Archicancellarii recognovit.

Data V. Idus Februarii, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXCVIII. Indictione XI. Anno Tercii Ottonis Regni ..... Imperii II.

Actum Ravenna, feliciter. Amen.

Quid etiam pro ſua tutela Canonici Cremonenſes egerint, nos docebit Diploma, quod in eorum Archivo autographum adſervatur, atque ego inde exſcripſi.

Lotharius III. Romanorum Rex Canonicis Cremonenſibus omnia illorum bona & jura confirmat. Anno 1133.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Lotharius *divina favente clementia* Romanorum Rex Auguſtus. *Si his, qui ad loca ſacra deſtinati divinis officiis inſerviunt, noſtrae Regalis munificentiae benevolentiam in ſuis petitionibus clementer ac benigne demonſtramus, a Deo omnium rerum inſpectore meritam & condignam retributionem nos recipere ſperamus. Unde omnium Sanctae Dei Eccleſiae, noſtrorumque fidelium tam futurorum, quàm preſentium diligens induſtria noverit, qualiter pro remedio animae noſtrae, & ob interventum dilectiſſimae* Reginae Richinzae Conjugis noſtrae, *necnon propter incrementum Regni noſtri,* Canonicorum *ſanctae* Cremonenſis Eccleſiae, *in honore beatiſſimae Dei Genitricis Mariae conſtructae, neceſſitatibus providentes, illis confirmamus, ac noſtra Regali auctoritate corroboramus terras, ſuas,* quas prefatae Canonicae, Preſules ejuſdem Eccleſiae vi & injuſte tulerant, *ſcilicet Butaningum, Caſtrum-vetus, Inſulam, Raduldiſcum, Caſam-novam, Butalianum, Athanellum, Fontanellam, Capellam Sancti Salvatoris, necnon Oratorium Sancti Mauritii, cum eorum pertinentiis, Altare quoque Sancti Ymerii Confeſſoris* cum oblationibus ejuſdem Altaris, quae ad uſum cyborum pertinent, *& ceteras terras, quas praedicti Canonici in Cremonenſi Epiſcopatu, vel alicubi ſecundùm inſtrumenta Cartarum, vel documenta Legum nunc vel in futuro juſte ac legaliter per loca detinere videntur cum diſtrictu, cum porcis & vervecibus, cum operibus & albergariis, & omnibus feuſiis. Preterea ſancimus atque precipimus, ut nullus Epiſcopus &c.* (*)

Signum

(*) uti in conſuetis formulis aliorum Imperialium, Regalimque Diplomatum.

Signum Domni Lotharii Tertii  *Romanorum Regis invictiſſimi.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Ego Ekkerardus vice Brunonis Archicancellarii recognovi.

Data Anno Incarnationis Domini MCXXXIII. Indictione X. Anno verò Regni & ordinationis Regis Lotharii VIII.

Actum apud Fontanam in Epiſcopatu Placentino feliciter. Amen.

Animadverte, quaeſo, confirmari Cremonenſibus Canonicis terras, *quas praefatae Canonicae, Praeſules ejuſdem Eccleſiae vi & injuſte tulerant, ſcilicet Butaningum, Caſtrum vetus, Inſulam, Raduldiſcum &c.* Is fuit *Odelricus Cremonenſis Epiſcopus*, qui ſub Ottonibus Secundo, ac Tertio Auguſtis graviſſimas turbas adversùs Canonicos ob impotentiam ſuam in ea Urbe excitavit, ſucceſoremque habuit *Landulphum*, pejora molitum: Vide Ughellium, qui tabulas refert ejuſdem Ottonis III. pro ipſo Epiſcopo, conquerente, *eo quia a pravis hominibus multa pateretur adverſa &c.* Sed illum habere mihi videor reum: idque ipſe Lector facile intelliget ex Diplomate ſubſequenti, quod in antememorato Canonicorum Cremonenſium Archivo in Regeſto perquam vetuſto legitur.

Otto II. Imperator Odelrico Epiſcopo Cremonenſi, ejuſque Eccleſiae, Caſtrum Redaldeſcum, atque alia bona confirmat, Anno 982.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Otto *divina providente clementia* Imperator Auguſtus. *Si ſancta ac venerabilia &c.* Odolricum *ſancte* Cremonenſis Eccleſie Antiſtitem, *noſtrumque dilectum fidelem, adiſſe noſtre Imperialis Majeſtatis celſitudinem, humiliterque imploraſſe, quatinus pro Omnipotentis Dei honore, ejuſque tam preſentem, quàm futuram fidelitatem, predicte Cremonenſi Eccleſie, in tuitionem Sancte Dei Genitricis & perpetue Virginis Marie conſtructe, confirmationis Preceptum juberemus conſcribi &c. Cujus non ſpernendis petitionibus aurem noſtre Celſitudinis inclinantes, interventu quoque & rogatu noſtri dilectiſſimi fidelis* Petri Papienſis Epiſcopi & Archicancellarii, *Preceptum confirmationis prenominate Eccleſie fieri decrevimus, & hac noſtra auctoritate confirmamus omnes res & proprietates ſuas, de quibus uſque ad tempus noſtri Imperii veſtita fuiſſe cernitur. Nominative* de Caſtro, quod vocatur Redaldeſco, quam diviſionem contulit & dedit

dedit Anſelmus, & inſcriptione Carte Canonicis jam dicte Eccleſie pro remedio anime ſue, ac ſuorum parentum obtulit &c. *De Silva quoque, que nominatur Bonella, atque de omnibus illis locis, que* Karolus, & Lodoicus, *atque* Berengarius Imperatores *ſepe dicto Epiſcopio per Precepta contulerunt &c.*

Signum Domni Secundi Ottonis Romanorum Imperatoris & invictiſſimi Auguſti.

Johannes Cancellarius ad vicem Domni Petri Epiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Data XVII. Kalendas Aprilis, Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXXXII. Indictione X. Regni Domni Secundi Ottonis XX. (*) *Imperii quoque XIIII.*

Actum juſta Civitatem Tarentum in Chriſti nomine feliciter. Amen.

Niſi fallor, Diploma non pro Canonicis ſcriptum fuit; neque enim id Charta ipſa oſtendit, ſed quidem pro Epiſcopo Odelrico. Atqui is ſibi confirmandum curat *Caſtrum, quod vocatur Redaldeſcum;* quum tamen Caſtrum illud *Anſelmus in ſcriptione Chartae Canonicis jam dictae Eccleſiae pro remedio animae ſuae* contuliſſet. Et ſane in Praecepto Lotharii III. nuper a me evulgato, confirmatum vides Canonicis Cremonenſibus *Raduldiſcum*, quod idem eſſe cum *Redaldeſco* nullus ambigo. Quare non immeritò Odelricus ille Epiſcopus, primus videtur, qui terras Canonicorum *vi, & injuſte abſtulerat*. Atque hi fructus frequentes erant infeliciſſimi Saeculi Decimi. Eadem verò bona Capituli Canonicorum Cremonenſium confirmata vidi in altero Diplomate, quod mihi prima facie archetypum omnino viſum fuit, in eorumdem Archivo. Pertinet illud ad Conradum Henrici IV. Regis, & Tertii inter Auguſtos filium, qui a patre deficiens, curâ Comitiſſae Mathildis *Italiae Rex* conſalutatus eſt. Rara ſunt ejus monumenta, ac propterea lubentiùs iſtud exero. Sed minime diſſimulandum: *Annus Regni Conradi iſtius Secundi Regis Quartodecimus* negotium non leve faceſſere poteſt. Diploma namque datum eſt Octobri Menſe Anni MXCVII. Conradus autem Anno tantùm MXCIII. Regnum Italiae iniit. Et quamquam Annaliſta Saxone teſte antea, ideſt Anno MLXXXVII. idem *Conradus filius Imperatoris a Sigewino Colonienſi Archiepiſcopo conſecratur in Regem Aquiſgrani:* attamen non deſinunt nutare,

(*) Error Amanuenſis. Scribendum *XXII.* quemadmodum conſtat ex autographo Diplomate ejuſdem Ottonis II. Lacenſibus Canonicis eodem Anno DCCCCLXXXII. dato, quod ſupra exſcripſi.

tare, ac tenebras mihi saltem offundere, Chronologicae Notae ejusdem [A] Diplomatis, quod nihilominus edere statui.

Chonradi II. Regis Italiae Diploma, quo Canonicis Ecclesiae Cremonensis omnia illorum bona ac jura confirmat, Anno 1097.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Chounradus *divina favente clementia* Rex Italicus. *Quoniam apud divinum rerum inspectorem meritam & condignam retributionem nos recipere minime dubitamus, si nostrae Regalis munificentiae benivolentiam Deo devote servientium petitionibus clementer, ac benigne accommodamus: volumus, ut omnium Sanctae Dei Ecclesiae,* [B] *nostrorumque fidelium tam futurorum, quàm presentium diligens industria noscat, qualiter nos pro remedio animae nostrae,* nostraeque Genitricis beatae memoriae Bertae, *& ob incrementum Regni nostri,* Canonicorum *Sanctae* Cremonensis Ecclesiae, *in honore Beatissimae Dei Genitricis Mariae constructae, necessitatibus providentes, illis confirmamus &c.* (*)

Signum Domni Chounradi Secundi Regis invictissimi.



Data Undecimo Kalendas Novembris, Indictione VI. Epactâ verò XV. Anno Dominicae Incarnationis Millesimo Nonagesimo Septimo, Anno verò Regni Domni Chounradi Secundi Regis Quartodecimo.

Actum Cremone feliciter.

Iidem quoque Canonici Cremonenses a Callisto II. Papa confirmationis Bullam, ex eorum Archivo a [C] me depromtam, impetrarunt, quam nunc subjicio, ex apographo pervetusto descriptam.

(*) Reliqua, a quibus hoc repetendis abstineo, habes in Diplomate nuper evulgato Lotharii III. Romanorum Regis, dato Anno MCXXXIII.

Calliſti Papae II. Bulla, qua Canonicis Eccleſiae Cremonenſis Privilegia & bona confirmat, Anno 1123.

CAlixtus Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis* Cremonenſis Eccleſiae Canonicis, *eorumque ſucceſſoribus in perpetuum. Officii noſtri nos hortatur auctoritas, paternam pro Eccleſiarum ſtatu ſollicitudinem gerere, & quae ad earum quietem & pacem conſtituta ſunt, ſtabilire. Quapropter, cariſſimi in Chriſto Filii, petitionibus veſtris clementi benignitate impertientes aſſenſum, ad* Domni *praedeceſſoris noſtri ſanctae memoriae* Papae Urbani *exemplar, veſtram Beatae Mariae Dei Genitricis Eccleſiam, cum omnibus rebus ſuis, Apoſtolicae Sedis tuitione ac patrocinio defenſamus. Statuimus enim, ut quaecunque bona, quaſcunque poſſeſſiones Congregationis veſtrae unitas hactenus poſſediſſe per autentica & legitima ſcripta cognoſcitur, vel Epiſcoporum donatione, vel Regum, aut ceterorum Fidelium oblatione, vobis, veſtriſque Succeſſoribus firma ſemper, & illibata permaneant. In quibus haec propriis nominibus exprimenda ſignamus, videlicet:* Bataningum, Caſtrum-vetus, Inſulam, Radaldiſcum, Caſamnovam, Butalianum, Atunellum, Fontanellam: *Capellam Sancti Salvatoris, Eccleſias Sancti Petri de Curticella ultra Padum, Sanctae Mariae de Mareulingo, Sancti Michaëlis de Maraſſe, & Sancti Michaëlis de ſuburbio Civitatis, cum pertinentiis earum. Nec non Oratorium Sancti Mauritii cum eorum pertinentiis. Oblationes etiam Altaris Sancti Imerii, & ceterorum Altarium veſtrae Eccleſiae, Communitatis veſtrae uſibus in perpetuum ſemper exhibendas fore cenſemus. Quicquid praeterea in futurum ad Congregationis veſtrae regimen juſte, legaliterque conferri contigerit, firmum ſemper & integrum ſtabilitate perpetua conſervetur, eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſum eſt, uſibus omnimodis profuturum. Ad haec adjicientes* precipimus, ut nullus Epiſcopus, Comes, Vicecomes, ſive Procurator de ipſa vos Canonica infeſtare, aut de Terris ejus fodrum, vel aliquam dationem, vobis invitis, tollere, ſeu vos, veſtroſque Succeſſores de ipſis Terris aliquando ſine legali judicio moleſtare vel diſveſtire preſumat. *Preterea, ut omnipotentis Dei ſervitio per ipſius gratiam quietius inſiſtatis,* vos & prefatam Eccleſiam, ab Epiſcoporum gravamine removentes, decernimus, ut eis non liceat, invitis Fratribus, in veſtra Canonica habitare. *Vos autem filii in Domino dilectiſſimi, oportet mores veſtros ab omni malo corrigere, & converſationem veſtram ad normam inſtitutionis Canonicae cuſtodire, ut, quod nomine cenſemini, re etiam in divinae Majeſtatis oculis eſſe poſſitis. Si quis igitur in craſtinum Archiepiſcopus, Epiſcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, Dux, Marchio, aut Comes, Vicecomes, Judex, aut Eccleſiaſtica quelibet, Secularisve perſona, hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens contra eam venire temere temptaverit, ſecundo, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a Sacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alliena fiat, atque*

atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Loco juxta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic A *fructum bonæ actionis percipiat, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniat. Amen. Amen. Amen.*

Ego Calixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Datum Laterani per manum Hugonis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi, Secundo Nonas Martii, Indictione Prima, Incarnationis Dominicæ Anno MCXXIII. Pontificatus autem Domini Calixti Secundi Papæ Anno V.

Sed ne iſta quidem ſatis videbantur olim ad Canonicorum tutelam. Quare fuerunt, qui ut ab Archiepiſcopis jura ſua confirmarentur, ſibique adeſſet eorum patrocinium cura- B runt. Habeo & heic teſtimonium tabularum, quas in Chartophylacio Capituli Canonicorum Regienſium olim legebam.

Gualterius Archiepiſcopus Ravennæ, Canonicis Cathedralis Regienſis omnia illorum bona & jura confirmat, Anno 1140.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo, temporibus* Domni Innocentii Romanæ Eccleſiæ Papæ *ſanctiſſimi, &* Conradi Regis Romanorum, *die XIV. menſis Martii, Indictione Tercia, infra Canonicam Sanctæ Mariæ in Regio. Inter cetera, quæ divinæ diſpoſitionis conſilio diſponuntur, Pontificalis promotionis ſublimitas Deo, a quo omne datum optimum procedit, celitus predeſtinante ac largiente conceditur. Decet itaque eos, quos ſummæ diſpoſitionis* C *providentia Eccleſiaſtici regiminis celſitudine mirabiliter ſublimat, ac Metropolitanæ Sedis Cathedræ decenter exhornat, ſic ſubditis Eccleſiis ac Fratribus eiſdem Eccleſiis ſamulantibus utiliter neceſſaria providere, eorumque juſtis petitionibus libenter annuere, ſuaque Privilegio perpetuo corroborare, quatenus de bono in melius proficere,* D *divinis quoque officiis promptius intenti Deo devotiſſime ſervire, & ſuo Metropolitano, ejuſque Succeſſoribus valeant fidelius obedire. Cujus rei gratia nos quidem in Dei nomine* Gualterius *ſanctæ*

Ravennatis Eccleſiae Archiepiſcopus, *licèt indignus, cognitis his, quae per Privilegia venerabilium Antiſtitum ſanctae Regienſis Eccleſiae*, ejuſdem Eccleſiae Canonicis *rationabiliter ſunt conceſſa, vobis* Ogerio *venerabili* Archipresbytero, & Achilli *reverendo* Archidiacono, veſtriſque Succeſſoribus Regienſis Eccleſiae Canonicis *preſentis Privilegii pagina rem inferiùs dicendam perpetuo corroboramus & inviolabiliter confirmamus. Ideſt Eccleſiam Sancti Petri ſitam in ſuburbio prope Civitatem Regii, & ſuburbii ipſius, ſicuti de antiqua conſuetudine, & jure Canonico detinetis. Oblationem quoque fidelium tam in Miſſis vivorum, quàm defunctorum ſive preſente, ſive abſente Epiſcopo, & in Urbe & extra in cera & in monetis. Inſuper confirmamus vobis oblationes conſecrationum Eccleſiarum Epiſcopatus veſtri tam infra Urbem, quàmque & extra, & in ſuburbiis tam & in montanis, quàm & in plano, ſicut eas rationabiliter conſuevi-ſtis habere, & nunc habere noſcimini. Confirmamus etiam vobis Curtem Sancti Stephani cum Plebe ipſius, & cum omni honore & integritate ſue dignitatis. Similiter confirmamus vobis terram de Civitate, ſitam Plebe Quarantulae. Preterea confirmamus vobis duos manſos de Broilo in Curte Suzarie, & totum hoc, quod vobis pertinet in Letto Benano, & terram, que vobis pertinet in loco, qui vocatur Trecentula.*

Inſuper confirmamus vobis Decimam quarumdam manſurum in loco, qui dicitur Fabrica: Decimam etiam Nuvellarie cum Plebe ipſius, & cum omnibus ad eamdem Plebem integre pertinentibus. Eodem modo confirmamus vobis terram, que vobis pertinet in loco, qui dicitur Campagnula, & totum quod haberis in Curte, que vocatur Canole. Item confirmamus quicquid vobis pertinet in Curte Corrigie; & quod detinet Johannes Bordone in Corviaco, jure Canonice veſtre: & manſum Moronis, qui eſt in Novellaria: manſum quoque Bazonarii, qui eſt poſitus in Curte Nova. Simili modo confirmamus vobis terram Fredulfini de Gargo, & manſum poſitum in Bagnolo, & quicquid detinet Ildebrandus, jure Canonice veſtre in Maſſanzatico: duos etiam manſos in loco, qui dicitur Pinizo: & unum in loco, qui vocatur Magnum Caſale. Preter hoc vero confirmamus vobis Curtem Ripe Alte cum Plebe ejuſdem, & cum Decimis ſuis: & terram, quam detinetis in Cubiliolo, & in Mutilena: & manſum, quem detinetis in Albineta: & manſum de Aliano: & manſum poſitum in Querzola: & manſum poſitum in Caſtelliunculo prope Caſtrum Gipſi; & quamdam terram prope Arcem Guiberti. Nec non confirmamus vobis Curtem Maſſe cum omni ſua integritate: Curtem etiam de Campilia cum omnibus ad eamdem Curtem integriter pertinentibus: Curticellam quoque de Villa, & Villam, que vocatur in Siliaco: & quicquid vobis pertinet in loco, qui dicitur Goa: & manſum poſitum in Minocio juxta Alpem: & quod vobis pertinet in Caſellis & Caſulis: Decimas Gavaſſe. Inſuper confirmamus omnia, que pertinent ad officium & Beneficium Archipresbyteratus & Archidiaconatus, & Praepoſituratus, Magiſtri quoque Scolarum, *vobis, qui nunc eſtis, veſtriſque Succeſſoribus in perpetuum. Hec autem omnia, que ſuperius leguntur, cum ſuis juſtis & certis finibus*, vobis prefato Archipresbytero, & jam dicto Archidiacono, ceteriſque predicte Canonice Sancte Marie Fratribus, *veſtriſque Succeſſoribus jugiter ſervientibus, auctoritate Dei, & Beate Marie ſemper Virginis, necnon & Beati Apollenaris*

Pon-

Pontificis & Martirit Chriſti, omniumque Sanctorum, & noſtrâ, habendum, tenendum, fruendum perpetuo confirmamus, & preſenti Privilegio irrefragabiliter corroboramus. Quod ſi, quod ab ſit, & avertat divina clementia, hanc noſtri Privilegii paginam aliquis infringere, vel temere violare preſumpſerit, maledictionem Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus Sancti, & Beate Marie Virginis, & Beati Apollenarit, omniumque Sanctorum, & noſtram incurrat: trecentorum quoque decem & octo Patrum anathemate obligatus, perpetuis ignibus cum Juda traditore cruciandus, niſi reſipuerit, perpetuo ſubjaceat, hoc tamen ſcripto in ſuo robore firmiter permanente. Ut autem hoc verius credatur, & firmiſſime teneatur, manus noſtre inſcriptione firmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione pro veſtro munimine inviolabiliter cuſtodiendum ſignavimus.

A

Actum Regii per manus Andree Presbiteri & Canonici Sancte Ravennatis Eccleſie, & tunc Domni Gualterii Ravennatis Archiepiſcopi Scriptoris & Capellani, jubente eodem venerabili Patre, cum eſſet ibi pro ordinando Epiſcopo, ceteriſque negociis Eccleſiaſticis ſpiritualiter diſponendis, ac Secularibus, ſalvo ſue dignitatis honore, reformandis. Sub die, menſe, & Indictione ſupraſcripta, infra Canonicam Sancte Marie.

B

Addo etiam Apoſtolicae Sedis patrocinium eiſdem Canonicis Regienſibus impenſum, uti ex authentica Bulla in eodem Tabulario adſervata conſtat.

C

Alexandri III. Papae Bulla, qua Canonicis Regienſibus omnia illorum jura & bona confirmat, Anno 1178.

ALexander Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis* Jacobo Archidiacono, & Canonicis Regine Eccleſie *tam preſentibus, quàm futuris Canonice ſubſtituendis N. P. P. M. Quotiens illud a nobis petitur, quod Religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & preſatam Eccleſiam, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti Privilegio communimus. Statuentes &c. hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Curtem Sancti Stephani cum omni honore: Plebem ipſius cum integritate ſue dignitatis: Terram de Civitate, ſitam in Plebe Quarantule: Terram, que vobis pertinet in loco Trecentula: Decimas quatuor manſorum in loco Fabrica: Decimas Nuvellarie, & Plebem ipſius, cum omnibus ad eandem Plebem integre pertinentibus. Terram, que vobis pertinet in loco Campagnola: Et totum, quod habetis in Curte Canole: & quicquid vobis pertinet in Curte Corrigie: & quod detinet Johannes Burdonus in Curviatico juris Canonice veſtre: & manſum Moronis, qui eſt in Nuvellaria: Manſum Bazoarii, qui eſt poſitus in Curte Nova: Terram Fredulfini de Gurgo: Manſum poſitum in Bagnolo: & quicquid detinet Ildebrandi in Maſſenzatico: duos Manſos in loco, qui dicitur Pinizo, & unum in loco, qui dicitur Mognum Caſale: Curtem Ripe Alte cum*

D

E

Plebe

Plebe ejus, & cum Decimis ſuis: Terram, quam detinetis in Cubiliolo, & in Mutilena: Manſum in Albineto: Manſum in Alliano: Manſos poſitos in Querzola: Manſum poſitum in Caſtelliunculo prope Caſtrum Gipſi: & quandam Terram prope Arcem Timberti. Curtem Maſſe cum omni ſua integritate. Curtem de Campilia cum omnibus ad eandem Curtem integre pertinentibus: Curticellam quoque de Villa, & Villam, que vocatur Viſiliaco: & quicquid vobis pertinet in loco, qui dicitur Goa: & Manſum poſitum in Minotio: & quod vobis pertinet in Caſtellis, & in Montebluto, & in Caſulis: Decimas de Gavaſſa: & Decimas in Runcoris ejuſdem Gavaſſe in Manipulis: & ea que ibidem a Gerardo Rangono *acquiſiſtis: preterea Decimas Civitatis veſtre, ac pertinentie ipſius, ſicut de antiqua conſuetudine & jure Canonico detinetis: oblationes quoque fidelium tam in Miſſis vivorum, quàm defunctorum, ſive preſente Epiſcopo, ſive abſente, & in Urbe & extra: Oblationes etiam Conſecrationum Eccleſiarum Epiſcopatus veſtri tam infra Urbem, quàm extra, ſicut eas rationabiliter conſueviſtis habere, & nunc habere noſcimini. Inſuper omnia que pertinent ad officium & Beneficium* Archipresbiteratus, Archidiaconatus, Prepoſiture, atque Magiſtri Scolarum ejuſdem Eccleſie. *Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat ſupraditlam Eccleſiam temere perturbare &c. ſalvâ Sedis Apoſtolicae auctoritate & reverentiâ, & Canonicâ juſtitiâ Regini Epiſcopi. Si qua igitur in futurum &c. poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat &c. Amen, Amen, Amen.*

Ego Alexander Catholice Eccleſie Epiſcopus *ſubſcripſi.*



Ego Hubaldus Hoſtienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Johannes Presbiter Cardinalis Sanctorum Johannis & Pauli titulo Pamachii, ſubſcripſi.

Ego Boſo Presbiter Cardinalis Sancte Pudentiane titulo Paſtoris, ſubſcripſi.

Ego Jacobus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Coſmydin ſubſcripſi.

Ego Ardicio Diaconus Cardinalis Sancti Theodori ſubſcripſi.

Ego

Ego Hugo Diaconus Cardinalis Sancti Angeli ſubſcripſi.

Ego Laborans Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Porticu ſubſcripſi.

Ego Rainerius Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum Aureum ſubſcripſi.

Datum Laterani per manum Alberti Sancte Romane Eccleſie Presbiteri Cardinalis, & Cancellarii, Nonis Aprilis, Indictione XI. Incarnationis Dominice Anno MCLXXVIII. Pontificatus verò Domni Alexandri Pape III. Anno XVIIII.

Pendet e chordula haec Bulla plumbea:



Et ſane conſueverunt quaeque Canonicorum Collegia validiſſimam ſemper Apoſtolicae Sedis protectionem implorare. Quod & factum a Canonicis Suanenſis Eccleſiae, uti nos edocebit Bulla, exiſtens in Archivo A Operae, ſeu Fabricae Metropolitanae Senenſis, cujus exemplum debeo toties a me laudato viro optimae memoriae olim Huberto Benvogliento, Senenſis patriae ſuae, dum vixit, illuſtri ornamento.

Nicolai II. Papae Bulla, confirmantis Privilegia Capitulo Canonicorum Suanenſium, Anno 1061.

NIkolaus Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei*, Vitali *Sancte* Suanenſis Eccleſie Prepoſito, *ad honorem B. Petri Apoſtolorum Principis dedicatae, tibique ſucceſſuris, regulariter promovendis, & in ſancto propoſito permanſuris in perpetuum. Quoniam omnipo-* B *tentis dignatio ſue gratuito munere, nullo digno precedente opere, ad hoc noſtram humilitatem dignata eſt provehere, quatinus per nos ubique terrarum proprio ſanguine redempte Eccleſie lumen amminiſtraremus indeficiens, profecto rationabile ducimus, cooperante*

ipſo

ipſo, de quo loqui preſumimus, ſecundùm proprias vires unicuique acceptum talentum diſtribuere, ne apparente ipſius Majeſtate, quod abſit, ſine acquiſito lucro, velut inutilis ſervus, videamur remeare. Quod utique per divinam miſericordiam conſequi poſſe ſperamus, ſi membris ejus adhuc per fidem in terra celeſtia anhelantibus, preſidia, quae poſſumus, ſereno affectu ſuppeditare curamus. Sic enim, ſic profectò, & ſupernum noſtre fragilitati conciliamus auxilium, & purâ intra cordis hoſpitium manente intentione, hominum conſequemur favorem honeſtum, cum, licet univerſis debitores ſimus gentibus fidei lumine clarentibus, Matricibus tamen Eccleſiis ſedulo ſervientibus, & divina officia eis religioſe quotidie perſolventibus, & apud eas Canonice viventibus, *benevolentie ſtudio majorem curam, quàm ceteris ſubjectioribus Clericis, impendimus.* Canonicam *itaque* Sancti Petri in Suanenſi Urbe, *quondam* a Rainerio *ejuſdem* Suanenſis Eccleſie *ſancte memorie* Epiſcopo ità religione edificatam, *& poſtea* a Johanne Succeſſore ejus, *intervenientes* Anſelmo eorum Succeſſore, *venerabili* Epiſcopo, *qui nunc prelibatam diſponente Deo, gubernat Eccleſiam, in tuitione Sancti Petri ſub noſtra noſtrorumque Succeſſorum defenſione, cum omnibus, que juſte habet, & in futurum eſt habitura, ſalvâ predicti Anſelmi Epiſcopi auctoritate, & reverentiâ, ſuſcipimus:* non tamen ut ſibi, que Apoſtolicâ auctoritate roboramus, liceat caſſare, nec alicui ſuorum Succeſſorum res prefate Canonice venundare, vel aliquo pacto alienare, contrahere, vel alicui in predicta Canonica ordinato Clerico aliquam violentiam juſte liceat irrogare. *Sed, ut evidentius que a prenominatis ejuſdem Sancte Eccleſie Epiſcopis prefatis Canonicè conceſſa ſunt, & nos hac noſtri Privilegii Pagina confirmamus, intelligantur, nominatim exprimimus Plebem in Pitiliano ſitam, cum terris, Decimis, redditibus, & oblationibus ſuis: Curtem ſitam Palmule veſtram, cum omnibus pertinentiis, & redditibus ſuis, & omnes Decimas veſtrarum terrarum in omnibus locis, ubicunque ſunt: Terras, quas dedit ſibi Oſſo pro anima ſua: Terras, quas optulit ſibi Guidolfus in Baranello & Oliano: Terras, quas donavit ſibi Gotifredus cis Caliſinam fluvium: Terras, quas tradidit ſibi Anſelmus Rainerii filius in Calonico: Terras, quas adhibuit ſibi Bonizo in Supano: Terras, quas exhibuit ſibi Enrardus Notarius: Terram, quam conceſſerunt ſibi Epiſcopi juxta eandem Urbem: Eccleſiam Sancti Martini in Coronzano ſitam, cum omnibus pertinentiis ſuis atque redditibus: Eccleſiam Sancti Georgii in Perticio ſitam, cum omnibus, que ſibi pertinent: Manſos tres, ſcilicet* Corbulo Clerico, Presbitero Dominico & Sigizo *ibidem* Presbitero, *olim cuſtos de Plebe in Urbe poſita: Omnes prorſus decimationes, his exceptis, que quibuſdam Militibus dudum ab Epiſcopis in beneficio date ſunt: Et dimidium omnium oblationum, & helemoſinarum prelibate Plebi oblatarum & offerendarum, cum etiam dimidia parte omnium terrarum, quas habuit Giſo pater Johannis Epiſcopi, qui videlicet prenominate Eccleſie & Canonicis cum una domo in Urbe dedit; ſcilicet Eccleſiam Sancte Marie in Lapegi ſitam, & duos Manſos in Ilci, & vineam & terram in plano Suanenſi. Hec omnia & que ſepe dicte Canonice a fidelibus oblata, vel ammodo offerenda ſunt, tibi, Vitalis dilecte fili, tuiſque Succeſſoribus, Clericiſque in ea ordinatis, & ordinandis, & in ſancto propoſito permanſuris concedimus, & con-*

& conceſſa confirmamus. Ut nullus unquam Epiſcopus, nullus Imperator, nullus Rex, nullus Dux, nullus Marchio, nullus Vicecomes, nullus Caſtaldus, nulla magna, parvaque perſona ea inde audeat auferre vel retollere, aut vos inquietare, aut moleſtias inferre; ſed quiete permittamini vivere, & Deo ſervire. Si quis autem temerario auſu hanc Apoſtolicam ſanctionem infringere temptaverit, niſi admonitus reſipuerit & emendaverit, gladio anathematis percutiatur, & in preſenti carne pereat, & Deus, dum judicare venerit, ſpiritu oris ſui eum interficiat. Qui verò pius conſervator extiterit, Sancti Petri noſtramque benedictionem, a Domino Jeſu Chriſto promereatur æternam remunerationem.

Datum per manus Humberti Cardinalis Epiſcopi Eccleſie Sancte Silve Candide, V. Calendas Majas, Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo Sexageſimo Primo, Anno III. Pontificatus Nikolai Pape II., Indictione XIIII.

Aliquid nunc addendum eſt de *Canonicis Regularibus*, quos nonnulli a Sancto Auguſtino inſtitutos, & continuata ſucceſſione ad noſtra uſque tempora deductos cenſuere: quod alii conſtantiſſime negant. Neque enim ſucceſſio iſta, ut ajunt, bonis tabulis oſtenditur, iisque tantummodo per analogiam quamdam a Sancto Auguſtino originem duxiſſe dicendi ſunt. Ego aliis dimiſſam volo quæſtionem hujuſmodi, qui rogandi ſunt, ne ad hoc argumentum ſe conferant partium ſtudio præoccupati, ſed unico adducti veritatis amore. Fluxa enim, & inanis eſt laus, quæ a fictis manat; ſolida autem & immortalis ex una veritate expectanda eſt. Quod novi ego, a quamplurimis Seculis, poſt Annum tamen a Chriſto nato milleſimum, *Canonicorum Regularium* nomen, ac inſtitutum celebre evaſit. Nam uti poſtquam Monachorum mores in nimiam corruptelam deflexerant, ſuſcitavit Deus Romualdum, Johannem Gualbertum, Bernardum Claraevallenſem, alioſque ſanctitate celebres Viros, qui Monaſticam diſciplinam & decorem reſtaurarunt (quod & ſubinde factum fuit in Ordine Minorum, atque in aliis militantis Eccleſiæ membris); ita ubi invalue-

valuere vitia in Canonicorum coetibus, enati ſunt, Deo inſpirante, qui non ſolùm veterem diſciplinam & Regulam illius Ordinis reſtituerunt, ſed arctioribus legibus vitam ſuam conſtrinxerunt, eam componentes ad normam, quam Sanctus Auguſtinus olim tenuit. Ii propterea *Canonici Regulares* appellari ſubinde coepti ſunt, ad *Saecularium Canonicorum* diſcrimen. Et novum quidem inſtitutum, ut fieri ſolet, quidam ex hiſce Canonicis Secularibus, quidam etiam ex Monachis, inſectari ac lacerare non deſinebant. Urebat nempe homines in deteriora lapſos ſanctimonia morum, qua ſeſe a reliquis Canonicis Regulares diſtinguebant. Habemus a Clariſs. P. Pezio Benedictino edita duo Opuſcula, Saeculo Chriſti Duodecimo compoſita pro ipſis Canonicis Regularibus, alterum a Gerhoho Praepoſito Reicherſpergenſi, alterum ab Anſelmo Epiſcopo Havelbergenſi. Quei verò *Canonici Regulares* a *Saecularibus* in veterum Diplomatis ac Bullis ſecerni poſſint, accipe. Ut id ego deprehendam, hac ratione uti conſuevi.

A Scilicet ii ſuberant *Priori*, ita ut quotieſcumque in antiquis monumentis occurrat *Prior Canonicorum*, ii ferme ſemper cenſendi ſint vixiſſe *ſecundùm Regulam Sancti Auguſtini*. Vide Diſſertationem LXXIV. *de Parochiis* ſub finem, ubi ſermo eſt de Eccleſia Lucenſi Sanctorum Johannis Baptiſtae & Reparatae, Collegio Canonicorum ornatâ. Interdum etiam iſtius *Regulae* mentio fit, aut *Regularis obſervantiae*; ac celebres olim fuere variae iſtorum congregationes, Portuenſis, Lucenſis Sancti Fridiani, Mortarienſis &c. Pauca exempla accipito. Eccleſiam Sancti Caeſarii, ſitam in Caſtro ejuſdem nominis, atque in agro Mutinenſi, incolendam dederat Comitiſſa Mathildis Canonicis Regularibus. Verùm poſt ejus mortem Nonantulani Monachi controverſiam excitarunt adversùs Canonicos; quae agitata in Romana Curia tandem Calliſti II. Papae ſententiâ diremta eſt. Ejus literas profero, quarum archetypum in Tabulario Monachorum Benedictinorum Mutinenſium Sancti Petri ego reperi.

B

C

D

Calliſti II. Papae Bulla, qua praedium Wilzaccarae, cum Eccleſia Sancti Caeſarii in agro Mutinenſi, ad Canonicos Regulares pertinere contra petitionem Monachorum Nonantulenſium decernit, Anno 1123.

CAlixtus Epiſcopus *ſervus ſervorum Dei*, Canonicis Eccleſiae Sancti Caeſarii, quae ſita eſt in Curte, quae dicitur Wilzacara *tam preſentibus, quàm futuris*, ſub Regulari obſervantia permanſuris *in perpetuum. Officii noſtri nos hortatur auctoritas, pro Eccleſiarum ſtatu ſatagere, & quae recte ſtatuta ſunt, auxiliante Domino, ſtabilire.* Comitiſſa ſiquidem Matildis,

E ſingularis Beati Petri Filia, in paterni juris predio, quod Wilzacara dicitur, jamdiu Regulares Fratres congregare propoſuit. *Porro cum a Nonantulenſibus Monachis de eodem predio queſtio fieret, eadem Illuſtriſſima Domina ſollicitius procuravit, ne quid calumpniae* Fratribus illic viventibus *ſupereſſet. Parato enim juxta preceptum Domni Predeceſſoris noſtri ſanctae memoriae* Paſcha-

ſchalis Papae *judicio, legitimis teſtibus jurejurando ſancitum eſt, ſupradictum predium quadraginta annis a* Marchione Bonifacio, *& ejus filia* Matilda *poſſeſſum eſſe.* Beati verò Caeſarii Eccleſiam in eodem predio ſitam, *cum ſuis poſſeſſionibus per quadraginta annos nullâ Monachorum dominatione, vel legitimâ litis illatione interpoſitâ, liberam ab eis perſeveraſſe. Nos igitur ad predicti Domni Predeceſſoris noſtri exemplar locum ipſum & Congregationem veſtram in jus, & tutelam ſanctae Sedis Apoſtolicae ſuſcipientes, ab omnium deinceps perſonarum exactione liberam permanere cenſemus. Statuentes, ut qnecumque bona per ſupradictam Comitiſſam in uſus Fratrum illic Deo ſervientium conceſſa ſunt, aut in futurum, largiente Deo, per alios fideles legitime dari, oſſerrive contigerit, quieta ſemper & integra conſerventur. Nulli ergo omnino liceat Eccleſiam ipſam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas* A *retinere, minuere, vel temerariis* exactionibus *fatigare: ſed omnia integre conſerventur, eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Criſma, Oleum Sanctum, Conſecrationes Altarium, ſive Baſilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad ſacros fuerint Ordines promovendi, a quo malueritis,* B *Catholico accipietis Epiſcopo. Ad indicium autem perceptae a Romana Eccleſia libertatis, Biſantium aureum quotannis Lateranenſi Palatio perſolvetis. Si quis igitnr Eccleſiaſtica Seculariſve perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio &c.*

Scriptum per manum Gervaſii Scriniarii Regionarii, & Notarii Sacri Palatii.

C

Ego Calixtus Catholicae Eccleſiae Epiſcopus *ſubſcripſi.*



Datum Laterani per manum HUGONIS *Sanctae Romanae Eccleſiae Subdiaconi, Quarto Kalendas Martii, Indictione Primâ, Incarnationis Dominicae Anno MCXXIII. Pontificatus autem Domini* CALIXTI *Secundi Papae Anno V.*

Signum Bullae pendentis deperditae.

Sed non multi abierunt anni, quum Canonici ejuſmodi ſive aliorum impotentiâ, ſive proprio defectu, digni reputati ſunt, quibus Eccleſia illa auferretur, ac traderetur Monachis Padolironenſis Monaſterii. Quod tamen in Canonicorum tunc temporis opprobrium minime convertas velim. Si enim aliqua eorum Collegia olim in corruptelam deflexere, innumera alia erant, quae honeſtas vitae ac pietas ſummopere commendabat. Idemque etiam de Monachis dicendum eſt. Hos quamquam Mathildis Comitiſſa, ejuſque mater Beatrix, ut ſupra Donizo tradidit, *credebant, pluſquam Clericos, venerandos*, Donizonis tamen ipſius aevo, hoc eſt Anno Chriſti MCXXVII. Bernardus Veronenſis Epiſcopus Monachos e Monaſterio Sancti Georgii in Braida expulit, atque illuc induxit Canonicos Regulares. Epiſcopi ipſius verba accipe, ab Ughellio Tom. V. Italiae Sacrae, ita deſcripta: *Eccleſiam Dei & Sancti Georgii in Braida ſitam, ſed eam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus in ultimo deſtructam, ob Dei amorem, & animae meae redemptionem reſtaurare ac ordinare diſpoſui. Fuerat enim quondam & prius Puellarum, & poſtmodum Monachorum Coenobium. Sed in utriſque Veneris poſtribulum, Diaboli potiùs quam Dei exiterat Templum. Expulſis ergo exinde Dei blaſphematoribus, religioſos ibi Clericos ordinavi, qui Dei gratiâ Canonicorum caelibem ducunt vitam, & Regulam obſervant Canonicam Dei.* Hi fructus miſerae conditionis humanae, quos antiqua aetas produxit, & noſtra quoque ac ventura nullo negotio producere poterit. Nonnulla etiam fuere olim Canonicorum Collegia, quae ſponte Monaſtico inſtituto ac veſtitui ſeſe addixere. Aut iis auctoritate Regum pulſis, Monachi ſubſtituebantur, quam in rem vide Baluzii notas ad Epiſtolam 29. Lupi Ferrarienſis, aut aliis de cauſſis iidem Canonici removebantur. Dixi traditam Monachis Padolironenſibus Eccleſiam Sancti Gaeſarii. Hac de re eſt mihi ad manus Bulla Innocentii II. Romani Pontificis, ex eodem Archivo Benedictinorum Mutinenſium depromta.

Innocentii II. Papae Bulla, qua Eccleſiam S. Caeſarii, in agro Mutinenſi poſitam, Canonicis Regularibus Sancti Auguſtini expulſis, concedit Abbati & Monachis Sancti Benedicti Padolironenſibus, Anno 1135., ſed ſecundùm Aeram Vulgarem, 1134.

INnocentius Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, dilecto filio* Henrico Abbati Monaſterii Sancti Benedicti ſuper Paduam, *ejuſdemque ſucceſſoribus ſuis regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Cor noſtrum piâ divinitatis inſpiratione compungitur, loca quondam in Eccleſiaſticae Religionis obſervantiâ inſtituta in melius reformare, & eorum deſtitutioni pro debito noſtri officii ſubvenire. Hac ſiquidem intentione, hoc deſiderio fideles quoque ad honorem Dei Eccleſias conſtruunt, eaſque poſſeſſiones & predia largiuntur; ut videlicet Religioſe perſone inibi ſtatuantur, que divine Majeſtati humiliter ac devote deſerviant, quarum orationibus ad Deum ſuſis tam Fundatores, quàm Predeceſ-*

deceſſores & poſteri a peccatorum vinculis abſoluti pro temporalibus beneficiis, eterna premia conſequi mereantur. Quo nimirum intuitu recolende memorie Illuſtris Comitiſſa Matildis Eccleſiam Beati Gaeſarii in Mutinenſi agro Beato Petro oblatam, *ſuis bonis, poſſeſſionibuſque ditavit, Libris, vaſis, & aliis ornamentis Eccleſiaſticis plurimùm boneſtavit; & ut* Fratres, qui ſecundùm Beati Auguſtini Regulam *omnipotentis Dei vacarent obſequiis, in eodem ponerentur effecit. Unde factum eſt, ut Mundo in maligno poſito, & in deterius aſſidue declinante, quod illa, que pro bono Religionis, & anime ſue remedio, Deo & Beato Petro obtulerat, a pravis hominibus ſint occupata atque diſtracta: & ubi prius Religio & boneſtas cum rerum temporalium ubertate vigebat, nunc peccatis exigentibus, vix ſaltem veſtigia bonorum ſpiritualium ob inſolentiam pravorum hominum valeant apparere. Cujus rei gratiâ cum Fratribus noſtris ſepius meditantes, ut tam pium prefate Mulieris propoſitum non fruſtraretur ſed potius optatum anime remedium conſequatur. Tibi, dilecte in Domino Fili Henrice Abbas, & ſucceſſoribus tuis, eamdem Eccleſiam cum ſuis pertinentiis duximus concedendam, ut*

A

B

C

D

videlicet per tuam, tuorumque ſucceſſorum induſtriam & ſecundùm Beati Benedicti Regulam Religioſorum Fratrum Conventus in eodem loco ponatur, *& juxta facultatem illius Eccleſie eorum numerus ſtatuatur. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat ſuper hac noſtra Conſtitutione vos temere perturbare, nec prefatam Eccleſiam, quamdiu Religio ibidem Domino cooperante duraverit, a noſtra diſpoſitione ſeu correctione diſtrahere: ſed tam ipſa, quàm bona ad eam pertinentia ſub noſtro magiſterio & libera ordinatione conſiſtant, ſalvâ nimirum Beati Petri proprietate atque dominio, & noſtrâ noſtrorumque ſucceſſorum debitâ reverentiâ. Ad indicium autem, quod eadem Eccleſia Apoſtolicae Sedis juris exiſtat, tres Biſantios nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis. Si quis autem adversùs hanc noſtram Conſtitutionem temerario auſu venire temptaverit, indignationem Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli incurrat. Conſervantibus autem ſit pax Domini noſtri Yeſu Chriſti, quatenus & hìc fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.*

Ego Innocentius Catholice Eccleſie Epiſcopus.



Ego Guilelmus Preneſtinus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Matheus Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego

Ego Humbertus Piſane Eccleſie Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Anſelmus Presbiter Cardinalis tituli S. Stephani in Celio Monte ſubſcripſi.
Ego Guido indignus Sacerdos ſubſcripſi.
Ego Luciſredus Presbiter Cardinalis tituli Veſtine ſubſcripſi.
Ego Martinus Presbiter Cardinalis S. Laurentii in Lucina ſubſcripſi.
Ego Romanus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Porticu ſubſcripſi.
Ego Odde Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum ſubſcripſi.
Ego Guido Cardinalis Diaconus Sancti Adriani ſubſcripſi.
Ego Lucas Presbiter Cardinalis tituli S. Johannis & Pauli ſubſcripſi.
Datum Piſis per manum Almerici Sancte Romane Eccleſie Diaconi Cardinalis & Cancellarii, V. Idus Junii, Indictione XII. Anno Incarnationis MCXXXV. Pontificatus verò Doni Innocentii Pape Secundi, Anno V.

Ita Marchiones Eſtenſes in locum *ad Carceres* agri Eſtenſis invexere Canonicos Regulares, quod Monaſterium ad Camaldulenſes Monachos deinde translatum, ad noſtra uſque tempora perduravit, nunc autem in alios uſus converſum eſt: Venetiis a- A pud Nobiles Viros Carminatos Patricios Venetos antiquum Regeſtum vidi, in quo multa loci illius monumenta exiſtebant. Duo inde hauſta nunc exhibeo, quorum primum ſpectat ad *Sinibaldum Epiſcopum Patavinum*, Ughellio vix cognitum.

Sinibaldus Epiſcopus Patavinus Monaſterio Canonicorum Regularium Sanctae Mariae ad Carceres, ſito in territorio Eſtenſi, privilegia confirmat, atque illud uni Epiſcopo Patavino ſubjectum fore decernit, Anno 1122.

IN nomine Domini Dei, & hominis. Anno Incarnationis ejuſdem Milleſimo, Centeſimo Vigeſimo Secundo, XV. Kalendas Auguſti Indictione XV. Sanctam Dei Eccleſiam, &c. quam rem ego Sinibaldus Epiſcopus, *Dei gratiâ* Paduanus *pertractans*, Eccleſiam Sancte Marie in Paduano Epiſcopatu ſitam, in loco qui dicitur ad Carceres, *ubi nunc dilectiſſimus filius meus* Fabianus Presbyter cum Fratrum ſuorum Col- B legio *cui preeſt, vite active miniſteriis vacans* ſub Canonice inſtitutionis norma vivere curat & *ſatagit, preſentis Privilegii ſanctione munire decrevi, quatenus* Canonici *qui modò adſunt, & qui poſtmodum ordinabuntur, libere ibidem ac quietè Dei ſervitiis inherere, ac bona ſua, que nunc habent, & que juſte legaliterque quovis in tempore acquirent, ſine moleſtatione, quantum ad Epiſcopum Paduanum, & ad ſubditas ſibi*

ſibi perſonas adtinet, poſſidere valeant. In primis itaque pro remedio anime mee omniumque Anteceſſorum & Succeſſorum meorum in Catholice Fidei unitate perſeverantium, predicta Sancta Eccleſia beate Marie libera ſit ab omnibus, & nulli ſubiaceat Eccleſie; ſed per ſe Paduano, qui pro tempore fuerit, Epiſcopo reſpondeat, & obediat, ita tamen ut Epiſcopus ei nullam violentiam, nullamque de bonis ſuis leſionem inferat, nullamque a Clericis ejus temporalem exactionem perquirat, nec per quatuor anni tempora ſolitas preſentias exigat. Poſtremo per ſe, neque per ſuos Legatos apud ipſum Eccleſiam vel in ejus poſſeſſionis albergarias faciat, excepto ſi contigerit pro aliqua loci utilitate illuc pergere. Tunc enim cum paucis vadit ipſe, vel ejus Miſſi, ſine ipſius Eccleſie damno vel onoroſo incommodo. Preterea ex parte Dei omnipotentis & Sancte Marie ſemper Virginis, & noſtra Epiſcopali auctoritate, ſciat ſibi omnis perſona magna vel parva penitus interdictum, ne ullo modo audeant inquietare vel moleſtare jam dictam Eccleſiam Sancte Marie, nullum eidem predium auferre, nullum veſtigal imponere, nullumve tributum exigere, nec ejus Clericis invitis vel Laicis in ejuſdem Eccleſie poſſeſſionibus albergarias facere. Quicumque igitur &c.

Actum & datum Padue feliciter.

Ego Bellinus Archipresbyter manu mea ſubſcripſi.

Obertus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Ubertus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Torengus Subdiaconus manu mea ſubſcripſi.

Ego Nicolaus Diaconus ſubſcripſi.

Rogati autem ſunt teſtes Rolandus de Coriano, Petrus, Nicolaus, atque Ubaldinus pater & filii, Pagauus Baſtardus, Odo Buczarella, Henricus de Vico de Argere.

Jonas Cauſidicus, nunc denique Tabellio dictus, hec digitis ſcripti, ſeu vidi, meumque ſixi.

Nihil aliud heic dicitur, niſi Fabianum Presbyterum, *cum Fratrum ſuorum Collegio ſub Canonicae inſtitutionis norma, vivere*. Verùm hiſce ſatis ſignificari videntur Canonici Regulares. Gerte Anno MCLXXXI. iidem Canonici *ſecundùm beati Auguſtini Regulam* vivebant, & *Priori* ſuberant, uti fidem faciet altera Charta ex eodem Regeſto a me deſcripta, qua praceunte intelliges, *Marchiones Eſtenſes* uti antea, ita Anno MCLXXXI. nihil praetermiſiſſe, ut commoda ac jura Ateſtinae illius Congregationis amplificarent. Atque heic animadverte, quod antea monui, ſcilicet tum Regulares Canonicos, tum reliquos *Fratrum* appellationem olim adhibuiſſe: quod etiam familare Monachis Benedictinis fuit.

Gerardus Epiſcopus Patavinus ad petitionem Marchionum Eſtenſium Monaſterio S. Mariae ad Carceres concedit Eccleſiam S. Salvatoris de Tribus Comitatibus, quibuſdam conditionibus appoſitis, Anno 1181.

GErardus *Dei gratiâ* Paduanus Epiſcopus. *Dilectis in Chriſto* Fratribus Piſtori Priori Eccleſiae Sanctae Mariae ad Carceres, & omnibus ejuſdem Eccleſiae Canonicis *in perpetuum. Quoniam quae ad pias cauſas dantur, Deo impertiuntur, iccirco nos ad memoriam reducentes, quod Praedeceſſor*

ceſſor noſter beatae recordationis Sinibaldus Epiſcopus praenominatam veſtram Eccleſiam ad obſervationem Regularis diſciplinae inſtituit, & Fratres ibidem commorantes, ſecundùm beati Auguſtini inſtitutionem, & Fratrum Portuenſium Regulam vivere voluit: Conſiderantes etiam opera Caritatis, quae in domo veſtra novimus exerceri, divini amoris intuitu; & conſideratione pietatis, & pro remiſſione peccatorum noſtrorum, nec non Domni Papae Alexandri ammonitionibus & precibus inclinati, Marchionumque ſaepiſſime petitionibus pulſati, habito conſilio Fratrum noſtrorum Canonicorum, & aliorum Sapientum, Eccleſiam Sancti Salvatoris, quae eſt ſita extra Fractam de tribus Comitatibus, cum omnibus ſuis poſſeſſionibus & adjacentiis & pertinentiis & terris ad eamdem Eccleſiam pertinentibus, vobis, & veſtrae Eccleſiae titulo donationis conferimus, donamus, tradimus, concedimus, & faciatis exinde a praeſenti die vos & veſtri Succeſſores quicquid juſte volueritis ſine omni noſtra & Succeſſorum noſtrorum contradictione. Hoc de ipſa Eccleſia vobis & Succeſſoribus veſtris retento, quod Fratres, qui pro tempore erunt in Eccleſia Sancti Salvatoris, honeſte debeant recipere ipſum & procurare, & Nuntios Epiſcopi: & Frater, qui ibi erit inſtitutus a Priore ſuper alios, curam animarum, & regimen Populi de manu Epiſcopi recipiet, donec Prior ibi eum ſtare permiſerit. Et Plebi de Caſale perſolvet quod conſueverunt pro Capitulo ſolvere, & in aliis conſuetam reverentiam exhibebunt. Et quod Eccleſia Sanctae Mariae ad Carceres debeat ſolvere annuum Cenſum, ſcilicet Solidus centum pro Eccleſia Sancti Salvatoris nobis, & Succeſſoribus noſtris omni anno in temporalibus Nativitatis Domini in perpetuum. Et ſi Prior & Fratres, qui pro tempore in eadem Eccleſia erunt, omnia, quae ſuperius leguntur, in integrum non fecerint & admoniti ſemel, & bis, terve, digne non ſatisfecerint, & non adimpleverint, ſupraſcripta conceſſio irrita ſit & inanis, & de jure non valeat, & de facto non teneat. Ut autem haec noſtra donatio & conceſſio in perpetuum valitura perſiſtat, & ſemper ſtabilis, firma, & inconvulſa permaneat, ipſam Ugerino publico Tabellioni ſcribendam eſſe juſſimus, & eamdem noſtro Sigillo inſigniri praecepimus, Anno Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Primo, Indictione XIIII. Die XIIII. exeunte Junio. Teſtes Guilfredus Dei Gratia Paduanus Archipresbiter, Cono Presbiter, Magiſter Bonifacius in Montanis Archidiaconus, Adam Subdiaconus, Vitalianus Subdiaconus, Magiſter Egidius Diaconus, Zambonus Diaconus, Ubertinus Subdiaconus de Maroſtica, Magiſter Cerardus Subdiaconus, Gumbertinus Cibus Subdiaconus, Codiginus Cappellanus Epiſcopi, Magiſter Veſcovellus Cappellanus Sancti Martini, Marchio Albertus, Bonifacinus, Albertus Bonifacii ejus Nepos.

Actum in Padua, in Camera Epiſcopi.

Ego Ugerinus Imperialis Aulae Tabellio interfui, & ne oblivioni tradantur, duo inſtrumenta juſſu Epiſcopi ſcripſi.

Habemus heic *Piſterem Priorem* Monaſterii Eſtenſis ad Carceres. Alterum Priorem exhibet mihi Charta, quam Archivum Eſtenſe adſervat.

Inve-

Inveſtitura unius Manſi, data Livaldo Priori Monaſterii S. Mariae ad Carceres ſiti in Territorio Eſtenſi ab Azone Marchione Eſtenſi, Anno 1194.

Die Martis Decimo, exeunte Junio, Anno Domini Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quarto, Indictione Duodecima. In praeſentia Domini Boniſacii de Bonzino, & Senzagradi, & Olderici Notarii, & Bonefatii de Fornella, & Aymi, & aliorum. Ibique Dominus Marchio Azo de Eſte *inveſtivit* Domnum Livaldum Priorem Sanctae Mariae ad Carceres, *accipientem pro eadem Eccleſia, de Manſo uno, quem promiſerat* Dominus Marchio Opizo *ipſi Eccleſiae in conſecratione ejuſdem Eccleſiae, & in teſtamento juſſit ſore datum eſſe pro remedio ſuae animae & ſuorum Anteceſſorum. Et jacet in Curia Vighizoli, & quem deſignavit* Bonifacius Converſus, *& ejus villicus Johannes de Bertaldo pro ſupradicto* Marchione Azone. *De quo eſt caſamentum unum in Villa Gazoli cum quadam petia, quae pertinet ei caſamento prope eum, & eum caſamentum tenet Artuſo. Coberet ab uno capite via, ab alio Domina Aitenga, ab uno latere Domina Adeleita, ab alio* Dominus Marchio, *& Benzo. Alia petia in eadem hora, ubi dicitur Roture, tenetur per Johannem Scutifero, ab uno latere illi de Arcole, ab uno capite eadem Eccleſia, ab alio capite Palus. Alia petia in eadem hora, ab uno capite Domina Aitenga, ab alio capite* Dominus Marchio. *Alia in eadem hora, ab uno capite Domina Aitenga, ab alio via, ab uno latere Dominus Gumbertus, & ab alio eadem Eccleſia. Et Runchum, quod eſt, ubi dicitur Valdegroſo, & tenetur per Albrigeto & ſuo fratre. Ab uno capite via publica, ab alio filius Domini Carlaxarii, ab uno latere & ab alio Eccleſia Sancti Johannis de Vigizolo. Et confeſſus fuit ſupradictus* Dominus Marchio Azo *poſſidere pro praedicto Domino Priore, uſque dum intret tenutam Dominus Prior. In eadem die in praeſentia Johannis Camuii, & Moſcardi, & Michaëlis, & Chriſtiani, & Artuſii, in eorum preſentia Domnus Prior Livaldus ſupradictus pro eadem Eccleſia de predicto Manſo intravit tenutam, & pro verbo* Domini Marchionis, *& confeſſus fuit, ſe ſatisfactum de praedicto Manſo.*

Actum eſt hoc in Dollone de Eſte in Palacio praedicti Marchionis.

Ego Ortolinus Notarius ſacri Palatii interfui, & juſſu ipſorum ſcripſi.

Atque hic Livaldus Prior ille eſt, qui Anno MCLXXXIV. dum Veronae eſſet Lucius III. Papa, ab eo renovationem impetravit Privilegiorum ſuorum, uti fidem faciet ſubſequentis Bullae apographum e Regeſto, exiſtente apud praelaudatos nobiles Viros Carminatos, deſcriptum.

Lucius Papa Tertius Canonicis Regularibus Monaſterii Sanctae Mariae ad Carceres in territorio Eſtenſi privilegia renovat, Anno 1184.

LUcius Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei. Dilectis filii* Livaldo Priori Eccleſiae Sanctae Mariae de Carceribus, *ejuſque* Fratribus, *tam praeſentibus quàm futuris*, Regularem vitam profeſſis. *Quoties illud a nobis petitur, quod religioni, & honeſtati videtur convenire, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis Apoſtolicum ſuffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Eccleſiam Sanctae Mariae de Carceribus, in qua divino eſtis mancipati obſequio, ad exemplar felicis recordationis* Alexandri Papae *praedeceſſoris noſtri, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti Privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes*, ut Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & beati Auguſtini Regulam, & inſtitutionem Portuenſium Fratrum, in eodem Loco inſtitutus eſſe cognoſcitur, *perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Preterea quaſcumque poſſeſſiones &c. in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo memorata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus adiacentiis & pertinentiis ſuis: & Decimas novalium totius loci, qui Carrateculum vocatur, ſicut Privilegium Praedeceſſoris noſtri Alexandri plenius continet; & in Augutiano, & in tota Scudechia, in Fracta, in Montaniana, & in Vigoſolo; Quicquid habetis in Cavalligo: Quicquid habetis in Craterolo, in Carpo, in Portu, in Minevio, Bonadico, Urbano, Caſale, Milliarino, Pauſe, Vigezolo, Eſt, in Plebe de Villa, in Monteſilice, Baono: & quicquid ibidem* B. Paduanus Epiſcopus *rationabiliter vobis conceſſit: Quicquid habetis in Spaſano, Cona, Tribano, in Villa Panzena, in Montegnana, in Albetona; Quaecumque a bonae memoriae* Bellino, & Sinibaldo Paduanis *quondam* Epiſcopis *vobis canonice data ſunt, nihilominus confirmamus: Eccleſiam Sancti Salvatoris cum omnibus poſſeſſionibus ſuis &c. ſicut juſte ac pacifice eandem poſſidetis: Terram, quam habetis in Vicotineoſo & in Gazolo: Eccleſiam Sancti Johannis de Vighizolo, cum omnibus poſſeſſionibus & aliis quae ad eandem Eccleſiam pertinere noſcuntur, terris videlicet, paludibus, piſcationibus, ac decimis: Decimationes etiam totius paludis de Baone, ſicut vobis a Paduano Epiſcopo rationabiliter conceſſae ſunt, & ejus inſtrumentum plenius continet: Decimam quoque de territorio Villae, quae dicitur Cavallile. Sententiam verò illam, quam praefatus* B. *ſuper contentione, quae inter vos & Clericos Sanctae Teclae de Adeſt, de perſona Ugonis Baliſterii & filii ejus, & bonis ipſius agebatur, legitime promulgavit, ratam habemus, & auctoritate Apoſtolica confirmamus. Preterea venditionem, quam vobis Archipresbyter de Runco cum Fratribus ſuis de quadam terra in Minerva rationabiliter fecit, vobis & Eccleſiae veſtrae nihilominus confirmamus. Statuentes, ut de poſſeſſionibus, quas nunc habet Eccleſia veſtra, vel eſt in poſterum habitura, nullus Laicus Decimas praeſumat exigere. Sane novalium veſtrorum, quae propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſeu de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus a vobis*

bis Decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis Clericos & Laicos, e Seculo fugientes, liberos & absolutos ad Converſionem recipere, & eos abſque contradictione qualibet retinere. In Parochialibus autem Eccleſiis, quas habetis, liceat vobis eligere Sacerdotes, & Dioceſano Epiſcopo praeſentare, quibus, ſi idonei inventi fuerint, Epiſcopus curam animarum committat, ut ei de ſpiritualibus, vobis autem de temporalibus * debeat reſpondere. Antiquas & rationabiles conſuetudines Eccleſiae uſque ad praeſentia tempora reſervatas, & Decimas, quas a quadraginta annis uſque nunc poſſidetis, vobis auctoritate Apoſtolica roboramus. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, non pulſatis campanis, clauſis januis, excluſis excommunicatis, & interdictis, ſuppreſsâ voce, divina Officia celebrare. Sepulturam praeterea ipſius Loci liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni, qui ſe illic deliberaverint, & extremae voluntati, niſi forte excommunicati ſunt, nullus obſtet: ſalvâ tamen juſtitiâ Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. Salvâ Sedis Apoſtolicae auctoritate & Dioceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, Secularisve perſona &c.

Datum Veronae per manum Alberti Sanctae Romanae Eccleſiae Preſbyteri Cardinalis, & Cancellarii, Decimo Kalendas Januarii, Indictione III. Incarnationis Dominicae Anno MCLXXXIIII. Pontificatus verò Domui Lucii Papae Tertii Anno IIII.

Lectorem nunc rogo, ut mecum velit, Mediolanum ulque iter ſuſcipere. Eſt mihi Bulla Arnulphi III. Archiepiſcopi Mediolanenſis, quam e Collectaneis MStis Franciſci Caſtelli depromſi, atque heic Eruditorum examini ſubjectam volo. Iſta colligebat Caſtellus circiter Annum Chriſti MDL. In ea verò Bulla agitur de Eccleſia Sancti Gemuli in Dioeceſi Mediolanenſi ſita, cui Archiepiſcopus Privilegia largitur, ſed nullo certo indicio, num fuerit in eodem ſacro loco Congregatio Canonicorum Regularium, an Cleri ab eo Ordine diverſi.

Arnulphi III. Mediolanenſis Archiepiſcopi Bulla, per quam Eccleſiae S. Gemuli Martyris, ubi ejus Corpus requieſcit, Privilegia ac libertatem concedit, Anno 1095.

ARnulfus ſolâ Dei miſeratione Mediolanenſis Eccleſiae Archiepiſcopus. Convenit noſtrae paternitati, piâ religione & benivolâ compaſſione, alacri mente, poſcentium animis aſſenſum impertire. Idcirco ad noſtram auctoritatem pertinet cunctos noſtrae Eccleſiae filios Paterno amore diligere, & optatae pietatis opem non denegare. Quapropter nobis in noſtra Mediolanenſi Domo, noſtrorum Cardinalium, ſcilicet Preſbyterorum Diaconorum, Subdiacorum interventu reſidentium, animarum noſtrarum ſaluti providentes, & noſtrae Sancti Gemuli pauperculae Eccleſiae vigilantes, tam praeſentibus quàm futuris notum fieri volumus: quod nos cum noſtris Ordinariis unanimiter laudavimus, quatenus viginti quatuor Denarii, quos homines de Bellari, qui vocantur Garitioli, Preſbytero de Arcidiate dabant, duodecim propter duodecim

cim Miſſas, quas in Sancti Gemuli Eccleſia cantabat, & duodecim propter duodecim prandia, deinceps nullatenus dentur. Candelae verò, quae in ipſius Sancti Gemuli feſtivitate Eccleſiae Sancti Victoris de Plebe Arcidiate dabantur propter luminaria, amodo ab aliquo non exigantur. Et ne ipſa Plebs noſtra detrimentum patiatur hujus diminutionis, cum noſtris Cardinalibus & venerandis viris, ſcilicet Attone Presbytero, & Gizone Judice, & Arderico noſtri Cancellarii Ariprandi germano, qui abjecto Mundo ad eandem Sancti Gemuli concurrerunt Eccleſiam . . . . . *cum ſic tantam terram emerent, unde annualiter in ipſa Plebe duos modios ad Seſtarium de Arcidiate, unum ſegetis, & unum panici poſſent* noſtrae Canonicae de Arcidiate *perſolvere, & quatuor cerae pro ſupradictis candelis ejuſdem Sancti Victoris Eccleſiae. Laudavimus etiam, ut Servitores Eccleſiae ipſius Sancti Gemuli, qui nunc ſunt, & futuri ſunt, omni anno mittant noſtrae Matri Eccleſiae, videlicet Sanctae Mariae, duas candelas per unamquamque unam libram cerae habentem, quae in Domini, & Salvatoris noſtri Nativitate ardeant ſuper Altare Sanctae Mariae in nocturna Miſſa Sanctae Anaſtaſiae, & peractâ Miſſâ perveniant ipſae Candelae in poteſtate Cimiliarchae ipſius Eccleſiae.* Volumus etiam, ut hi qui nunc, vel futuri ſunt, praedicti Sancti Gemuli Cultores, Presbyteros & Clericos ad Ambroſianum celebrandum Officium eligant, vel Praepoſitum aut Priorem, vel Abbatem, *ſi quando neceſſe fuerit. Presbyter verò vel Clerici de Arcidiate nullâ ratione ad officium aliquod ſine rogatu ſupraſcriptorum in ipſa Eccleſia Sancti Gemuli accedere praeſumant. Conſecrationem autem, ſolummodo ſine ulla datione, ſine ullo interventu pecuniae poſt illorum electionem, noſtrae Mediolanenſi Eccleſiae ſic demum ſervamus. Item dicimus etiam, ut Officiales ipſius Eccleſiae Sancti Gemuli officium vel ſepellicionem in ipſa Plebe celebrare non audeant, niſi illis defunctis, qui illorum elegerunt ad Sanctum Gemulum ſepulturam. Homines autem de Belari, qui Garilioli vocantur, quae noſtrae Curiae annue perſolvere debent, perſolvant. Firmamus autem canonicâ auctoritate noſtrâ, noſtrorumque Cardinalium, ut jam dicta Sancti Gemuli Eccleſia omnino ſit libera, & abſque omnium mortalium conditione, ſit Eccleſia aliena. Inſuper volumus, laudamus, & ex omnipotentis Dei parte, & Apoſtolorum Petri & Pauli, & beatiſſimi Confeſſoris Ambroſii, & omnium Sanctorum, & noſtrâ, qua gandemus, auctoritate, ſub excommunicatione interdicimus, ut nos, nec noſtri Succeſſores, neque noſtrae Eccleſiae Cardinales, vel aliqua magna, parvaque perſona, de bonis, quae habet nunc praefata Sancti Gemuli Eccleſia, vel amodo adipiſci potuerit, audeat ſe intromittere, neque ſacrum locum aliquo modo ulla ratione inquietare. Quod ſi quis huic noſtro ſalubri Praecepto, maligno Spiritu repletus, contrarius extiterit, ſit anathema, maranatha: pereat cum Juda Domini proditore, Saule, & Jonatha: non habeat partem cum illo, qui pro nobis Crucifixus eſt in Golgotha, donec reſcipiſcens ad ſatisfactionem & congruam poenitentiam venerit, & ad Sacramentum Corporis S. Gemuli concurrerit, & venerabilium virorum Dei, & Sancto Gemulo ſervientium voluntati ſatisfecerit. Quod ut verius credatur, & firmiter, & a noſtris poſteris firmum & inconvulſum habeatur, hanc Chartam cum noſtris Cardinalibus propria manu firmavimus, & noſtro ſigillo inſigniri juſſimus.*

Factum

Factum eſt hoc, ut ſupra, in Domo Sancti Ambroſii, Anno Dominicae Incarnationis Milleſimo Nonageſimo Quinto, II. die Menſis Novembris, Indictione IV. Unde duae Cartulae uno tenore ſcriptae ſunt.

Arnulfus *Dei gratiâ* Archiepiſcopus *ſubſcripſi.*

Gottofredus Archipresbyter laudavi & ſubſcripſi.

Ego Anſelmus Quartus *Dei gratiâ* Archiepiſcopus *formavi & ſubſcripſi.*

Ego Daribertus Diaconus de ordine Eccleſiae S. Victoris de Arcidiate laudavi & ſubſcripſi.

Tealdus Archidiaconus confirmando ſubſcribſi.

Ego Adam Archipresbyter de loco Arcidiate laudavi, & ſubſcripſi.

Ego Dominicus de Plebe Arcidiate laudavi & ſubſcripſi.

Ego Daibertus Presbyter Arcidiatenſis Eccleſiae laudavi & ſubſcripſi.

Landulfus Diaconus ſubſcripſi.

Ego Anricus Clericus de Arcidiate laudavi.

Walpertus Diaconus ſubſcripſi.

Ego Unelfredus Clericus de ordine de Plebe Sancti Victoris de Arcidiate ſubſcripſi.

Ego Aribertus Presbyter de Arcidiate, habitator Gieranzano, ſubſcripſi.

Ego Nazarius Presbyter de Arcidiate laudavi & ſubſcripſi.

Ego Nazarius Presbyter de Arcidiate Eccleſiae Sancti Victoris laudavi & ſubſcripſi.

Landulfus Presbyter ſubſcripſi.

Gualpersus Magiſter Subdiaconus ſubſcripſi.

Wido Subdiaconus ſubſcripſi.

Anſelmus Subdiaconus ſubſcripſi.

Otto Subdiaconus ſubſcripſi.

Landulfus Notarius ſubſcripſi.

Ego Anſelmus Notarius ſubſcripſi.

A *Ego Ambroſius, qui & Paganus, Judex & Miſſus Domini Tertii Heurici Imperatoris, & Advocatus praefatae Eccleſiae Sanctae Mariae, ad confirmandum ſubſcripſi.*

Ego Petrus Judex ad confirmandum ſubſcrip.

Albertus Judex & Miſſus Domini Heurici III. Imperatoris ſubſcripſi.

B *Ego Heriprandus Judex & Miſſus Domini III. Imperatoris interfui & ſubſcripſi.*

Signum manuum Arialdi Viceconitis, item Arialdi de loco Melenmano, Arderici de Badaglo, Benonis filii Alberti, Arderici filii Azouis, Johannis, qui dicitur Caſſina, Azonis, qui dicitur Mura, Nazarii fratris Oſtachii, Arberoſſi C *& Vaſſalli germanorum, qui dicantur Paradiſi, Romedii, qui dicitur Cangellarius, Arialdi, qui dicitur Graſſelus, Bonofantone, qui dicitur Schapeta, Anſelmi teſtium.*

Ego Aldo Notarius Sacri Palatii ſcripſi, poſt traditam complevi & dedi.

Guilielmus Judex, ac Miſſus Domini Regis authenticum hujus exemplum vidi D *& legi, & ſic in eo continebatur, ſicut in hoc exemplo praeter literas plus minuſve.*

Ego Ugo Notarius ſacri Palatii, authenticum hujus exempli vidi &c.

Ego Otto Notarius ſacri Palatii, ac Legis Lector, authenticum hujus exempli &c.

Ego Anſelmus Cauſidicus, Juriſque peritus, authenticum hujus &c. E

Ego Hodo Notarius ſacri Palatii, authenticum &c.

Ego Rogerius, qui dicor de Peſſiano, Notarius ac Miſſus Domini Secundi Conradi Regis, authenticum hujus &c.

Ego Roverius, qui dicor Palliarius, Notarius ſacri Palatii, authenticum &c.

Ego Petracius Siuiſtrarius, Notarius ſacri Palatii, hoc exemplum ab alio exemplo,

plo, & authentico exemplato exemplavi, & ſicut in eo continebatur, ita & in iſto exemplo, preter literam plus, minuſve.

Examini, inquam, Eruditorum oblatas volui haſce tabulas, ut in eorum legitimitatem inquirant. Omnia certe primâ fronte bene conſuta videntur. Notae Chronologicae inter ſe concordes procedunt. Arnulphus diu ante electus eo ipſo Anno MXCV. (uti cenſuit Puricellius in Monumentis Baſilicae Ambroſianae num. 283.) conſecratus fuit. Multorum heic habentur ſubſcriptiones, ac praecipue *Miſſorum Domni Tertii Henrici*. Uno verbo, cuncta haec recte poſita. Verùm ubi offendis, praeter *Arnulfum Archiepiſcopum* alterum Archiepiſcopum obſignaſſe eaſdem tabulas, nempe *Anſelmum Quartum Dei gratiâ Archiepiſcopum*, turbari concentum hujus Chartae ſentis. Attamen, quum in Praefatione ad Poëma de Excidio Civitatis Comenſis Tomo V. Rerum Italicarum pag. 402. animadverterim, Saeculo Duodecimo, Coadjutores & Succeſſores datos fuiſſe Mediolanenſibus Archiepiſcopis: non immeritò opinari liceat, vivente adhuc Arnulpho III. Archipraeſule, Anſelmum IV. Succeſſorem delectum fuiſſe, & pro more temporis illius, titulo etiam *Archiepiſcopali* donatum, ac praeſertim, quum adhuc vigeret lacrymabilis diſcordia inter Sacerdotium & Imperium. Et Anno quidem Chriſti MXCVII. ſublato e vivis Arnulpho, Anſelmus ſucceſſit, atque Ambroſianam Eccleſiam regere coepit. Haec pro Chartae legitima origine dicta volui. Si meam tamen ſententiam quaeris, vereor ut iſta ſufficiant. In Diſſertatione de Antiquo Jure Metropol. Mediolan. in Epiſcop. Ticinenſ. (*) Tom. I. pag. 244. Anecdotorum meorum, inter foetus ſpurios recenſendam ſcripſi alteram Bullam Anno Chriſti MC. exaratam, atque a Puricellio productam num. 289. Monum. Baſilic. Ambroſianae, hac etiam de cauſſa quod illi ſubſcripſiſſe dicatur *Anſelmus Quartus Dei gratiâ Archiepiſcopus*. Inſuetum quippe mihi tunc viſum eſt, Epiſcopos in ſubſcribendo apponere *Secundum*, *Tertium*, *Quartum &c.* ut ſeſe a praecedentibus diſtinguerent. Id quidem Notarii & Cancellarii facere conſueverunt in narratione, aut in Notis Chronologicis, non autem Epiſcopi, dum ſeſe ſubſcriberent. Neque ipſe *Arnulphus Archiepiſcopus* heic ſe *Tertium* appellat, quamquam duo ejuſdem nominis Archiepiſcopi praeceſſiſſent. Itaque & heic ſubſcriptio ſuſpecta mihi eſt. Sed quod majorem mihi falſi ſuſpicionem ingerit, Landulphum juniorem Hiſtoricum Mediolanenſem, Anſelmo ipſi ſynchronum, invenio hiſce ipſis tabulis adverſantem. Eumdem audi Cap. I. Hiſtor. Mediolan. Tom. V. pag. 469. Rerum Italicar. *Defuncto Arnulpho Archiepiſcopo Mediolanenſi, Armannus Monachus, quaſi Cardinalis Romanus, ad alium eligendum venit &c.* Tum ſubdit: *Hoc dictum ſtatim elegit ſibi & illis in Archiepiſcopum Anſelmum de Buis, hominem ſimplicem &c.* Deinde de ipſo Anſelmo ſcribit: *Deficientibus ſibi Suffraganeis Epiſcopis, omnes Eccleſiaſticos Ordines uſque ad Presbyteratum, ordinationem quoque Epiſcopatus ab extraneis Epiſcopis ſuſcepit &c.* Acta haec fuere Anno Chriſti MXCVII. eaque probe noverat Landulphus Mediolanenſis, atque eorum temporum ſcriptor. Quei ergo una cum Arnulpho III. Archiepiſcopo Anſelmus iſte ſubſcri-

(*) Tom. XI. P. I.

ſcribere potuit, ac titulo uti *Archiepiſcopali?* Neque Coadjutor fuerit, qui tantummodo poſt Arnulphi mortem *electus fuit*, immo *omnes Eccleſiaſticos Ordines uſque ad Presbyteratum ſuſcepit*. Quamobrem de fide Bullae nuper evulgatae dubitare nimium cogor. Ceterum, ut oſtendam, nullum negotium faceſſere debere nobis geminum *Archiepiſcopum Mediolanenſem* uno eodemque tempore exſtitiſſe, & quidem ſine diſcordia aut ſchiſmate, quum unus revera Eccleſiae Mediolanenſi ex inſtitutione ſua praeeſſet, alter verò Coadjutor foret, altero exemplo eorumdem temporum morem confirmandum puto: & praeſertim quod ea conſuetudo minime perſpecta tenebras & controverſiam non unam antea inter Eruditos non ſine juſta cauſſa excitarit. In Archivo Monaſterii Padolironenſis pergamena adſervatur, ſcripta Aprili Menſe Anni MCXXI. complectens concordiam initam inter Epiſcopum Brixianum & Archipresbyterum Medulenſem ex una parte, & Monachos Padolironenſes ex altera, ob litem de duabus Eccleſiis. Chartae ſubſcribunt *Ego Villanus Dei gratiâ Brixienſis Eccleſiae Epiſcopus hujus operis facta confirmavi. Ego Manfredus Dei gratiâ Brixienſis Eccleſiae Epiſcopus ſubſcripſi & confirmavi. Ego Paulus Brixienſis Eccleſiae Archidiaconus ſubſcripſi &c.* Ergo vides, invaluiſſe Seculo Chriſti Undecimo ac Duodecimo *Coadjutores* Epiſcopatuum, & habes unde Ughellio in Ital. Sacr. lucem addas, ubi de nuper commemoratis duobus Brixiae Epiſcopis ſermo illi eſt. Uteumque tamen de legitimitate Chartae Mediolanenſis, nuper a me productae, judicent alii, dubius praeterea ego ſum, num ibi deſignetur Congregatio Canonicorum Regularium. Nullum enim verbum de iis eſt, aut de illorum *Priore*. Caſtellus ſupra mihi laudatus haec ſcribit: *Privilegium pro Abbatia Sancti Gemuli de Ganna*, qui vicus eſt apud Variſium. At heic nullum Monachorum ibi habitantium veſtigium occurrit. Haec tamen ſcribit Boſcha in Martyrologio Mediolanenſi ad diem IV. Februarii: *Monaſterium Gannenſe fuit olim Benedictinorum. Nunc Coenobitis caret. Illius ſiquidem reditus, Pius IV. Pontifex Maximus addixit Noſocomio majori Mediolani.* Veri igitur ſimile potius videtur, tunc coetum aliquem Clericorum eum in locum coaluiſſe, quum ipſum Arnulphus Archiepiſcopus eximat e juriſdictione Archipresbyteri ſeu Plebani Arcidiatenſis Eccleſiae, atque addat: *Volumus, ut hi, qui nunc, vel futuri ſunt, praedicti Sancti Gemuli cultores Presbyteros & Clericos ad Ambroſianum celebrandum Officium eligant, vel Praepoſitum, aut Priorem, vel Abbatem, ſi quando neceſſe fuerit.* Quare videntur poſtea ſibi elegiſſe Abbatem & inſtitutum Benedictinum ſuſcepiſſe. Et quoniam non ſemel dixi, quoties in Chartis poſt Annum a Chriſto nato Milleſimum occurit *Prior* Canonicis Praefectus, conſueviſſe indicari Canonicos Regulares, de iis etiam mentionem fieri arbitror in Charta, quam ad me miſit doctiſſimus aeque ac humaniſſimus vir P. Philippus Camerinus, Oratorii Camertis Presbyter, cujus erga me amorem pluribus ex titulis commendare poſſem. Spectat ipſa ad nobile Oppidum Sancti Severini in Piceno ſitum, quod Anno MDLXXXVI. Sixtus V. Pontifex Maximus Epiſcopatu auxit, & Civitatis honore donavit. Eo ipſo tempore, quo datum fuit iſtud Diploma, Severinatis

Eccle-

Ecclesiae Canonici, quod *Priori* subessent, Regularem quoque disciplinam professi mihi ereduntur: quod tamen aliis accuratius perpendendum relinquo. Interim en Diploma ipsum, ex autographo descriptum, quod adservatur in Archivo Severinatis, sive Septempedanae Cathedralis.

Praeceptum Friderici I. Augusti, per quod Ecclesiae Sancti Severini praedium quoddam concedit, sive confirmat, Anno 1177.

IN Dei nomine. Amen. Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus. *Noverint omnes Imperii nostri fideles tam praesentes quàm futuri, quod nos ob interventum & dilectionem dilectissimi Cancellarii nostri Gotefredi, & Familiaris Capellani nostri Teodorici Praepositi Misnensis,* Ecclesiae Sancti Severini *praedium de Caesano contulimus, cujus latera sic describuntur: a capite est Via, a pede Rivus Castri, a latere praedium Hugulini, ab alio latere Collis, & Vineae. Hoc itaque praedium ob animae nostrae & parentum nostrorum salutem praefatae Ecclesiae Sancti Severini concedimus & confirmamus. Illis quoque hominibus, qui praefatum praedium in pignore acceperunt, Imperiali auctoritate & sub obtentu gratiae nostrae firmiter praecipimus,* quatenus a Priore, & Fratribus ejusdem Ecclesiae, *acceptâ solutione debitae pecuniae, ipsum praedium libere & ex integro eis restituant. Si verò ipsi creditores debitam pecuniam recipere noluerint, damus potestatem* Priori & Fratribus praefatae Ecclesiae *intrandi in possessiones absque nummorum numeratione. Statuimus praeterea, & auctoritate Imperiali praecipimus, ne aliquis Marchio, vel Comes, vel Consul, vel alia aliqua Persona parva vel magna,* Ecclesiam Sancti Severini, aut ejus Fratres *in bis bonis gravare seu inquietare praesumat. Huic autem nostro statuto si quis ausu temerario obviare attemptaverit; decem Libras auri pro poena componat, mediam partem nobis, & mediam injuriam passis.*

Hujus rei testes sunt Conradus Suevus Comes Assisii, *Petrinus & Offroducius Consules Sancti Severini, Jacobus Judex, Comes Atto Dalun..... an, Severinus Reinaldi, & alii quamplures.*

Datum apud Assisium Anno Domini MCLXXVII. Indictione XI. Quartodecimo Kalendas Januarii.

Atque haec dicta sint de *Canonicis*, quorum institutio sacrorum Templorum decori esse adhuc pergit. Hoc unum tantummodo addam, scilicet a Grutero inter monumenta Christiana vetustissima pag. 1053. num. 8. laudari Epitaphium Romae in Sanctae Caeciliae positum, hisce verbis.

HIC REQVIESCIT
BONVS IOHES CA
NONICVS ASTEN
SIS ET DNI PP.

Verùm huic Inscriptioni locus minime futurus erat inter monumenta Romanarum Antiquitatum, quum *Canonici* titulus ibi occurrat. Immo longe post Annum Vulgaris Aere Millesimum *Bonus* ille *Johannes* seu *Bonjobannes* vixisse mihi creditur. Verba illa & *Domini Papae*, aliquid excidisse ostendunt, uti *Capellanus*, *Diaconus*, *Notarius*, aut quid simile. At serò factum est, ut qui Canonicus in aliqua Ecclesia ab Urbe remota, Deo militaret, in Pontificia quoque aulâ aliquo munere fungeretur.

Digitized by Google

Digitized by Google